7/7/82

S. 1301A


BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATURAE CURIOSORUM
J. G. Pintz. sc.

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM

exhibentia

EPHEMERIDES

ſive

OBSERVATIONES HISTORIAS ET EXPERIMENTA

a

CELEBERRIMIS GERMANIÆ ET EXTERARUM REGIONUM VIRIS

habita & communicata,
ſingulari ſtudio
collecta.

VOLUMEN SECUNDUM

cum APPENDICE

ET PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

NORIMBERGÆ,
Apud HÆREDES W. M. ENDTERI ET J. A. ENGELBRECHTI VIDUAM.
Typis JOH. ERNESTI ADELBULNERI A. MDCCXXX.

INVICTISSIMO

CAESARI CAROLO VI.

ROMANORVM

IMPERATORI

SEMPER AVGVSTO

GERMANIAE, HISPANIAE,
INDIARVM, HVNGARIAE, BOHEMIAE,
CASTILIAE, LEGIONIS,
ARAGONIAE, SICILIAE VTRIVSQVE,
HIEROSOLYMORVM,
NAVARRAE, DALMATIAE,
CROATIAE, SCLAVONIAE,
BVLGARIAE,
BOSNIAE, SERVIAE,
ET
RASCIAE

REGI

ARCHIDVCI AVSTRIAE
DVCI
BVRGVNDIAE, BRABANTIAE,
MEDIOLANI, STYRIAE, CARINTHIAE,
CARNIOLAE ET LVXEMBVRGI
WIRTEMBERGAE ET VTRIVSQVE SILESIAE,
PRINCIPI SVEVIAE
MARCHIONI BVRGOVIAE, MORAVIAE
ET LVSATIAE,
COMITI PRINCIPALI
HABSPVRGI, TYROLIS, PFIRETARVM, KYBVRGI
ET GORITIAE,
PROVINCIALI ALSATIAE,
COMITI FLANDRIAE,
DOMINO MARCHIAE VENEDICAE
PORTENAVIAE ET SALINARVM
ET QVAE SVNT RELIQVA,
DOMINO ET ASSERTORI
SVO
OMNIVM CLEMENTISSIMO
EXIGVVM HOC PIETATIS
ET OBSEQVII DEMISSISSIMI
PIGNVS
CONSECRAT
NVMINI ET MAIESTATI EIVS
AETERNVM DEVOTA
NATVRAE CVRIOSORVM ACADEMIA.

* * *

Concede quæso, MAXIME PRINCIPUM,
AUGUSTE CAESAR; Gloria seculi
Nostri perennis; turbulenti
Optime pacificator orbis:

Concede quæso, ut me solio TUO
Devota sistam, voceque supplici
Nunc denuo sacrem laboris
Particulam, tenuesque chartas.

TU nempe clementi, instar Apollinis,
INVICTE CAESAR! Numine suscitas
Musam piam, nec semper arcum
Tendis, & eiaculas in hostes:

Quin fructuosæ pacis amantior,
Victoriarum iam satur, edoces
Quod una sit pax æstimanda
Innumeris potior triumphis.

Quare furorem deprimis impium,
Qui bella ſaltem triſtia cogitat;
Pacem tenes; Janique templum,
Mox iterum TVA *dextra claudet.*

Hinc pacis artes pulcrius enitent:
Hinc fota creſcit proſperitas mea,
Sub CAESARIS SVMMI *benignis*
Auſpiciis, recreata pace.

Ergo ſalutem Principis optimi
Omnes precantur, qua patet Imperi
Porrecta Majeſtas ad ortum
Solis, ab Heſperio cubili.

Nil CAROLI *non efficient manus,*
Quas ipſa Cœli gratia protegit;
Seu pax quietas ſervet, aut Mars
Expediat per acuta bella.

***

REVE-

REVERENDISSIMO CELSISSIMOQVE

S. R. I. PRINCIPI

AC

DOMINO

DN. FRIDERICO CAROLO

EPISCOPO BAMBERGENSI

ET VVIRCEBVRGENSI

FRANCIAE ORIENTALIS

DVCI

SACRAE CAESAR. MAIESTATIS

CONSILIARIO STATVS INTIMO

ET IMPERII VICE-CANCELLARIO

(ET QVAE SVNT RELIQVA)

PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO

CLEMENTISSIMO

VITAM ET FELICITATEM.

REVERENDISSIMO CELSISSIMOQVE

S. R. I. PRINCIPI

DOMINO

DN. FRIDERICO CAROLO

EPISCOPO BAMBERGENSI

ET VVIRCEBVRGENSI

FRANCIAE ORIENTALIS

DVCI

SACRAE CAESAR. MAIESTATIS

CONSILIARIO INTIMO

ET IMPERII VICECANCELLARIO


(ET QVAE SVNT RELIQVA)

PRINCIPI AC DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO

VITAM ET FELICITATEM

VOVET



REVERENDISSIME CELSISSIMEQVE PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.



I, quantum dolorem ex obitu EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI, glorioſ. memoriae *Patrui Tui*, CELSISSIME PRINCEPS, haud ita pridem accepimus, eloqui conaremur,

uerendum ſane foret, ne uerba idonea nos deficerent. Etenim communis ille fuit uniuerſae Germaniae luctus, ac multo grauior, quam ut noſtro ſaltem exemplo repraeſentari poſſet. Liceat tamen nobis, cum fortaſſe damnum, quod iſto caſu publica res Patriae fecit, non aeſtimare ſatis, nedum exprimere ualeamus, pro tenui noſtra duntaxat parte conqueri amiſſum PROTECTOREM *benigniſſimum*, cuius ſingulari clementia in ſeptimum uſque luſtrum gauiſi ſumus. At enim uero, quemadmodum optimus ille Princeps maximae uirtutis et gloriae ſuae digniſſimos haeredes, atque feliciſſimos aemulos reliquit, Nepotes ſuos; ita ſeorſum per TE, DOMINE CLEMENTISSIME, reſtitutam fore rem noſtram, eo magis confidimus, quo magis

iam

iam celebrata per orbem exiſtit illa in liberales et utiles humano generi artes ac ſcientias, harumque cultores propenſiſſima uoluntas TVA. Neque enim in tam excelſo dignitatis gradu, ad quem meritiſſimo perueniſti, deſpicis humiliora iſta; neque ſub onere muneris grauiſſimi, quo negotia Imperii, publicae ſalutis cauſa, iubente AVGVSTISSIMO CAESARE, fortiter ſuſtinere pergis, deponere uideris benignam Muſarum curam, ipſe *Muſagetes incomparabilis*. Hoc nomine et noſtram Academiam praepotenti tutelae Tuae commendatam habebis, INDVLGENTISSIME PRINCEPS, ac poſt DEVM immortalem, SACRAMque CAESAREAM MAIESTATEM, inſtitutum atque ſtudia noſtra, non modo ſarta tecta conſeruabis, ſed et perclementer

 ampli-

amplificabis. Quo summo beneficio nos obstricti, pro salute et incolumitate TVA, tanto ardentius Diuino Numini supplicabimus, piaque uota nuncupabimus, quanto arctius illam cum emolumento Imperii copulatam nouimus,

REVERENDISSIMAE CELSITVDINI TVAE

humillimo cultu et obsequio addicti

Academiae Imperial. Nat. Curios. Antistites et Collegae.

L. B. S.



Omparet *nunc tandem ſecundum* Volumen Actorum Phyſico-Medicinalium, *inde a triennio quidem promiſſum, ſed non uno fato hactenus remoratum. Etenim ab illo tempore amiſit* Academia noſtra *duos bene meritos* Ephemeridum *ſuarum* Directores, *D. D.* HOFFMANNVM, *et* VALENTINVM, *quin et nuper admodum incomparabilem ſuum* Præſidem, *Dn. D.* SCHROECKIVM, *damno ſane difficulter reparabili. Vnde non potuerunt non* turbari *quodammodo* circuli noſtri, *ac retardari editio* Actorum; *quando et is, qui curam eorundem legitime ſuſceptam, hodie gerit, ex ancipiti ac diuturno morbo uix conualuit. Interea complurium* DNN. Collegarum *haud defuit induſtria laudabilis, cui non modo praeſens* obſeruationum, *tempeſtiue ſatis oblatarum apparatus debetur, ſed etiam confidere decet, fore, ut, ampliori ſubinde numero ſuccedente, plura eiusmodi* Volumina, *delectu etiam habito, condere* Diuinis Auſpiciis *queamus.*

CATA-

CATALOGVS
Nobilissimorum Dominorum, quorum Obseruationes Physico-Medicae in hoc Volumine continentur.

D. D. Andr.

)()(X D.D.Be-

D. D. Benedictus *Gullmannus*, Physicus Augustanus, Acad. Curios. Adiunctus. p. 167. 181. 370.

D. D. Ern. Frider. *Heimreich*, Medicus Coburgensis, Acad. Curios. p. 23.

D. D. Christian. de *Helvvich*, Archiater Duc. Holsat. Med. Vratislau. Acad. Curios. p. 130.

D. D. Io. Frid. *Henckelius*, Phys. Prouinc. Freiberg. Misn. Acad. Curios. p. 361. 407.

D. D. Daniel *Hoffmannus*, Poliater Tubingensis, Acad. Curios. p. 1.

D. D. Godofredus *Klaunig*, Medicus Caesar. Aul. Acad. Curios. p. 32.

D. D. Christian. *Kundmannus*, Medicus Vratislau. Acad. Curios. p. 244

D. D. Iosephus *Lanzonus*, Prof. et Med. primarius Ferrariensis, Acad. Curios. p. 15. 178. 465.


D. D. Hieronymus *Laubius*, Reg. Dan. Medicus Aul. Acad. Curios. p. 45. 238.

D. D. Io. Georg. *Liebknecht*, Prof. Publ. Giessensis, Acad. Cur. Adiunctus. p. 78.

D. D. Io. Adam *Limprecht*, Duc. Wurtemb. in Silesia olim Consiliarius, Acad. Curios. et Collegii Med. Berolin. Adiunctus. p. 44. 77. 109. 192. 261. 287. 313. 406.

D. D. Car. Frid. *Loevv*, Consil. et Archiat. Duc. Saxon. et Wurtemberg. Acad. Cur. Adiunctus. App. p. 1.

D. D. Gott-



ACTO-



ACTORUM PHYSICO-MEDICORUM ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM VOLUMINIS II.

OBSERVATIO I.

DN. Lic. DANIELIS HOFFMANNI.

Visus duplicatus.



Uamvis in admiranda corporis humani fabrica nihil sit, quod sapientissimi Creatoris summam perfectionem, bonitatemque immensam digito non commonstret, magnam tamen inter hæc ipsa organa differentiam intercedere, cuilibet patet euidentissimè. Unde unum alio magis compositum atque ex pluribus partibus artificiosissimè inter se connexis conflatum apertè repe-

rimus, hocque ſenſu unum alio perfectius dicimus, cum ad actiones ſuas edendas complicatio plurium compoſitorum requiratur; Hiſce autem perpenſis, organisque corporis humani omnibus dextrè conſideratis meritò dicendum erit Oculum humanum, ſi non organorum perfectiſſimum, ex ſummè perfectorum ad minimum numero eſſe, aut in illo primum jure merito obtinere locum, cum hujus conformatio adeo mirabilis, uſusque illius tam ſit nobilis, ut vix ullum in univerſo corpore magis compoſitum, aut cujus fabrica magis miranda uſum præſtantiorem homini largiatur, inveniri queat. Hæc ipſa autem hujus organi complicata adeo ſtructura, eo ipſo etiam majorem teneritudinem proclivioremque ad ſtatum provincialem diſpoſitionem ac inclinationem importare videtur, cum idem etiam in Mechanicis cernere liceat, & e. g. horologia portatilia quo minora & quo magis compoſita variisque indicibus inſtructa eo facilius etiam læ dantur, ſæpiusque præ majoribus ſimplicioribusque artificis opem ac reſtitutionem requirant: Unde etiam Cel. ille Pariſienſium Ophthalmiater, *Dn. de Woolhouſe* plusquam Centum oculorum morbos & à ſtatu naturali receſſus recenſet, iisque, quod mireris, præter varia medicamenta plusquam quinquaginta Operationes Chirurgicas opponit: Inter hos autem varios admodum oculorum affectus, à quibus conſequenter viſio variè læditur, ea potiſſimum depravatio notari meretur, qua objecta ſimplicia duplicia apparent, viſusque fit duplicatus, quale exemplum in ſene obſervatum paucis recenſere liceat. Vir 76. annor. temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus corporis ſtrictioris ac macilentioris, erroribus diætæ per omnem ferè vitam deditus, vitæ ſedentariæ ex muneris ratione aſſuetus, inter prandium derepente dolore quodam Capitis, lateris præcipue ſiniſtri admodum acuto ac lancinante corripitur, adeò, ut menſam deſerere, lectumque petere coactus fuerit; Remedia dolori huic atroci oppoſita nervina, cephalica, anodyna, tam externa, quam interna, intra viginti quatuor ho-

ras ne

ras ne minimum quidem attulêre levamen, hinc vesicatorium nuchæ applicandum suadet Medicus, ægerque insignem inde, cuticula vix in vesicam elevata, doloris remissionem & versus scapulam illius lateris descensum reportat. Tertio verò abhinc die, remittentibus sensim sensimque doloribus illis capitis intensis, sacris intentus, lectioni libri cujusdam ipsi admodum familiaris sese applicat, inter legendum autem non sine summa animi consternatione ex improviso observat, se tam librum quam lineas literasque in illis obvias non uti antea visu simplici sed gemino jam ac duplicato conspicere; Unde seposuit, ut scilicet certior redderetur de mirabili hoc phænomeno, librum, alia objecta oculis obversantia intuitus, eadem etiam duplicia observat universa, Medico mox vocato obviam procedens manum porrigebat æger, quærens, quisnam ex duobus illis oculis ipsius obversantibus verus sit & quis apparens Medicus, idque non nisi contactu manus valuit discernere. Medicus vero consideratis omnibus circumstantiis tam prægressis quam præsentibus Venæ sectionem in pede revulsoriam, tertioque abhinc die scarificationem in dorso suadet, junctis simul medicamentis cephalicis nervinis ac antispasmodicis, quorum usu ab omni planè dolore fuit liberatus; subsistente autem pertinaciter sub continuato horum remediorum usu visu illo duplicato in tertiam usque septimanam duplex ægro huic applicari curat Medicus vesicatorium, in brachio scil. dextro unum alterum in pede sinistro, ac fluxu horum aliquandiu conservato depravatum hunc visum tollit tandem ad votum: Analogum huic exemplum in *Actis Literariis Suecicis* recensetur, de puero quodam Stockholmiensi 10. annor. qui inter ludendum pilâ nivea adeò percutiebatur, ut post ortum tumorem in externis præcipue oculi sinistri partibus, quas ictus pilæ potissime feriit, nullus ipsi ejusdem oculi usus per tres menses fuerit, sedatoque variis medicamentis, scarificatione potissime cutis pone aurem, tumore, visus quidem restituitur, duplicatus tamen, adeo, ut hoc vel illo oculo,

clauso videlicet altero, objecta videat simplicia, duobus verò oculis simul in situ tam remoto quam propinquo eadem duplicia observet: In nostro autem sene res longe aliter se habebat, is enim uno solummodo oculo clauso licet altero, Objecta quævis obversantia pariter duplicia videbat, quod singulare phænomenon frequenti facto experimento observavimus: In hoc verò uterque casus tam pueri quam senis convenit, quod in neutro horum ullum in oculis vitium externum vel distorsio, aut strabismus, vel aliud quodcunque potuerit observari malum, sed oculi in naturali plane situ ac statu comparuerint. Singularis hujus phænomeni rationem ac ætiologiam quod concernit, notissimum est, omnes omnium temporum Medicos illam in nervorum opticorum unione natoque circa illam vitio quæsivisse, cum ratio status naturalis, visus scil. simplicis in illa potissimum sit fundata, unde jam olim Galenus lib. de usu part. statuit, hunc nervorum coalitum ideo à natura factum esse, ne quod extra intuemur, duplex appareat, & Recentiores Anatomici prætendunt, hos nervos non coire per simplicem solum contactum & coalitum, sed potius per totalem substantiæ confusionem, ita ut unum dein corpus constituant, hinc omnino difficilius explicatu est, qua ratione aliquid heterogenei in ipsa illa horum nervorum coalescentia sese insinuet, (quæ quorundam est sententia) sicque æquabilem illum utriusque nervi nexum impediat; Unde alii ex principiis mechanicis malunt respicere ad diversitatem axium conos per oculos ambos trajectos transeuntium, scilicet quod ambo oculorum axes, quos naturæ lex parallelos in eadem linea parallela exactissimè requirit, hanc æqualitatem amittant, neque necessariò non uno eodemque loco ac tempore objecta in retina delineentur, suamque sententiam communi illo ac vulgari experimento confirmant, quod scil. ubi digito alterutrum oculum deprimimus, illico duplicationem objectorum observemus, ebriique ex solo musculorum ocularium motu depravato, quo alteruter oculus sursum aut deorsum

tra-

trahitur, idem phœnomenon ſæpius experiantur, cum leviſſima etiam & quam vix ſenſu aſſequi licet, declinatio imaginum in retina depingendarum inſignem in viſione inferat diverſitatem; Alii in hac viſus depravati ſpecie unicè reſpiciunt ad humorem cryſtallinum, ejusque peculiare vitium, quod in levi illius à pupillæ centro declinatione conſiſtere prætendunt. Caſum autem heic propoſitum aliam etiam ætiologiam, explicandique phænomeni rationem ſuggerere exiſtimem, ſcilicet à ſolo partium oculi nervoſarum ſpaſmo ac ſpirituum motu per nervos potiſſimum opticos inordinato eandem provenire poſſe viſus depravati ac aucti ſpeciem, quod circumſtantiæ tam ipſius morbi quam curationis in ſuperioribus recenſitæ haud obſcurè docere videntur.

(*Tubinga Auguſtam Vindelicorum d. 25. April. An. 1725. miſſa.*)

SCHOLIUM.

FAcit huc obſervatio ſimilis in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. A. I. pag. 223-196.* recenſita.

OBSERVATIO II.

DN. DANIELIS HOFFMANNI.

Cordis vicinarumque partium prava Conformatio.

PUella 11. annor. Patre Podagrico, Matre verò hyſterica nata, à prima infantia ſana atque vegeta, temperamenti calidioris ac ſiccioris, habitus corporis gracilioris, anno ætatis ſexto variolis in urbe graſſantibus corripitur, benignis tamen, ac ſine gravioribus ſymptomatibus decurrentibus: Ab illo autem tempore Parentes æque ac domeſtici ſæpius obſervant,

vant, filiam hanc vegetam admodum inquieto ſomno noctes transſigere, corpus huc illucque jactitare, & à leviſſima etiam cauſa externa evigilare, frequentiſſimequè cum admiratione, nec ſine mœrore inordinatum ac plane extraordinarium arteriarum carotidum externarum pulſum totiusque thoracis motum poſt curſum præſertim velociorem attendunt: Sub auſpicium anni ætatis ſuæ decimi principio æſtatis febri tertiana corripitur, quæ poſt uſum variorum antifebrilium continuatum principio autumni typum ſuum deſerit, atque inordinate ſine certa periodo ægram afflixit diutius vago decurſu. Hæc ipſa autem febris tam tertiana quam anomala vermibus adſcribebatur potiſſimum, eo magis, cum aliquando in inſpectione excrementorum aliquot lumbrici detegerentur, unde ſepoſitis aliis medicamentis ad anthelminthica properabat mater, ipſique, variis jam fruſtra hactenus adhibitis anthelminthicis, unguentum aliquod coloris fuſci, (cujus compoſitio verò tanquam arcani cujusdam celabatur) umbilico imponendum, ab amica commendatur, cujus impoſitionem & applicationem illico factam hic peculiaris excipiebat effectus, ut, quamvis nullus amplius vermis in excrementis compareret, febris tamen anomala graviterque affligens altera ſtatim die, magno Parentum gaudio, remitteret ac ceſſaret. Decimo vero abhinc die à febre libera & ſatis bene ſe habens, circa veſperam ſubitò de dolore inſigni tenſivo ac lancinante in medio colli lateris ſiniſtri multis clamoribus conqueritur, qui per integram noctem ſubſequentem absque ullo intervallo vel remiſſione continuò affligit: Altero die verſus pectus ejusdem lateris eadem cum vehementia deſcendit, & unà cum tuſſi ſicca, haud parum dolores intendente, pleuritidem ſpuriam mentitur: Remedia antiſpasmodica, nervina, cum pectoralibus mixta externè & internè applicata tuſſim admodum moleſtam ita ſedant, ut ſubſequente ſputi viſcidi albicantis ac ſpumeſcentis exſcreatione aliquot dierum ſpatio planè ceſſaret, dolore interim ulterius verſus inferiora, regionem

nem præſertim lienis, deſcendente, ægramque die noctequе miſere affligente: Hæc autem mira admodum doloris atrocis anomalia ac variatio per octo menſes durabat, ita, ut nunc cum tuſſi, nunc ſine illa nunc in collo, nunc in pectore, cum terribili clamore totam viciniam replente ac moleſtante, nunc in ventriculo, nunc in hypochondriis potiſſimum ſiniſtro enormiter ſæviret.

Vehementiam doloris in pectore ſæpiſſimè unguento pectorali, quo totum pectus illinebatur, una cum eclegmate quodam, infregit: In ventriculo, cum ſæviret dolor, per modum cardialgiæ, maximo cum levamine potum theiformem ex herb. beton, veron. agrimon. aliisque pectoralibus ac viſceralibus plantis toties cum fructu calidè hauſit: Tenſionum verò in ſiniſtro hypochondrio augmentum ac ferociam frequentiſſime preſſione manu forti infra coſtas ſpurias in regione ſcil. lienis ejusque non parte plana ſed ſecante (mit dem ſchneidigen Theil der Hand) impedivit: In omnibus autem hiſce doloribus mirum plane ac inſolitum totius corporis ſitum ac decubitum ſervavit, nunc enim caput antrorſum nunc retrorſum è lecto propendebat, nunc in globum quaſi convoluta ac contracta in lecto jacebat, nunc extra tectum ſtando levamen quærebat, nunc ligneis fornacem cingentibus cancellis mira brachiorum retrorſum verſus torſione ac flexura affixa, tormentis quaſi ſubjecta miſerrime hæſit, nulloque modo nullisque perſuaſionibus ac argumentis ab illis avelli ac dimoveri potuit, obtinens ſcil. non leve à mira illa brachiorum extenſione ac retorſione dolorum tenſionumque levamen; Eo etiam porro nocte præſertim dolorum ſpaſmorumque impetus ægram adegit, ut celerrimè nuda ſæpius magno conatu è lecto proſiliret, adſtantesque mirum in modum perterreret,

In his autem inſignibus ac tantum non innumeris viciſſitudinibus aliquoties fœda quædam ſcabies cum majoribus pus flavum continentibus puſtulis tam in manibus quam pedibus,

dibus,non ſine, levi quamvis, emolumento ac dolorum ſpasmorumque remiſſione prorupit, quæ tamen præter morem fœdæ ejusmodi ſcabiei nimis cito ſiccata, ceſſavit.

Ab uſu per plures ſeptimanas continuato ſucci naſturtii aquatici cum gelatina Corn. Cerv. aliisque remediis antiſpasmodicis pectoralibus ac viſceralibus aliquoties levamen tenſionumque relaxationem ſenſit ægra, ita, ut ob intervalla ſæpius longa ac quieta ſpes parentibus de ſalute ac reſtitutione filiæ chariſſimæ affulſerit, quæ tamen iterum redeunte majori vehementia dolore ac ſpaſmo ſubito evanuit.

Inter varia varii generis remedia tam longo temporis tractu exhibita, tandem etiam ad Eſſentiam dulcem Hallenſem eamque concentratam tanquam ad ſacram anchoram, in ſimilibus affectibus maximè deprædicatam, confugiebatur, à cujus autem continuato licet uſu ne nimium ſolatii ac levaminis obtinebatur, cum è contra vapulans illud multisque inviſum remedium Cortex ſcil. Peruvianus ſæpiſſimè laudabilem admodum effectum præſtiterit.

A nullo autem remediorum in tanta copia ac farragine exhibitorum tam internorum quam externorum evidentius diutiusque durans intervallum, notabilioremque dolorum remiſſionem reportavit ægra, quam ab applicatis vel nuchæ vel brachiorum alterutro veſicatoriis, quæ toties, quoties imponebantur, largam admodum ſeri flavi copiam proliciebant, quorum tamen applicationem ob inſignes ab illis metuendos dolores cum lacrymis deprecabatur, repudiabatque ſæpius.

Urina hoc ipſo tempore morbique decurſu, uti ipſe dolor, mirè variabat, nunc naturali ſimilior, nunc tincta, cum ſedimento bolari, nunc cum mucoſo ac albicante, nunc turbida, nunc clara conſpiciebatur.

Pulſus nunc naturalis nunc celerrimus, tam in quam extra dolorum paroxysmum, nunc tremens ac titubans, nunc tenſus ac plenus, nunc remiſſus ac debilis tangebatur, nunquam

quam tamen, quod mireris, præſertim, ſi miram cordis diffor-mitatem in Sectione cadaveris repertam, inferiusque deſcri-ptam conſideres, vel inæqualis vel intermittens deprehenſus fuit. Alvus tantum non quotidie deponebatur, tardior au-tem clyſteribus variis injectis haud difficulter cedebat; neceſ-ſaria autem hujus libertas eò magis videbatur, cum per totum ferè hunc decurſum inter enormes illos cruciatus appetitus ad cibos vigeret, cum è contra ſitis rariſſimè, ſanguine licet æ-ſtuante, caloreque totius corporis urente, intenderetur, adeo, ut ſæpius ad potum admoneri imò interdum cogi debuerit. Snb initium Menſis Novembris, die quodam, ut ita loquar, apy-rexias, venæſectio in pede aliquot unciarum revulſoria, ac ventilatoria, ægrâ licet extremè emaciata ac tabidè conſumta, adminiſtratur, qui ſanguis eductus in examine laudabilis, flo-ridus, naturalis conſiſtentiæ cum ſufficiente quantitate ſeri de-prehenditur: Eodem adhuc die circa veſperam redit dolor, non tamen adeo vehemens, in regione præcipue lienis tenſi-vus, citiusque quam ſperabatur, iterum remittit; ſubſequente nocte iterum inopinato ægram invadit, ſpatio autem dua-rum horarum præterlapſo plenarie iterum ceſſat. Ab hoc ipſo die, quod omni admiratione dignum, per intervallum at-que inducias decem integras ſeptimanas durantes (quæ ſum-ma DEI fuit benignitas) ab omni planè dolore ac ſpaſmo libe-ra vixit, & ita bene ſe habuit, ut non ſolum functiones con-ſuetas obire, ſed etiam è domo exire, cognatos absque omni moleſtia viſitare, imò, quod maximè mirandum, cum ſociis uti antea curſitare, variisque corporis commotionibus etiam gravioribus ludere potuerit, imo domeſtici non ſemel obſer-vant, filiam hanc ita nunc quietè ac profunde dormire, ut for-tis etiam tumultus, clamoresque infantis in eodem conclavi proximè ipſi adjacentis inſignes impunè tulerit, nec evigilarit, cum antea, uti ſupra notavimus, à levi etiam cauſa expergefa-cta fuerit. Hiſce autem decem ſeptimanis præterlapſis, die Jovis, qui erat octavus Januarii circa veſperam ſubito, quaſi per

incantationem, dolore iterum lateris ſiniſtri corripitur, qui novas ſenſim agens radices paulo poſt ægram,uti antea, graviſſimè affligit,imò omnes circumſtantiæ ſpeciesque dolorum jam intenduntur,moleſtioresque fiunt, tuſſis denuò moleſtat, nunc cum nunc ſine exſcreatione, tenſio thoracis ſpaſmodica ſummè dolorifica creſcit,noctes inſigni clamore ac vociferatione tranſigit, appetitus dejicitur,major laſſitudo totiusque corpuſculi debilitas ſequitur,cum pulſu celerrimo ac tenſo,æquali tamen, urina ſummè tincta nunc cum nunc ſine ſedimento bolari.

Die 12. Jan. Tuſſi hactenus admodum moleſtâ aliquantum remittente aliqualis pedum tumor à digitis ad malleolos ſeſe extendens obſervatur,qui primum diuturnæ pedum è lecto propendentiæ ſituique corporis erecto ab adſtantibus adſcribebatur ,altius autem & verſus genua aſcendens majoris eſſe momenti altiorisque principii ſufficienter oſtendebat: Hic autem tumor continuato remediorum viſceralium aperitivorum uſu ſenſim iterum evanuit, ſubſiſtentibus tamen imò exacerbatis potius doloribus ac tenſionibus tam in pectore quam in hypochondriis, ægram miſerè excruciantibus. Circa medium autem menſis Februarii redit iterum tumor ille pedum œdematoſus, creſcendoque quotidie paucorum dierum ſpatio genua imò & femora occupat, remittente tamen aliquantiſper dolorum ſpaſmorumque ferocia. Die 28. Febr. durus tenſusque tangitur venter, eodemque die de terribili totius abdominis dolore cum conſtanti ejulatu ac clamore conqueritur,adeò,ut deſperabunda quaſi apertionem ejusdem cultro inſtituendam deſiderarit,frequens autem clyſterum injectio & hanc dolorum ferociam aliquantum ſedavit, remittentibus tamen ſenſim manifeſtè ſatis totius corporis viribus, reſpirationeque difficiliore ac graviore facta.Die 3. Mart. manè hipothymia gravior diuque durans accedit, inſtantemque mortem haud obſcurè prædicit,quæ etiam proſtratis omnibus viribus ingruente vomendi conatu poſt meridiem ſucceſſit.

Sectio

Sectio Cadaveris ſequentia obtulit ſcrutanti.

Infimus venter aquæ flaveſcentis libram unam continebat, cujus portio ſtatim aperto illo profluebat.

Omentum ſuperiora verſus retractum, tenue ac laceratum.

Meſenterium multis glandulis ſcirrheſcentibus diverſæ magnitudinis conſpicuum.

Pancreas parvæ nimis molis cum glandulis diſtinctis ac durioribus.

Inteſtina flaccida, vacua, & ab omni verme plane libera.

Lien induratus, ſcirrhoſus, cœrulei coloris extraordinariæ molis.

Hepar inſolitæ magnitudinis cum glandulis ſcirrheſcentibus, bile in veſicula fellea fluida exiſtente.

Medius verò venter iſthæc habuit notabilia.

Thymus major juſto, glandulas ſcirrheſcentes offerens, ad cor usque protenſus, ipſiusque ſubſtantiæ adhærens.

Mediaſtinum & pericardium ſpiſſeſcentia & carnoſa cum cordis ſubſtantia concreta ac coalita, nulla plane cavitate relicta, nulla conſequenter aquâ pericardii præſente ac conſpicua.

Cor ob mediaſtinum, ac pericardium carnoſum, ipſique firmiſſimè adhærens, difformem, majoremque juſto maſſam referens, arctèque cum diaphragmate, quousque illud attingere potuit, maſſa illa quaſi conglutinata connexum.

Auricula cordis ſiniſtra tangebatur, dura, ſolida, ac cartilaginoſa.

Siniſter cordis ventriculus maſſam aliquam, magnitudinem ovi columbini ſuperantem, coloris flavi, pinguedinis inſtar, quaſi polypum adipoſum, aquam flaveſcentem in ſuarum

quasi cellularum membranacearum interstitiis continentem, nullibi adhærentem, sed sponte ex ventriculi cavitate incisâ procidentem, fovebat.

Pulmones turgidi, duri, omnibus partibus vicinis, sterno, pleuræ & costis, diaphragmatique ita firmiter adhærebant, ut non ubique sine cutelli acie ab illis separari potuerint.

Horum lobus sinister in frusta discissus largam materiæ purulentæ fusci coloris, haud tamen fœtentis, copiam fundebat, absque ulla tamen distincta vomica, vel conspicuo ulcere. Ex dextro vero itidem talis purulenta materia profluebat, in minori tamen longè quantitate.

OBSERVATIO III.

DN. D. WILHELMI BERNHARDI NEBELII.

Tumor testiculi dextri scirrhosus tandem medicamentis feliciter sublatus.

CIvis Heidelbergensis consistentis ætatis & temperamenti phlegmatici jam à pluribus annis contraxit tumorem durum totius testiculi dextri, sine inflammatione, & dolore saltem tensivo molestum, qui tamen sensim accrevit, donec ad pugni magnitudinem accesserit & suo pondere quoque molestus fuerit, venis spermaticis varicosè simul distentis. Suasu igitur Medici in auxilium vocati assumsit quavis septimana semel ante somnum pilulas purgantes ex extracto catholico, resina jalappæ & ☿ dulci, quibus multum seri per alvum evacuatum fuit, reliquis verò diebus manè atque vesperi drachmam dimidiam corticis radicum ononidis verno tempore recens collecti & pulverisati cum pauco saccharo ex decocto radicis sarsaparillæ, vincetoxici, ononidis, chinæ & glycyrrhizæ, addito cordice rec. citri, validè hausit; simulque emplastrum

plastrum diaphoreticum Mynſ. de ſapone *Tachen.* & de ammoniaco parti tumenti impoſuit, quibus remediis per quatuor ſeptimanas in uſum vocatis mollior evaſit tumor & una nocte, qua pilulæ purgantes quinta vice aſſumtæ alvum plus quam vicies moverunt & magnam ſeri copiam evacuarunt, penitus diſparuit, ita ut affectus teſticulus altero ſano jam minor apparuerit & cirſocele quoque ſublata fuerit.

(*Heidelberga Auguſtam Vind. d. 23. Maj. An. 1725. miſſa.*)

OBSERVATIO IV.

DN. D. JOHANNIS GEORGII BREBISII

De

Putatitio menſtrui ſanguinis præmaturo fluxu.

Comitiſſa quædam decem annorum conſueverat acus capitatas ex pavimento colligere, intra dentes abſcondere & per plures horas ita continere, quamvis Domina Mater exinde periculum metuens, ipſi prohiberet, virginibusque ad cameram famulantibus commendaret, ut diligenter Comitiſſam filiam obſervarent, an obediret, ſibique referrent; petulans tamen Comitiſſa in mala conſue tudine perſeverabat. Aliquando cum famula ſcatulam acubus capitatis plenam, in menſam minorem nocturnam Dn. Matris deponeret, accurrit filia, pugillum earum depromit, & intra dentes pro more illius abſcondit; quo facto ad Dn. Matrem abit, malitiamque filiæ denunciat; hæc filiam propius accedere, acusque reddere, imo cum factum plane negaret, os aperire jubet; ea tamen alapas metuens, deglutit acus, & poſtmodum à Dn. Matre pro inſonte declarata, prima die triumphum canit, altera vero multum alterata, pallida & mœſta, ciboſque averſans, huc illuc anxia currit, & de cauſa interrogata, de dolore circa ſcrobiculum

lum cordis,postmodum de torminibus circa umbilicum conqueritur. D. Mater suspicans lumbricos, porrigit lac, decoctum cum allio,& cum alleviari se diceret, malè per hoc remedium rem se acu tetigisse credit. Non longe post tormina & dolores recrudescunt immaniter,alioque in loco,scilicet in regione lumbari,cum horrore & æstu, per paroxysmos quasi febriles,invadunt, insuper vomit continuè, propterea calculum renalem adesse statuitur. Ego quæsitus, ex symptomatibus invicem collatis, cum primis ex singulari mingendi conatu,nephritidem judico, & interne primo oleum amygdalorum dulcium cum syrupo de althæa, postmodum decoctum nephriticum Foresti propino, externe vero unguentum ex unguento althea & populeo applicare jubeo,cum successu desideratissimo, nam dolor, æstus, vomitus,aliaque symptomata successive remittebant,& tandem plenarie evanescebant. Decimo quarto post acus deglutitas die famula & in Comitissæ lecto, & in indusio magnas sanguineas maculas observat,& novum phœnomenum Dn. Matri refert; quæ menstrua præmatura sibi imaginans,per literas me vocat,hancque rem uberiori meo examini committit. Cum autem urina simul multo cruore referta esset,in priori thesi perseverabam, mictumque cruentum adesse statuebam; mater verò circa menstrua sollicita clanculùm juscula, foliis melossæ, menthæ, rorismarini, lauri, necnon croco alterata, sorbere jubet. Tandem circa tertiam septimanam, maximo vesicæ tenesmo, partus singularis ex vesica cum urina prodit, pro calculo habitus, magnitudine nuclei dactylorum tenuioris, æruginosus, & subtus pellicula subtili splendens, instar cornu ammonis metallici,levibus longis sulcis distinctus. Ut scirem, qualis sit calculus, malleo contundebam, & sic dehiscebat in aliquot longa frusta, inque apricum veniebant novem acus capitatæ, à Comitissa malitiose antea deglutitæ; ipsa autem postmodum ultro abstinuit à simili vitio, ne majora pericula inposterum incurreret.

(*Rotenburgo ad Tauber. d. 26. April. 1725. missa*)

SCHO-

SCHOION.

ADmiranda hîc eſt DEI in natura providentia, qua aciculæ ſive ſponte, ſive fortuito deglutitæ non tantum per vias urinarias, ſed & alias partes excernuntur. Per alvum autem via compendioſiori rejectæ leguntur in *Miſc. Acad. Germ. Cur. Dec. II. A. VIII.* p. 169. Circa cartilaginem ſcutiformem vero extractæ ibid. p. 143. Optimum vero eſt, ſi ſtatim vomitu rejiciuntur, ut in Dec. III. A. II. p. 255. obſervatum fuit.

OBSERVATIO V.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

Hydropicus feliciter curatus.

REver. D. Alexander Bertoldi, Sacerdos & Civis Ferrarienſis, ætatis annor. 30. doloribus in ventre inferiori ſæpe afflictus, præſertim in dextra abdominis parte, non ſine modica intumeſcentia, quæ dolore ceſſato, evaneſcebat, tandem anno 1724 poſt conſuetum dolorem incidit in hydropem, ex quo morbo velut conclamatum judicarunt Medici. Ad ejus curationem vocatus ego, ſtatim urinæ vias aperiendas ſuadeo, & ſyrupum de althæa Fernelii præſcribo cum ſpiritu tartari & elix. propr. Paracelſi; inde conſului, ut bis in die biberet vinum album generoſum, quod prius ter per cineres geniſtæ tranſcolatum ſit, ad inſtar lixivii; quo remedio uſus, magnam confeſtim urinæ copiam emiſit, cum ſenſibili abdominis detumeſcentia, imò continuato talis remedii uſu perfectè convaluit, cum magna multorum admiratione, ita ab hodie hic Ferrariæ communiter in hydropis curatione tare adhibeatur lixivium. Simliter clar. Fulvius Gherli, Medicus Mutinenſis, amicus meus ſemper colendus in Cent. I. ſuar. Obſer-

Observat. medic. ope talis vini ascititicum liberatum fuisse fatetur.

SCHOLION.

HYdropem tutius diureticis, quam purgantibus curari, non tantum præsens observatio, sed & Dn. Burlet in Observationibus Academiæ Regiæ Scientiarum die 24. April. Anno 1700. communicatis testatur, qui hunc in finem Aquam Calcis vivæ summis laudibus effert, eoque majoribus si cum tinctura metallorum in Chymia rationali, Lugduni Batavorum Anno 1687. in 4. editæ, descripta, misceatur. Parutur autem Tinctura hæc ex stanno & cupro (quibus nonnulli aurum adjiciunt) & dupla portione Reguli antimonii Martialis simul ad iguem fusis, ita enim massa emergit metallica, quam Electrum minerale quidam vocant. Hanc in pulverem tenerum redactam ope nitri & pulveris Carbonum diuturna detonatione in scoriæ speciem, cujus color ad pallide viridem accedit, redigunt. Hæc dum adhuc calet, in pulverem comminuitur & affusa certa quantitate spiritus vini aut juniperi digestioni committitur, sicque emergit tinctura pulcherrime rubra. Hujus duas aut tres uncias permiscebat aquæ calcis vivæ pintæ uni & illius mixturæ quotidie sex uncias exhibebat scorbuticis & hydropicis. Pellit egregiè per vias urinarias & sanguinem valide fundit, Vid. C. I. p. 409.

OBSERVATIO VI.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

Mors subitanea ex forti percussione in regione hepatis.

ANno præsenti mense Julio sutor ira percitus, alium vectorem socium pugno violenter percussit in jecoris regione, post quem ictum mox in terram prolapsus misere exspi-

expiravit. Aperto cadavere, inſtante Fiſco & Curia, extravaſatio ſanguinis in abdomine eſt obſervata, & ruptura vaſorum in hepate, hinc judicatum ex pugni percuſſione mortem accidiſſe. Sic mortem ſubitam ex percuſſa regione ventriculi notavi in Miſcell. noſtr. curioſ. Decur. 2. Obſerv. 12. pag. 386.

(Ferraria Auguſtam Vindelicorum d. 6. Auguſti Anno 1725. miſſa.)

OBSERVATIO VII.

DN. D. JOHANNIS FRIDERICI BAUERI.

Palpitatio cordis ab hydrope pericardii & nimia cordis obeſitate.

AD facilitandùm perpetuum cordis motum, aquam pericardii multum conferre, omnes fere Anatomici uno fatentur ore. Sed tanta requiritur hujus liquoris quantitas, quæ cor quidem humectare, neutiquam vero omne hujus cavitatis ſpatium replere & cor in motu ſuo impedire valet.

Galenicæ opinioni, quod nimia pericardii aqua faciat palpitationem, repugnat Diemerbroek Anatom. L. II. C. VI. & ad propriam ſuam experientiam provocat, quod ſcilicet in omnibus iis, in quibus poſt mortem humoris iſtius majorem reperit copiam, antea, dum morboſi vixerunt, nullam cordis palpitationem, ſed ſaltim pulſum languidum & rariorem obſervaverit.

Nec à copia hujus liquoris tantam pericardii fieri anguſtiam, ulterius argumentatur Autor, ut cor in eo ſe movere nequeat, quin ſemper adeo laxum latumque maneat, ut cor in eo multo facilius ſeſe movere poſſit. Sed pace hujus Celeberrimi Anatomici ab hac opinione recedamus, cum

omnino pro differentia subjectorum pericardii hydrops causa palpitationis esse queat. Quodsi enim saccus ille membranosus ab extravasata aqua adeo extendatur ut ad crepaturam usque fiat turgidus, præterea verò afflictus plethora laboret, mirum non est quod cor in suo motu impediatur & sanguis impetuose irrumpens, ob resistentiam incarcerati liquoris inordinatum & convulsivum motum excitet.

Luculentum exemplum inveni in quodam studioso, qui per multos annos maxima cordis palpitatione vexabatur, omnibus medicamentis ad nauseam usque adversus hoc malum frustra adhibitis, tandem per repentinam hæmorrhagiam à sua miseria liberatus fuit. Post fata in præsentia meorum auditorum cadaver aperui & remoto sterno illico pericardium, quod ad capitis fere magnitudinem erat extensum, in oculos incidebat. Pericardium instar vesicæ vento inflatæ turgidum, cum digito attingeretur, resonabat & ad rupturam erat extensum.

Inciso pericardio aqua flavescens scaturiebat, cujus quantitas vase duarum librarum vix asservari poterat. Evacuato liquore ipsum cor justæ & naturalis magnitudinis in conspectum venit, quod totum pinguedine adeo erat obductum, ut ab initio magnam pinguedinis portionem præsentaret, dum non solum auriculæ sed & tota basis cum cuspide pinguedine erat involuta. Duplex jam causa palpitationis, qua in vita miserrimus ille homo cruciatus fuit, inveniebatur, nimirum aqua, quæ cordis motum impedivit & adeps, qua ordinario naturæ cursu alias hoc viscus destitutum esse solet, quæque adeo cor molestavit, ut non sine incommodo sese movere potuerit; cui denique accessit mortui constitutio plethorica, quare sanguis abundans, dum impetuose per venas incidit, non potuit non inordinatum in corde excitare motum.

OBSER-

OBSERVATIO VIII.

DN. D. JOHANN. FRIDERICI BAUERI.

Pancreas & Hepar corruptum in pingui homine.

UBique fere Physiologi & Anatomici de usu Pancreatis Wirsungii hanc fovent opinionem, quod hujus visceris succus ad chyli massam constituendam adeo sit necessarius ut sine ipsius affluxu alimenta in massam chylosam converti non possint. Simile ferunt judicium de liquore illo amaricante, qui in hepate secernitur & cum succo pancreatico unam subintrat portam ad intestinum duodenum, quod scilicet in secretione & depuratione chyli maximam absolvat operam. Equidem alii, sicuti *Nenterus in Theoria Hominis sani*, speciosis argumentis hanc opinionem dubiam reddunt, illeque demonstrat, bilem in chylificatione parum conferre, sed inutilem & excrementitium esse humorem, qui expellendis fæcibus saltim sit destinatus. Non diffiteor de hac autorum opinione mihi magnum subnatum esse dubium, cum succi pancreatici & bilis officinam in quodam hortulano post mortem plane corruptam deprehenderim, & tamen pinguedinis sufficientem copiam in locis consuetis observaverim. Diu ille hortulanus de summa respirandi difficultate & symptomatibus phthisicis familiaribus erat conquestus, hinc empiricorum opera contentus miseram suam vitam per multos annos sine spe reconvalescentiæ continuavit, usque dum ulterioris vitæ pertæsus miseriam suam cum morte mutavit. Post mortem mihi concedebatur cadaveris dissectio, ubi sequentia notatu digna observavi. Corpus non ita fuit macilentum, prout in phthisicis communiter observari solet, sed potius naturaliter constitutum, dum ubivis pinguedinis sufficiens copia musculorum interstitia replevit. Thorax, cum aperiretur, plura præternaturalia conspectui offerebat.

bat. Pulmonum enim utrique lobi penitus obſtructi & exulcerati fuerunt, quorum dexter præ altero id peculiare habuit, quod quodam craſſo velo ita fuerit incarceratus, ut ad minimum ſe expandere non potuerit. Hæc ſpuria membrana lateraliter pericardio & ſterno, in oppoſita vero parte pleuræ, inferius diaphragmati adhæſit, ita ut, cum hunc pulmonum lobum examinare voluerim, forfice illam ſecare coactus ſim. Similem recenſent caſum *Acta Medicorum Berol. Vol. X. p. m. 74.* de panno peculiari pulmonum lobum ſiniſtrum inveſtiente & coſtis affigente. In infimo ventre nec ullum viſcus naturaliter erat conſtitutum; hepar erat ſcirrhoſum & veſicula fellea non bilem ſed ſanguinem nigricantem grumoſum continebat. Tota Pancreatis ſubſtantia ſimile fatum paſſa eſt; adeo enim fuit indurata ut lapidoſa videretur. Lien nullam habuit prærogativam ſed corruptioni pariter fuit obnoxius.

In meſenterio id notatu dignum occurebat, quod glandulæ, quanquam non ſicuti pancreas, nihilominus tamen naturalibus duriores & majores exſtiterint. Omentum non aliter apparuit, ac ſi ex homine perfecte ſano & integro fuerit deſumtum, cum pinguedo ubique eſſet intertexta. Jam quæritur quomodo chylus laudabilis in hoc corrupto corpore elaboratus fuerit, &, cum bilis & ſuccus pancreaticus chylificationem juvare non potuerint, pinguedo ſit generata.

Verum quidem eſt, quod ad chyli laudabilis præparationem maximopere requirantur liquoris gaſtrici ſcaturigines, quarum inventionem induſtriæ *Bartholini, Nuckii* aliorumque debemus. Poſteaquam ergo materia alimentorum dentium ope comminuta fuit, & humore ſalivali in pultaceam maſſam reducta, neceſſe eſt ut in ventriculo ulterius affluente undique menſtruo ventriculi, aſſumta ſolvantur & denique in inteſtinis & cumprimis inteſtino duodeno, in quod bilis & ſuccus pancreaticus ſe exonerant, vera digeſtio peragatur.

Quili-

Quilibet itaque perpendat, quæ ſit cauſa, quod nulla in inteſtino duodeno inveniantur vaſa lactea, cum non dum chylus ibidem ſit perfectus. Cum vero in inteſtino duodeno chylus ſuam acquirat perfectionem, & rivi vel plane nulli vel impuro inſerviant latici, qui tamen chylificationem abſolvere creduntur, ad aliud menſtruum gaſtricum erit reſpiciendum. Ipſe primo ventriculus tale generat menſtruum, quod aſſumta diſſolvit & digeſtionis fundamenta ponit, quæ digeſtio, ne nimis maturè abſolvatur in inteſtino duodeno continuatur. Cum autem neque bilis neque ſuccus pancreaticus, in hoc ſubjecto alimentorum ſolutioni inſervire potuerint merito cum *Joh. Conrad. à Brunn*, alii fontes quorum ſcaturigines in hoc inteſtinum ſe exonerant & defectum ſucci pancreatici reſarciunt, erunt inveſtigandi. Citatus autor in peculiari tractatu de Pancreate ſecundario ſeu glandulis inteſtini duodeni demonſtrat, innumeras glandulas ad elaborationem hujus laticis deſtinatas eſſe, ita ut Pancreas denſa glandularum ventriculi & inteſtini duodeni congeries appellari poſſit. Quæ cum ita ſint non à ſcopo quis aberrabit, cum rationem chyli laudabilis & pinguedinis in hoc individuo unice in harum glandularum vicario munere quærat. Veritatem hujus aſſerti illa corroborat obſervatio, quod canes pancreate ſpoliati, vegeti & ſani nihilominus vivant, dum ſcilicet pancreatis exciſi officium, alterum pancreas, ut cum Brunnero loquar, per tunicam duodeni explicitum, in ſe ſuſcipiat & defectum reſarciat, ita ut chylus & ex hoc pinguedo elaboretur.

OBSERVATIO IX.

DN. D. JOHANNIS FRIDERICI BAUERI.

Dentes in vetula ſexagenaria renati.

CIrca annum ætatis vigeſimum quartum, ſextum, aut trigeſimum duos adhuc dentes molares prorumpere &

dentium numerum abſolvere tota die contingere experimur. Paulo rariores ſunt caſus, quod ſenibus dentes renaſcantur, cujus rei poſſibilitatem tamen *Joubertus in Apolog. Paradox. VII. Decad. II.* demonſtrat, dum refert, quod anui nobili circa annum ætatis ſeptuageſimum, plures renati ſint dentes.

Similem obſervationem *Rhodius C. I. Obſ. 94. Ariſtoteles hiſt. animal. L. II. C. 4.* aliique plures memoriæ mandarunt. Mihi nota eſt mulier, quæ bis in ſenectute dentire cepit: primum anno ætatis quinquageſimo ſeptimo magna & atrocia paſſa eſt ſymptomata, nimirum dolores totius capitis enormes, quibus poſt aliquot dies ſe adjunxit faciei Eryſipelas, ophthalmia & febris ardens, ita ut hujus mulieris ſtatus valde periculoſus videretur. Dolores & æſtus eo perdurarunt, quo usque novus dens inciſor per gingivam proruperet & eroſi dentis radicem exturbaret, quo facto omnia illa periculoſa ſymptomata remittebant. Anno ſexageſimo tertio eandem mulierem recenſita ſymptomata repetita vice exercuerunt, inſimul vero dentem molarem carioſum cum omnibus ſuis radicibus novus dens expulit & locum ipſius occupavit. Quod mirum, tam caninus quam molaris dens, qui ambo carioſi & corrupti fuerunt, ſuas radices in alveolis non reliquerant, ſed corroſas eaſdem, novi progerminantes ante egreſſum extruſerunt, ita ut exinde neutiquam *Diemerbroekio Anat. L. IX. C. X.* ſit applaudendum, quod in ſenibus dentium regeneratio hoc fiat modo, quod licet dentium baſis, extra gingivas proſtans, fuerit eroſa, tamen radices remaneant integræ & illæſæ, ex quibus poſtea novi emergant dentes. Potius dicta obſervatio comprobat, quod dente licet cum tota ſua radice evulſo nihilominus, utut raro contingat, novus dens generari poſſit.

(*Lipſia Onoldum, d. 15. Decembr. An. 1725. miſſa.*)

SCHO-

SCHOLIUM.

QUomodo dentes hi in senibus (quos dentes sapientiæ vulgò vocant) generari possint, haud difficulter hodie explicari potest, postquam Anatomicus quondam Celeberrimus *D. Rau* in embryonibus tot dentes secundarios, ceu totidem seminia, in cavernulis dentium observavit, quod primarii (sub quibus latent) erumpunt. Quodsi à teneris unguiculis unus aut alter tamdiu in cavernulis remaneat, nec cum aliis circa annum septimum (quo primarii ordinario excidunt) eruperit, fieri potest, ut in senectute tandem in apricum prodeant, cumprimis si primarii cariosi fiant & excidant, prout aliquot abhinc annis in *Odontologia Anatomico-Medica* seu *Disp. de vacillatione, casu & palingenesia dentium cap. II.* §. *1. p. 10.* ostendimus.

M. B. V.

OBSERVATIO X.

DN. D. FRID. JUSTI HEIMREICHII.

Arsenicum album diapasmatis loco capillis inspersum, nocumentum, documentum.

JUvenis viginti annorum in platea cucullum, seu papyraceum quoddam tegumentum pulveris albi plenum, & probe munitum reperit, quod secum portat, & domum reversus matri exhibet, quæ pulverem capillis inspergendum, & ad alborem illis conciliandum aptum & destinatum (Haar-Poudre) esse contendit, filioque suadet, ut eodem ad capillos apte componendos & dealbandos utatur, sperans, fore ut orationem valedictoriam, sequenti die, habiturus, compareat in Auditorio capillis exornatior & comptior. Juvenis matris voluntati obsequitur, totum capitis ambitum, capillis obsitum, abunde hoc pulvere exornat seque

ſeque in ſcholam conferens reliquis valedicit. Mox vero dolores graviſſimos ſentit, & in facie puſtulas ardentes, fertiliore ſegete exſurgentes, dolet. Oratione finita domum revertitur, & unguento de pomis, quod pomade inde dicere moris eſt, inungit, quo facto, malum incrementa ſumit, & totius capitis intumeſcentia intolerabilisque ardor cutis capillis ſubjacentis ſequitur, ambitu puſtulis refertiſſimo. Parens, virus pulveris capiti inſperſi ſuſpicatus, odore ejusdem qualitatem detegere conabatur, & ſtatim naſi tumorem, cum dolore & rubore reportabat, atque hinc de venenoſa qualitate pulveris modo dicti albi cogitans in Filii gratiam Medici auxilium implorabat, qui lacte caprino tepefacto, capitis ambitum abluere jubebat, aliisque medicamentis, tum externis, tum internis malo ut reſiſteret, annitebatur; impedire vero non poterat, quin cruſta digiti craſſitiem æquans, cum capillis maſſam compactam formans & caput inveſtiens, ſeſe oſtenderet, quæ elapſis aliquot ſeptimanis propoſitis remediis ad malum requiſitis, ſeparabatur, & ſanationem plenariam admittebat, relictis in facie maculis ſubfuſcis. Confirmat hæc obſervatio Arſenici externe adhibiti virus, de cujus, interne uſurpati, noxis, plures obſervationes legimus in ſcriptis *Sennerti*, *Timæi*, *Salmuthi*, *Hochſtetteri*, *Gækelii*, *Salæ*, *Ammanni*, *Valentini* & aliorum. Enimvero negari non poteſt interdum ſine vitæ periculo magnas doſes deglutiri, quod Cardanus, exemplo perſonæ quæ Arſenici ʒj. devoraverit, nullamque noxam ſenſerat, oſtendit, ſicut ſimiliter huc referri poteſt mulier cacochymica & habitus corporis obeſioris, & tantum non obeſiſſimi, quæ notabilem portionem Arſenici, in potu Thee dilutam, hauſerat, & per 24. horas continuis vomitibus, cum clamoribus horrendis conjunctis, excruciabatur, & his ſeſe remittentibus, artuum tremorem reportabat, quem pedum paralyſis ſequebatur, & quod obſervando notatum, continuo alexipharmacæ cujusdam Eſſentiæ uſu tollebatur. Plura, perſo-

personarum, quibus ex Venenis assumtis maximum periculum, quæque feliciter sanitati fuerunt restitutæ, exempla passim prostant, in quibus sunt ea, quæ *Dn. D, Preussius* in puero, & *Dn. D. Vesti* in certa quadam familia ostenderunt.

Non minus usus Arsenici in substantiâ exhibiti in febribus intermittentibus est notissimus, cujus modestam excusationem in Celeberr. *Slevogtii* Prof. Jenens. *Propemptico inaugurali legimus*; nec me fugit Empiricus, qui per praxeos tempus ultra 15. aut 16. libras consumpsisse dicitur, quamvis suo hac in re versetur periculo, à quo plures non abesse, quotidiana & sæpe tristis testatur experientia. Confer *Act. Medicor. Berolin. III. p. 29.* ubi de febrifugo Chirurgorum certissimo ac nequissimo agitur. Quemadmodum nec Arsenicum externe, ut Amuletum in Peste usurpatum magnum meretur applausum. Medicus enim Gallus *Guibertus* tale remedium ex ignorantia Linguæ Arabicæ in Scholas Medicorum irrepsisse ostendit, in qua Sandarach Cinamomum sonet, minime vero ex sententia Græcorum, Arsenicum rubrum vertendum est. Sed ne excurram longius dijudicanda potius hac occasione controversia, an Arsenicum inter psilotra locum habere possit? de quo tamen, ob rationes facile conjiciendas, & ob hoc, quo deterreor, exemplum, non immerito dubito. Quamquam enim Auripigmentum cum Calce viva (quod *Ill. Wedelius in Epistola ad Per-Illustr. Maurocordatum*, & alibi, pro Rusmate Turcarum habet) ut Psilotrum, ad depilandas partes adhibeatur, hoc tamen venenorum numero fere eximitur, allatis rationibus facile vincentibus, ab *Ill. Hoffmanno* Consil. Aul. Borussi. *in Obs. Chimicis lib. III. Obs. I.* atque hinc quod in Auripigmentum valet in Arsenicum convenire nequit. Denique paucis adhuc quæstionem tango an Metallum, præcipue Cuprum, interventu Arsenici dealbatum, vel etiam alia ratione argenti ipsius connubio nobilitatum, ac uti tradunt *Annal. Med. Phys. Wratislav. Ludovicus à Comitibus in Metallurgia &c.* in patinas, orbiculos, cochlearia formatum,

matum, nocivam & deleteriam in corpus humanum exerceat qualitatem? Quæstionem hanc intuens, inficiari nequeo, ut pluribus metallis, sic & cupro, vim inesse nocivam, quam sufficientissime monstravit Celeberrimus Altdorffensium *Prof. Dn. D. Schulzius in Dissert. Mors in Olla*; quatenus vero de adjecto Arsenico sermo est, hujus vim venenosam plenarie cicuratam esse, crediderim. Quem enim fugit Arsenicum sibi relictum, per fixationem & ignis torturam reddi innoxium, qualem modum Vir immortalis memoriæ *Illust. Dn. D. J,M. Hoffmannus* Consiliarius Aulicus & Archiater Onoldino-Brandenburgicus, Academiæ Nat. Cur. Director &c. *Actis laborat. Chem. Altdorff.* libro, qui in-& extra Germaniam summis laudibus ornatus, & in præcipuis Academiis prælectionum fundamentum ponitur, tradit, quod idem illud omnes Chimici ac Practici ex quibus *Helmontium*, *Ettmüllerum*, *Stahlium, Bonetum, Wedelium, Schræderum, Zvvingerum & Vaterum* nominabo, affirment. Nonne Chirurgi Arsenicum fixatum in Ulceribus cacoëthicis & cancrosis cum fructu adbibent? Nonne hoc est illud Arsenicum fixatum, quo Rhefeldius Lepram, teste Michaele in MSC. de Morbis externis, curavit? Hæc, & plura alia me inducunt, ut credam, Arsenicum ad dealbanda metalla adhibitum non solum plenarie fixatum & particulis volatilibus corrosivis, noxiis orbatum, sed etiam per partes metallorum disseminatum, iisque adeo sepultum esse, ut nullam noxam, hac ratione, corpori humano inferre valeat.

OBSERVATIO XI.
DN D. FRIDERICI JUSTI HEIMREICHII.
Ruptura Oculi cum fragore.

RUpturarum in humani corporis partes valentium varietate adeo conferti sunt Medicorum libri, ut earundem illarum Curationes, in Chirurgicis libris peculiaria capita constituere soleant. Inprimis Rupturæ Ligamentorum

torum, Tunicarum, Vasorum, sunt frequentissima, *à Boneto in sepulchreto* aliisque notata. Paulo rariores sunt Viscerum rupturæ, quas tamen obsetvando notarunt Medici, Hepatis v. g. *Glissonius*, Lienis *Tulpius, Fontanus, Bohnius*, atque *Eyselius*, Uteri *Faschius*, Vesicæ felleæ *Salmuthus, Bertinus, Bentvenius*, ac *Fr. Hoffmannus*. Ex Vesicæ Urinariæ ruptura mortuum fuisse legimus oculatissimum illum Astronomum *Tychonem à Brahe*, cum Pragæ Rudolphi II. Imperatoris mensæ admotus, ab urina exitum moliente premeretur, & ut pudori consuleret, discedere & Vesicam levare dubitaret. Et licet non desint, qui hoc in dubium vocare sustinent, eosdem tamen convincere potest ruptura Vesicæ Urinariæ in Bove *à D. Ledelio* Viro celeberrimo, & in Equo, à Parente, *D. D. Johanne Heimreich* Professore Med. Phys. ac Lingv. Orient. Coburgens. notata: quemadmodum & paucas ante hebdomadas in Equo non castrato, robusto, avena quam devoraverat, referto, & ab auriga in valde acclivi viæ parte, ad trahendam magnam molem concitato, adeoque vires ultra modum concitante, observavimus. Intestinorum rupturam in Juda proditore contigisse docuit *B. Wedelius Exercit. Med. Philolog. Dec. I. Exerc. 1.* Simile fuisse fatum Arii Hæretici, idem ille *Wedelius l. c.* vere videtur posse contendere intuens imprimis ea, quæ *Athanasius Disput. I. contra Arium pag. 30. Tom. I.* & alibi, ex relatione præsentis *Macarii* Presbyteri scribit *Epist. ad Serap. p. 523.* Ego ipse multis spectatoribus comitatus, de duorum patibuli supplicio, hybernis mensibus, affectorum pedibus, eo quo æquinoctium vernum imminebat tempore manare vidi, qui fluxus per aliquot dies continuavit, hoc nonnulli capillarium vasorum Rupturæ deberi contendunt. Spontaneam Venarum aperturam in pedibus eorum, qui Venæsectionibus, quibus erant adsueti, neglectis, longius tempus insumserunt, à personis fide dignis accepi sæpius. Sed & rupturas in oculorum tunicas valere, & audito fragore fieri posse, sequenti exemplo ostendam. Fœmina quadraginta

circiter annos nata, eo, quo mensium fluxum patiebatur tempore à bove cornu suo pudenda ejus feriente, & levem contusionem inferente subito perterrita, mensium, nullo per octo hebdomadas indicio sese prodentium, suppressionem experiebatur. Horum fluxum ut promoveret, quartam mensuræ Vini partem, in ollam cupream indit, & elapsis 24. horis, illam epotat; quo facto menstrua nimium fluere incipiunt, sed procedente tempore imminuuntur, & tam quantitatis & qualitatis, quum temporis ratione vitium ostendunt & fœminam valetudinariam reddunt. Nam vitiosum sanguinis motum versus caput observat, & de variis ex sanguinis accumulatione ortis symptomatibus conqueritur, tandem inflammationem oculi, patitur, ad quam depellendam, balneator quidam cataplasma ex repellentibus & actu frigidis paratum, oculo imponi jubet. Fœmina morem gerit, statim vero dolores exacerbatos, & paulo post majorem oculi tumorem & ex orbita prominentiam sentit, nihilominus tamen remedii applicationem, meliora sperans, patienter continuat, donec præterlapsis fere viginti & quatuor horis, cum maximo terrore, doloribusque gravissimis rupturam oculi cum fragore distincto & notabili experitur, & effluentibus statim humoribus, aqueo, crystallino & vitreo, tunicisque disruptis concidentibus, & versus caput recedentibus, visu plene privatur. Eventus hujus rationem nullam videmus planiorem, quam elasticitatem & orgasticam vim humorum in oculo contentorum. Notum enim est, omnes humores in corpore humano esse ad elasticitatem aptos, eandemque accedente imprimis calore ostendere, quo mediante rarefiunt, expanduntur, & receptacula distendendo amplius spatium affectant, & maxime ex his ipsis ii, quibus aër copiose permixtus est, quod tam Experimentis physicis, quam Experientia in sano & morboso statu confirmatum est. Frigus vero coarctare, & constringere poros, exhalationem insuper impedire, à nemine in dubium vocatur. His positis apparet, quod

quod oculus à ſanguine ad caput congeſto, accumulato & rarefacto, & turgidus non ſolum redditus, ſed etiam humor aqueus cum aëre in poris ejus latitante rarefactus fuerit, & majus ſpatium occupaſſet, niſi actu frigida & repellentia impoſita, fatalem antiperiſtaſin effeciſſent, quippe quæ a) Calorem, ut cum Phyſicis loquar, ita coercere ac cogere in ſe ipſum poſſunt, ut ſenſibile virium ſuarum augmentum inde nanciſcatur; b) Inflammationi quæ ſuppurandi potentiam habet, ad actualem ſuppurationem viam munire; c) poros conſtringendo exhalationem cohibuerunt, & ea re humorum orgaſticorum, per tranſpirationem inſenſibilem imminutionem, impediverunt; d) fortaſſe etiam muſculis & fibris ciliaribus, (quæ ex ſententia *Rohaultii in Tract. Phyſico P. I. Cap. XXX. & Sturmii in Matheſ. Juvenil. p. 23.* oculum in ſtatu ſano, pro viſibilium objectorum vicinitate elongare & abbreviare valent) conſtrictionem & inde dependentem preſſionem induxerunt, ut oculo humoribus copioſis ac rarefactis repleto, & exhalatione impedita, circumſtantiis dictis concurrentibus, ruptura ſonora & humorum omnium effuſio potuerit evenire. Quod eo facilius conceptu erit, cum in Macrocoſmo ſtupendos elaſticitatis effectus videamus, nihil dicam de innumeris Experimentis in Phyſica experimentali inſtitui ſolitis, ſaltem ferri, chalybis & aliorum metallorum, facilius hyberno quam æſtivo tempore ſuperficie conſtricta & medio adhuc expanſo, ad rupturam proclivium, Vitrorum elaſticorum, aqua frigida accedente, juxta communem ſententiam, materiam ſubtilem expandendi vi præditam, includentium, vel ex ſententia *Sturmii in Col. Curioſ.* aliorumque, nimiæ particularum vitri ſtricturæ obnoxiarum mentionem faciam, quæ ſupra dicta fortaſſe confirmabunt. Ne autem unum inter ſupra memorata præſuppoſita, nempe exhalationem prohibitam concurrentem, gratis aſſumſiſſe videar, *Ill. Hoffmannum Halenſ.* ducem ſequor, qui ſpasmos flatuum cauſſas eſſe contendit in canalibus inteſtinorum, quatenus poros

tunicarum inteſtinalium occludant, ut vapores libere tranſpirare nequeant, & inde vi ſua elaſtica, canales diſtendunt, vid. *Idea Fundament. Med. cap. IV.* quod in oculorum tunicas pari modo valet. Quid? quod cernimus frigidorum effectum conſtrictorium & reprimentem præſentaneum, in palæſtris, ubi non raro contuſiones & ſugillationes oculorum obſervantur, quæ antevertuntur per momentaneam applicationem globuli Cæſtus (Rappier-Knopff) accedente leni preſſione qua pori coarctantur, ut ſanguis affluens & ſugillationem minitans, vel ingreſſum non inveniat, vel reprimatur. Quamvis vero in Caſibus levioribus hoc fieri poſſit ac ſoleat, in gravioribus non una opus eſt cautela, ut docet Celeberr. Jenenſ. Prof. *Dn. D. Teichmeyerus in Diſſertatione de Repellentium notis.* His annectere placet quæſtionem curioſam de Viſu, amiſſis licet humoribus reſtituendo, quod cum magna veriſimilitudine Kerkringius in ſpicilegio anatomico, & *Burrhus in Epiſtola ad Bartholinum*, docuerunt, confirmatumque fuit per obſervationem *D. D. Segeri* Practici Stutgardenſis, quam Celeberr. *D. D. Heiſtero* communicavit, & hic in *Chirurgia* protulit, magisque corroboratum viſum fuit per illud Pariſiis obſervatum exemplum, ubi homo viſum retinuit humore cryſtallino amiſſo, præſertim cum & *Nuckii* tentamen accedat, qui humoris vitrei portionem prominentem abſcidit, magma ex albumine Ori, aqus roſarum, bolo Armena & Camphora paratum applicavit & viſum reſtituit. Hæc licet ita ſint plurima tamen remanent dubia, quo minus oculi humoribus omnibus amiſſis Viſionem reſtitui poſſe admittamus; nam ipſe *Kerckringius de Burrho* affirmat, reſtituiſſe quidem humores in oculo canis, eundem tamen cœcum manſiſſe, quemadmodum & *Kerckringius* ſe ejusmodi artificium poſſidere jactavit, ſed revelare noluit, quod eo minus mirandum, quo majoribus tenebris involvitur, judicante *Wedelio in Amæn. M. M.* Experimentum Segerianum quod attinet, ſpeciales circumſtantiæ deſiderantur. In Experimento

mento Nuckiano humoris cryſtallini defectus non fuit notatus, inſuperque omiſſæ ſunt variæ notatu dignæ circumſtantiæ, nec extra dubitationem ſunt poſitæ relationes, cum per modernam experientiam non confirmentur, nec principiis Phyſico-Mathematicis ſpeciatim opticis ſint conformes, & non niſi rariſſimis exemplis, quale in *Cl. Thumigii* Verſuchen von Erläuterung der merckwürdigen Begebenheit in der Natur, de Viſione per Naſum reperimus, ſtabiliantur, & forte fallaciam non cauſſæ ut cauſſæ, ſalvo tamen, rectius ſentientium, judicio, involvunt. Interim reſtitutionem humoris aquei neutiquam nego. Notiſſimum enim eſt, eundem per ductus à *Nuckio* inventos augeri poſſe, uti hoc non ſolum ſufficienter declarat, ſed etiam Exempla humoris reſtituti proponit, medicamentaque naturæ virtutem adjuvantia, deſignat, ſpeciatim albumen ovi, Bolum Armenam, Camphoram, ▽ roſar. & plantag. laudat. Quod & alii Medici norunt, quem enim fugit oculos egregie adjuviſſe Heerium per ſuccum veſicularum Ulmi, *Burrhum* per ▽ Chelidon. m. &c. *Majorem* per fel humanum deſtillatum, *Wedelium* per liquorem ex humoribus oculi bovini deſtillatione paratum, *Rolfincium* per aquam Calcatrippæ. *Angelus à Sala* methodum, ex ♀ bracteat. cum vino malvatico liquorem viridem parandi, docet, haud contemnendum, quippe cujus ope, in Juvene & Concionatoris uxore, Norimbergæ Ann. 1610. miranda effecit. Sed & mihi nota eſt aqua ex Cichorio parata ſecretiſſima, in pluribus oculi affectibus utiliſſima. Dubium ſolummodo ſupereſt, de reſtitutione humoris cryſtallini, ex meris lamellis vaſculoſis compoſiti, & Vitrei veſiculis ſubtiliſſimis & Vaſis neuro-lymphaticis, ex obſervatione Anatomicorum oculatiſſimorum, ſpeciatim Hovii, conſtantis, ita ut illo reſtituto, Viſus reſtituatur.

(*Coburgo Onoldum d. 30. Decemb. An. 1725. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XII.

DN. D. GODOFREDI KLAUNIGII.

Tumoris strumosi medela in Mercurio.

PAtrocinium Lue venerea infectorum in se suscipere videtur *Jacobus Vercelloni, Pedemontanus,* dum in libro *de Pudendorum Morbis & Lue venerea An. 1716. Astæ edito* probare nititur, ex pura Venere impuram nasci, & sanos Conjuges, si partibus Venerem spectantibus, nimis sæpe Coitum exercentes, abutantur, contrahere ex munditie sordes; ex his earundem partium labes & ipsissimum Malum Neapolitanum. Vereor autem ne cadat Causa Causæ hujus Patronus, si in Foro Medico, Judice Experientia & Ratione, jus dicatur, & secundum æquitatem feratur sententia. Conantur equidem non raro Medicis imponere fœda hac Lue conspurcati, Asylum nequitiæ mox in hac, mox in alia ficta morbi causa quærentes, ut fuco declinent perpetrati Criminis Opprobrium. Verum talpa cœcior esset, qui Medicus in Praxi exercitatus non manibus palparet meridionalis à septentrionali scorbuto, quo ut plurimum nefandæ Veneris spolia occultare intendunt, differentiam, postquam illius Miasma secundum symptomata, huic Contagio propria, accuratiori Mentis trutina examinare licuit, nec facile accedet illorum Opinioni, qui Syphilidem absque Contagio gigni statuunt. Inconcussæ certe Veritatis censetur, peculiarem penitus esse Veneni Venerei Causam & indolem, prout etiam ulteriori non indiget probatione, ipsius in hydrargyro latere Antidotum verè quidem specificam, sed multis aliis pariter gravissimis Morbis, quibus cum Veneris nullum intercedit commercium, communem. Tædiosum foret repetere morbos Mercuriali Cura sæpius victos, quorum è numero sunt: Anasarca, Febris quartana, Scabies, Podagra, Malum Hypochondriacum, Cephalalgia

gia pertinacissima, Paralysis, Epilepsia, Vertigo, Corpulentia nimia, Mensium Obstructio, Fatuitas, Ulcera Cacoëthica & alii ab Observatoribus passim recensiti & in *J. D. Isaaci Diss. de salivatione Mercuriali aliis, præter Luem Veneream, morbis rebellibus exstirpandis, pari, sub Præsidio Magnif. Stahlii Halæ Sax. An. 1710. habita,* satis nervosè collecti. Phthiseos scrophulosæ Cura, quæ ex Voto mihi successit, sibi locum vendicat in *Nosocomii mei Charitatis Spec. I. Hist. 2.* Huc etiam spectant Oculorum Vitia per Salivæ profluvium ope Mercurii excitatum, curata, eorumque exempla Oculis nostris se offerunt in modo laudata Dissertatione *devenerandum nostrum Præceptorem A. Q. Rivinum* allegante, qui Guttæ serenæ utriusque Oculi Salivatione Medelam dedit, qualem etiam præstitit *Celeberr. Helsterus (teste G. P. Vogtii Dissertatione de Amaurosi Salivatione curatâ, Altorfii 1713. ventilata)* Mulieri 46. annorum, judicans serum viscidum in tubulis nerveis stagnans, adjuvante Mercurio, tenue & fluxile esse reddendum. Non minori felicitate *Centurioni Batteville* diuturna Cæcitas sublata fuit pharmico Mercuriali ad gr. j. quotidie per Nares assumto, cujus, ex Relatione Boyle, *Thom. Bartholinus* mentionem facit *in Epist. Medic. 92. Cent. 4.* pharmici præparationem sequentem communicans: ℞. Mercur. vulg. q. p. fiat per oleum Vitrioli efficacissimum præcipitatio, unde Spir. Vini semper recens vicies quinquies destillatione evocandus. Ut reliqua taceam, sufficiat indicasse, hydrargyrum utramque facere paginam in quibusvis Morbis, quorum fomes consistit in viscidâ humorum Dyscrasia, quam attenuare ac radicitus corrigere pollet. E Diametro vero contrarius est morbis à volatili acrimonia & Salium lucta dependentibus, ut non mirum sit, in vagâ Arthritide, præter alios, meo in Thoro Antecessori mortem accelerasse salivatioriam Curam, cujus funestum successum exhibet *celeberrimus Christ. de Helvvich in Ephemer. Dec. III. an. 7. & 8. Obs. 7.* & consentientem habet *Perillustrem Præsidem Schræckium,* rejicientem, turgescentibus humoribus in Arth-

Arthritide vagâ, hanc Methodum, ut periculi plenam, vid. *Scholion ad obs. 120. Clariss. Dolæi Dec. 2. an. 4. Ephemeridum nostrarum.* Exinde etiam illis, quos scorbutus calidus, antiquis Fahren dictus, vexat, Cura Mercurialis nunquam non maximum infert damnum, ipsemetque in Praxi meâ aliquoties didici, cum ejusmodi scorbuticis cogerer provocare Mercurio salivam, salia acria, accedente hydrargyro, reddita fuisse longè acriora, & symptomata, quæ vagos, & instar Carbonum candentium urentes exprimunt dolores, multo atrociora. Prioris Energiæ memor, nullus dubitari herculeum tale Remedium opponere Tumori strumoso viscidam humorum Dyscrasiam præsupponenti, nec habeo, cur me pœniteat hujus Curæ, quam sequenti in casu communicare lubet.

Vir litteratus, Temperamenti phlegmatici, in Juventute subinde se voluptatibus, liberæ studiosorum Genti nimium acceptis atque gratis, dederat, nec, virilem ætatem attingens, Crapulæ illecebras adspernabatur. Cum anno ætatis 40. Officii Causa Iter hyemali ac nebuloso aëre suscepisset, redux expertus fuit circa interiora faucium dolorem lancinantem & distendentem inprimis in deglutitione, molestum. Chirurgus, cui fauces inspiciendi atque examinandi demandabatur facultas, omnia optime constituta pronunciavit, ut tamen aliquid egisse videretur, Gargarismatis usum commendavit. Aucto interim dolore, eoque Aures insimul occupante, post decimum diem iterum admissus fuit Chirurgus, qui demum aliqua inflammationis indicia observans, huic Gargarismata linimentaque, & dextræ Parotidi dolenti modoque tumenti Cataplasmata applicanda judicabat. Attamen hisce subsidiis integro Mensis spatio parum effecit, usque dum descenderet ad Decoctorum ex lignis & laxantium usum, quibus Curæ felicem Colophonem addidisse videbatur. Sed ecce! redeunte sequentis anni Augusto apparuit sub inferiori Maxilla versus dextrum Colli latus durities instar pisi, quæ cum Lunæ phasibus mutationes subiens, & augmentum, & cum dolore

lore versus genam, quasi fugitivo, decrementum sumebat.

Deerat aliàs omnis sensus huic Tumori, & successive ipsi tanta accessit Moles, quæ modò Ovi anserini magnitudinem excedebat, & decrescente Luna parum postmodum diminuebatur. Hinc perterritus, meritoque metuens deformis Æger, ne Tumor indiens crescens, qui jam inter scribendum, dum Caput flectebat, impedimento erat, aliquando Gulam comprimat, Medici ordinarii atque Chirurgi Auxilium efflagitavit, verum uterque, ille scilicet rem flocci pendens, hic spiritum nervinum pro linimento suadens, ansam præbebat adquærenda Consilia magis seria. Ipsemet meditabatur ferrum & ignem, quorum electionem ex meo dependere voluit arbitrio. Arbiter itaque constitutus utrumque, si non frustraneum, ancipitis certe aleæ, & periculosum, non potui non, quin pronunciarem, & quidem maturationis per caustica instituendæ negotium ob Ulceris Cancrosi metum, excisionem autem nullius fructus, cum Dyscrasia humorum viscida mox in Parotide, mox in sublingvalibus infarctus & obstructiones causans, quis non crederet, eam intra breve tempus, exciso licet hoc tumore, alibi similem iterum effectum producturam esse? Quapropter de Remedio totius Massæ humorum lentorem atque visciditatem corrigente & attenuante sollicitus, in Mercurium incidi, quem tanquam Myriotechniten in deobstruendis Glandulis, & præcavendis, ne in his novi fiant decubitus, iterum iterumque commendare haud hæsitavi. Huic Consilio assentiens Æger, accinxerat se Curæ salivatoriæ die 19. Januarii, quo primam Mercurii dulcis dosin assumens, prætérlapsis duodecim diebus à tribus drachmis & uno scrupulo prædicti Mercurii nihil incommodi sentiebat, si excipias primis diebus liquidiorem alvi dejectionem mox diascordio Fracastorii impeditam, ut hâc ratione Mercurii vivi inunctiones interponere consultum duxerim. Ne autem circa Unguenti præparationem mihi restaret dubium, malui eligere

 simpli-

simplicissimum ex Axungiâ porcinâ & hydrargyro unicè compositum, sequntus *Sydenhamii* hypothesin, statuentis *Opuscullor. p. m. 426. oleosa &c. simili Unguento addita energiæ frænum injicere, uti Carminativa Catharcticis.* Attamen & hâc methodo, cui unciam semis Mercurii currentis impenderam, frustra fui operatus, & nullo penitus salivationis vestigio apparente, ex Ægri petito, priori Viæ insistere erat constitutum. Revocabatur iterum Mercurius dulcis in usum, quem innoxiè ad diem 16. Febr. adhibere licuit, consumtis ejus drachmis quinque & dimidiâ. Nonne obstupescendi datur occasio, tantam Mercurii interne pariter atque externe Corpori communicatam quantitatem ad commovendam salivam ejusque fontes aperiendos minime fuisse capacem? Imo ne quidem Gingivarum intumescentiæ, vel inflammatio, aut fœtor putredinosus, nec Capitis dolor, verbo: toto Curæ Cursu nulla penitus occurrebant symptomata de assumto Mercurio testantia. Recordor *Observationis Ephem. D. 3. an. 9. & 10. à J.C. Menzelio* communicatæ, quæ sistit Lue venereâ affectum duodecies enormiter ungvento Mercuriali inunctum, cui pariter nulla Gingivarum aut faucium intumescentia, nec Salivæ profluvium excitari potuit, exinde autem adeò debilis & emaciatus reddebatur, ut singulis momentis putaretur mori, &, quod notandum, multum cogebatur mingere. In nostro contraria vides fata. Constarunt vires integræ, nec appetitus, nec somnus diminutus, &, quod mirum, parum reddidit lotii, cujus defectum sudore compensatum fuisse persuasus sum. Mercurii præparationi Culpam imputare velle, mihi nefas videtur, cum non ita pridem eodem Medicamento aliis ex voto largam satis provocaverim salivationem, cujus vices in nostro, prout innui, supplevit diaphoresis. Huic certè, & specificæ Mercurii activitati, quam nobis sæpius insciis in humores mirâ Metamorphosi exerceret, adscribo Effectum durissimo Tumori salutarem, utpote qui indies mole suâ diminutus vix rudera antiquæ Deformitatis reliquit. Et

ea

ea radicitus exstirpare procul dubio datum fuisset, si vel salivæ, more alias solito, successisset profluvium, vel Æger voluisset consentire in hydrargyri Continuationem, quam vano metu timuit, contentus fermè omnimodâ strumosi Tumoris exstirpatione, & spe, non amplius imposterum, correctâ jam universaliter lymphâ, successura ejusmodi Monstra. Ad Vulgi Captum, ne restet Mercurii in Corpore Mica, pulveribus diaphoreticis sulphure Aurato Antimonii constantibus, Curæ colophonem imponere placuit, quibus etiam sudor sequutus Verbis haud exprimendus, procedente sudorem à prima dosi leni Vomitu, & à secunda aliquot Alvi dejectionibus secundum *Observationem meam Ephem. Cent. 1. & 2. p. 46.* insertam. Relicto tuberculo adhuc intentus, casu incidi in *Charissimi mei Erndelii, Potentissimi Regis Polonorum Augusti Archiatri Relationem de itinere suo Batavo-Anglicano*, ubi *p. 127. Ravvi Experientia suffultus Emplastrum de Cumino*, tanquam Evporiston scirrhos Glandularum feliciter dissipans, laudat, cujus periculum in nostro facere haud pœnituit.

Abundet alius suo judicio, per me licet; Mihi interim firma stat sententia, herculeâ hac Clave, si urgeat necessitas, reseranda esse Glandularum repagula, ne steatomatosa Materia vel abundantia & mole, vel cancroso ulcere lethalem inferat exitum. Omnium maxime Victoriam pollicentur steatomata, quæ glandulas obsident collo & salivalibus vicinas, cum hostis non procul distet à porta, quâ debet ejici, & ejicietur eò facilius, quò citius prælaudatis armis aggredi dabitur Occasio.



OBSERVATIO XIII.
DN. D. GODOFREDI KLAUNIGII.

Historia laborantis Anasarca, eaque cessante demortui Anatome.

INgemiscendi cum *Experientiss. Valeriola Obs. 4. Lib. I. p. 22.* quotidie adhuc se offert occasio, *quod nobis non satis perspecti sint arcani Naturæ Motus quibus ipsa in servando Corpore utitur.* Gloriamur de invento sanguinis Circulo, qui in investiganda humorum secretione & viâ, tanquam in labyrintho fili Ariadnæi usum præstitit, quo duce ex densâ antiquitatis Caligine in lucem penetravimus clariorem. Verùm quem latet, hoc in circulo obscuras adhuc circulari Oeconomiæ animalis Functiones mathematica demonstratione multum egentes? Tametsi nulli labori & studio pepercerint sagacissimi Naturæ Mystæ, ut oculorum ingeniique Acumine permearent abstrusos aquæ ductuum in Corpore nostro Mæandros; attamen fatendum, in eis delineandis saltem primas hactenus duxisse lineas, & inter Desiderata Medica non ultimum mereri locum perfectam de humorum secretione & motu cognitionem. Cognitu adhuc longè difficiliores sunt illæ Ambages, quas sæpius Natura in suam salutem ad ejiciendum peregrino tramite hostem molitur, nobisque admirari, nunquam verò satis perscrutari licet. Quis enim Mortalium inveniet viam, per quam acus deglutitæ è stomacho ad Cervicis circa aurem dextram, ad Cruris, ad brachii superficiem, imò in urinariam Vesicam translatæ, & fausto omine exclusæ fuerunt? Quis vel cogitationibus assequatur meatus, quos sibi pro vita elegit natura, dum aciem scalpelli fractam & derelictam intra Venam tandem post aurem considere fecit? ut plures taceam mysteriosos Casus quos *Casp. à Reies in Elysii jucund. Quæst. Campi Quæst. 92. ex observatorum scriptis collegit* adeò stupendos, ut

sicre-

si credas Arte Melampi
Id factum, pecces, hic Medicina silet.

Scilicet, etiam in morbis quam gravissimis, cum eorum Curam in se suscipit Natura, quæ, otiosè adstantibus ejus ministris, opus deploratum prudenter perficere, & Morborum Causas per occulta latibula educere, ac miraculosè exstirpare valet. Nec facile à scopo aberrabit Conservationi intentum Corporis nostri principium movens (quod aut Archæum, aut Spiritum, aut cum *Celeberr. Wepfero* systematis nervosi Præsidem nomines, perinde est) si saltem ipsi libera agendi concedatur facultas, & adhuc Viribus constet sufficientibus. His autem morbi Atrocia labefactatis, quis ipsi vitio verteret, nec laudaret Conatum, etiamsi non semper obtineat felicem Certaminis finem:

Ejusmodi luctam masculâ fortitudine à Natura susceptam admirabar in vilioris sortis Viro 37. annorum, Anasarcæ Tragœdiam modò memorandam experto. Suilla & Vervecina Carne, pecorum morbo extinctorum nutritus, ex Nauseâ inciderat in Febrem quartanam, cujus æstum in quolibet paroxysmo cerevisia aceto haud dissimili & copiosè haustâ extinguere non neglexerat. Curam itaque susque deque habens æger, præterlapso integro anno Febrem commutavit cum doloribus pedum lancinantibus, superveniente post duos Menses tumore illorum œdematoso. Post semestre spatium exanthemata scorbutica cum pruritu finem imponebant & doloribus & tumori, qui tamen elapso Mense rediens, non solum pedes & Crura, sed etiam Abdomen scrotumque quam maxime infestabat. Tali Corpore habitu me accessit, stipatus adhuc difficiliori anhelitu, siti atque prope Umbilicum duritie. Cum olim protrusa exanthemata judicarem critica, omnem ope Decoctorum ex lignis, lumbricis terrestribus, Centaur. min. Trifol. fibr. & similibus antiscorbuticis, movi lapi-

lapidem, ut iterum provocaretur Crisis hæc salutaris atque perfectior. Multum etiam spei elucescebat, postquam hydropicus Tumor & dicta durities parum evanescere, pruriginosus verò sensus, ac pustulæ in Corporis peripheriâ apparere inceperunt. Verùm, continuatis licet selectissimis diaphoreticis, nonpotuimus impedire, quin universus habitus, nullo excepto membro, brevi ingentem in molem intumesceret, disparentibus laudatæ Criseos reliquiis. Pertinax alvi stipticitas & lotii suppressio inversam Methodum suadere videbantur; quapropter hydragogis & diureticis Morbum aggressus, illis parum, hisce autem, inprimis, quæ ex fixorum salium familia erant, alvum lubricam, & à Raphani rusticani Decocto, potus ordinarii loco, hausto, liberius Urinæ profluvium effeci. Hæc agebuntur, dum natura, Molestiarum quasi pertæsa, recollectis viribus impetuosè & per alvum, &, quod rarò accidit, per totum Corporis Ambitum ex singulis poris stagnans intra musculos serum excludendi initium faceret. Poteris tot tibi imaginari scaturigines; quod glandulas miliares tegit Cutis, & in intestinis quærere Rivum, si clarè velis concipere immensum hunc lymphæ fluxum, qui quolibet bihorio nova postulabat stragula. Continuavit spontaneus atque criticus hic imber per integrum Mensem, quo transacto ab omni hydrope, successivè effuso, liber, viribus autem planè exhaustus æternæ libertatis particeps factus fuit, qui his in terris se profitebatur Mancipium.

Sequenti die Cadaveris inspectio instituta ne quidem minimum Anasarcæ Vestigium nobis obtulit cognoscendum. Musculorum status à naturali nullibi declinans Mortis rea proclamare videbatur Viscera intus latentia. Horum Examini manus admoventes in abdomine Omentum, Ventriculum, hepar, lien, renes, Mensenterium, intestina ab omni culpa absolvere, eam verô Pancreati adjudicare nulli dubitavimus. Erant certè superius allegata viscera à quavis labe immunia, excepta modo nominata Glandula, Quartanariis utplurimum

fata-

fatali, quam parvis silicibus infarctam dixisses ob scirrhos duros in ea undiquaque prognatos. Ulterius progressuris Thorax nihil heterogenei revelabat, nisi huc referre velis polypum gelatinosum dextro Cordis thalamo inhærentem. Hæreo tamen talem ut Morbi Causam allegare, postquam experientia suffultus mihi probabilius videtur, ejusmodi Concretum pseudopolyposum à languido Cordis motu in affectibus chronicis utplurimum produci, dum sanguis effœtus & tardius procedens partes gelatinosas seponit. Eo magis adhuc confirmor, hunc polypum ultimæ Morbi periodo deberi, quoniam nec in hoc, nec in aliis ægris, quibus simile Monstrum post obitum à me detectum contigit, signa Cordis polypis quasi propria & à *Celeberr. Malpighio annotata, quæ in Ejus Operibus posthum. p. 62.* legi possunt, intellige: *præcordiorum Angustiam, pulsum vibratum & intermittentem, vasa in jugulo dilatata, frequentem Animi defectum, Torporem brachii, & in eodem pulsus obscuritatem, in Sterno spasmodicum dolorem,* observare licuit.

Dissoluta hæc sanguinis Textura omnium Virium præsupponit dispendium, quod etiam in Nostro inanes reddidit Naturæ Conatus, etiamsi efficacissimos. Modò virtus erat hostis, expulso scilicet omni sero Corpus molestante; verum cum triumphum deberet canere Victor, ipsemet occubuit langvore suppressus.

OBSERVATIO XIV.

DN. D. GODOFREDI KLAUNIGII.

Clavi Εὐπόριστον.

CLavi, à Musca Meatum auditorium occupante, rarò obvii Historiam *Observatione XVII. Ephemerid. Cent. VII.* in apricum proferre data fuit Occasio. Modò Mentionem injicere lubet Clavi quotidie fermè in Medica Praxi

occurrentis, quem spasticis Meningum doloribus sævientem, certoque Capitis loco quasi incuneatum conqueruntur ægri, & Medicorum Clinicorum industriam illusisse recordor. Me quidem minimè latet medendi Methodus, qua Clavum, vel hystericum, vel hypochondriacum nomines, eradicare allaborant, nec intermisi eum iisdem aggredi armis, scilicet laxantibus, Nitrosis, absorbentibus, cinnabarinis, anodynis, tonicis &c. Clysmatibus, V.S. variisque topicis.

Verum ingenue fateri cogor, me utplurimum specioso remediorum apparatu parum effecisse, usque dum, revulsoriis Auxiliis derelictus, partem affectam propius accedere consultum duxi. Commotus imprimis ejulatu Patientis, & mecum reputans, spasmorum indolem sæpius admittere resolutionem fortiorem, qualem, ut alia taceam Exempla, membris Podagrâ laborantibus Moxa præstat, nullus hærebam duro Nodo durum opponere Cuneum, ipsique Clavo applicare hirudines. Vix peractâ suctione dolor, nulli hactenus Remedio obediens, non solum inducias dedit, sed penitus cessavit, ut Morbi Clavum Te evulsisse credidisses. Præterea exoptatum hujus Curæ successum repetita comprobat Experientia, commendanda illis quibus res est cum Morbo tali spinoso.

(Vratislavia Augustam Vind. A. 1726. d. 11. Mart. missa.)

OBSERVATIO XV.

DN. D. PETRI WOLFARTI.

De

Raro tertio cerebri ventriculo vesicæ urinariæ vicario.

CUm die octava Mensis Novembris Anni elapsi Millesimi septingentesimi vigesimi tertii jurata obstetrix Maria Zin-

Zinnin me conveniret ſecum ferens infantem eadem die circa ſextam & ſeptimam veſpertinam in lucem publicam editum ab Annna Barbara militis honeſta & pia vidua, hunc in finem ut inſolitam & omni admiratione dignam corporis tenelli configurationem qua poſſibili circumſpectione perluſtrarem eumque ad certum ſexum, quod autem ob ſubſecuturas rationes omnino fuit impoſſibile, reducerem. Hinc officii mei ſtrenue adimpleturus partes totius corporis habitum externum nihil alienum à reliquis humanis habere comperi ſolam ſi excipias deformitatem ventris inferioris tam ab antica quam poſtica parte mox in exceſſu mox in defectu peccantem. Sic enim primo anus erat clauſus prodromus etiam præternaturalis & moleſtæ valde excluſionis, quæ tandem cum involucris ordinariis ſubſequebatur. Ani defectum ſupplebar 2. rima quædam exigua C. infra umblicum A. in quam hiabat inteſtinum rectum cum fæcibus ſimul paululum lymphæ urinæ fere analogæ quotidie excernens. Huic vicinæ 3. binæ protuberantiæ B. B. erant, duobus mentulis cum ſuis præputiolis ex aſſe æmulis, uno vero altero accuratius, utroque interim vaſis ſpermaticis prorſus orbato, quod etiam in ſpurio poſtmodum; 4. experti ſumus Scroto D. D. Inter divaricata 5. crura propendebat ſacculus E. ſatis conſiderabilis pellucidus inſtar veſicæ urina repletæ poſt nativitatem ex applicatione ſacculorum emollientium contractior redditus, haud inconcinne ad Aneuriſma ſpurium referendus. Hactenus vir Experientiſſimus ac celeberrimus Dominus Doctor Grau Archiater & Phyſicus Urbis hujatis ordinarius collega meus peramandus, cui ſpectaculum hoc cernere prima vice contigit. Miſer tandem hicce partus anhelans ſub triſti hoc ſchemate lacte materno nutritus per nonnullas ſeptimanas mundi ludibria ridens animam ſuam immortali Deo placide reddens die inſequentis menſis Decembris decima quarta cultro anatomico meo ultro fuit oblatus qui ſequentia porro docuit ac detexit.

Ex modo nimirum laudato majori & inferiori ſacculo E. Os hiabat in ſecundum E. 2. & ex hoc in tertium E. 3. ita ut quilibet cum altero communicaret, omnes vero una eademque ſeroſitate erant repleti. Perforato mediante lancetta inferiori omnis hæc deſtillabat in ſubſtratum vitrum ad quantitatem quartæ menſuræ Caſſellanæ detumeſcentibus prorſus & collabentibus tumoribus. His diſciſſis facilis concedebatur applicatio ſtyli argentei usque ad tertium & medium cerebri ventriculum penetrantis, quæ cavitas eadem colluvie erat diſtenta & infarcta, veſicæ urinariæ vices, cum prorſus hæc deficeret, per canalem intra Spinalem medullam expreſſe formatum ſupplebat, quæ medulla Spinalis etiam circa initium tertiæ cavitatis, quod erat ſecunda dorſi vertebra ſupra lumbares dubio procul ex ſeroſitatis nimia acrimonia & ſalſedine tota erat eroſa & corrupta. Plura curioſa detegere & publico ſpecialius communicare ſuperveniens putredo & vaſorum ſubtilitas. v. g. Canalis ex tertio ſacculo lympham ſeroſam ad rimam c. advehentis inveſtigatione, nos omnino fruſtravit. *Vid. Figur.*

(*Caſſellis Auguſtam Vind. d. 25. Mart. An. 1726. miſſa.*)

OBSERVATIO XVI.

DN. D. JOHANNIS ADAMI LIMPRECHTI.

De

Tuſſi lotionem pedum ex ſola aqua calida aliquoties ſubſequente.

FRigida externa motum illum corporis vehementem, quem tuſſim vocamus, ſæpiſſimè excitaſſe omnibus & lippis notum & tonſoribus, calida vero externa, eaque humida, inferioribus corporis humani partibus applicata, eundem

dem produxisse forsan rarius observatum est. Exemplum ejus esto sequens. Senex quidam septuaginta aliquot annorum, qui à frigusculo sæpius læditur, quotannis ferè circa hyemis initium tussi solitus affligi, ad sordidulos pedes abluendos aquam calidam circa finem autumni anno præterito afferri jubet: postquam eos ad suras usque per spatium horæ dimidiæ huic immisisset in conclavi per fornacem calefacto, titillationem quandam in gutture sentit, hinc lecto vicino prius tepefacto non batillo cubiculari, sed lagena stannea aqua calidâ repleta sese statim committit, nulla hac vespera usus cœna, ad somnum nocturnum capiendum, hic interumpitur à tussi sicca cum qua per aliquot horas seni fuit colluctandum, id quod ipsi ante biennium & quadriennium post lotionem pedum in merâ aquâ calidâ ex diversissimis originibus sumpta contigisse etiam recordatur, imò tussim sensisse eò graviorem, quo aqua fuisset calidior, quâ usus fuisset. Medicus ægro familiaris hanc historiam percipiens in memoriam illi revocat vomicam pulmonum, post excretionem puris benè cocti per urinam, ante quindecim & quod excurrit annos, in tussientis corpore sanatam.

Berolino Augustam Vindelicorum d. 8. May. A. 1726. missa.

OBSERVATIO XVII.
DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Empyematicus abscessu sponte orto & aperto præter spem convalescens.

JUvenis torosus peripnevmonia gravi laborans illam quidem perfecte superasse visus est. Non longe vero post dolorem in superiori & anteriori thoracis dextri lateris regione ad scapulas & humerum se extendentem, motumque

brachii non ſolum impedientem, ſed atrophiæ ejusdem initia monſtrantem percipit; qui neque frictionibus ſiccis, neque ſpirituoſis fotibus, neque ſacculis reſolventibus, neque anodynis cedens, tandem tumoris ſigna ad abſceſſum vergentis exhibebat, quapropter ejusdem maturationem promovere opus habuimus, quæ etiam brevi ſucceſſit, factaque inter coſtam ſecundam & tertiam veram lateris dextri inciſione copioſiſſima & vix credibilis puris albi cocti quantitas effluxit, vulnereque aperto ſervato per aliquot ſeptimanas cum levamine ægri continuavit, ſimili materia purulenta quotidie per tuſſim ſimul rejecta. Exhibitis vulnerariis tam externis quàm internis per ſatis longum tempus, macies quæ à principio non ſolum in brachio, ſed per totum corpus ſatis evidens erat, in habitum carnoſiorem paulatim tranſiit, tuſſis & ſputum purulentum ceſſavit, dolor gravativus thoracis evanuit, reſpiratio libera evaſit, vulnus, rejectis turundis, prompte conſolidatum fuit, ægerque, viribus quotidie auctis, ſanus jam & incolumis poſt quadrimeſtrem in Noſcomio decubitum ad ſervitia nautica rediit.

OBSERVATIO XVIII.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Abſceſſus ſaccatus in thorace Phthiſici.

NOn æque propitium fatum expertus eſt cum præcedenti Miles quidam gregarius phthiſi conſummata in Noſodochio militari poſt decubitum unius menſis extinctus, in cujus cadavere ſequentia notatu digna obſervare licuit. Remotis capitis integumentis ipſoque cranio intra curvaturas cerebri ſerum ſolito copioſius, & vaſorum in ſinum longitudinalem abeuntium obſtructio. In thorace Cor ſatis magnum, ſerum in pericardio vix ullum; pulmones ad tactum

aſperi

aſperi & quaſi granulis conſperſi exterius, intus pure turgidi, dexter illorum lobus verſus dorſum pleuræ & diaphragmati concretus. Ad latera pericardii infra pulmones ab inſertione coſtæ quartæ cum vertebris dorſalibus usque ad ſeptimam ſaccus albicans, pugnum recipiendi capax, in cellulas diſtinctus, pure repletus, integer in dextra thoracis cavitate: in ſiniſtra autem ſimilis minor pus in cavum pectoris fundens. Vertebræ, quibus incumbebat abſceſſus, inprimis 4. & 5. carie corroſæ. In Abdomine præter Hepar magnum induratum & ponderoſum, & calculum minutum, angulosſum & friabilem in veſicula fellis detentum, reliqua contenta ſic ſatis naturaliter conſtituta videbantur.

OBSERVATIO XIX.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Pericardium ſanguine diſtentum & Cor arroſum in cadavere Orthopnoici.

Febre continuata c. hæmoptyſi ac difficili reſpiratione correptus navita è claſſi Regia ad Noſocomium mittitur, ibique poſt paucas dies febris imminutionem cum levamine quoad tuſſim moleſtam ex remediorum adhibitorum ſedulo uſu percepit, aſthma vero cum præcordiorum anxietate quotidie augebatur adeo, ut vix niſi erectus reſpirare potuerit, facies liveſcebat, oculi ſanguine ſuffuſi, cum circulis ex atro rubentibus, palpebras inferiores circumdantibus funeſtum aſpectum præbebant, donec poſt miſerrimum quinque hebdomadum decubitum anheloſæ vitæ mors optatum imponeret finem.

Magnitudo morbi cadaveris anatomicam inſpectionem ſuaſit, nec laboris pœnituit: præter pulmones enim pure craſſo infarctos & ubique ferme, inprimis in dextra cavitate ad-

natos in conspectum venit Pericardium sanguine grumoso adeo distentum, ut dimidium thoracis spatium expleret, pulmonesque ad latera detruderet. Cordis vero intus abscondi-ti substantia exterior ubique exulcerata & quasi à vermibus profunde satis exesa, intus polyposis concretionibus in utroque ventriculo repleta apparuit, quin adeo desiguratum nobilissimum hoc viscus fuit, ut nec auriculæ inveniri, nec vasa egredientia majora facile discerni potuerint.

OBSERVATIO XX.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Pericardium cartilagineum cum corde coalitum in cadavere Hydropici.

NAuta cachetico-scorbuticus asthmate gravissimo, tussi molesta & tumore abdominis, scroti, tibiarum pedumque hydropico detentus post brevem in Nosodochio maritimi status decubitum demortuus trihorio ab ultimo halitu cultro anatomico subjectus sequenti observationi curiosæ ansam præbuit. Facies & thorax suffocati instar purpurascebant, integumenta incisa sanguinem copiosum stillabant, tunica adiposa sero diffluebat. Levi in pectus pro costis à sterno separandis incisione facta ex utroque latere fontis instar cum impetu prosiliebat serum flavum, cujus quantitas in utraque cavitate libras decem si non superabat, saltem æquabat. Pulmones exterius inflammati intus sero spumescente referti inveniebantur. Pericardium pollicis crassitiem explens non solum cum corde & diaphragmate firmissime coalitum erat, sed cartilagineam duritiem cultro difficulter cedentem habebat, & cor mole parvulum vix nisi ex ingressu & exitu vasorum à pericardio distinguendum abscondebat. Vasis pulmonum majoribus non paucæ Vomicæ extus albi-

cantes,

cantes, intus cœrulescentes, quædam fabæ majoris magnitudine conspicuæ, accumbebant. Nec minor seri flavi copia ex abdomine inciso, quàm ex thorace effluxit, quod tenax adeo & glutinosum fuit, ut in tabulam projectum statim in tenues lamellas abierit. Ventriculus erat corrugatus, colon vero admodum distentum, ut vir robustissimus totum brachium facile intrudere potuisset. Venosa totius abdominis vasa sanguine crasso infarcta, scrotum femora & tibias serum gelatinosum copiosum expandebat, Hepar tamen, lien & renes sic satis naturaliter constituta conspiciebantur.

OBSERVATIO XXI.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Lienis & Renis ruptura ex casu ab alto letalis.

E Malo in navim delapsus Classiarius in Nosocomium deportatur, cum respiratione difficillima, sputo & urina cruentis pungentes in abdomine dolores patiens, quæ symptomata de hora in horam augebantur, donec tertia à decubitu die mors miseriam finiret. In cadavere levia saltem contusionis signa apparebant, nisi circa musculum oblique ascendentem dextrum prope os ilium; abdomine vero dissecto non exigua sanguinis copia effluxit, intestina, inprimis Colon ad gangrænam vergebant. Lien ad rupturam usque contusus & in dorso Renis sinistri foramen, duorum, digitorum capax conspiciebantur. Pulmonis lobus sinister versus dorsum & diaphragma valde inflammatus videbatur.

OBSERVATIO XXII.
DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Cranium & sternum curiosum Scorbutici cum calculis pulmonum.

SUbofficialis quidam ex equitatu loricato Regio, valde scorbuticus ob ulcera duo maligna in Osse frontis aliquandiu moleste gestata circa festum Michaelis Nosocomium adit, ibique ope salivationis Mercurialis illa brevi consolidata lætatur, sed vix incepit gaudium, quin superveniente febre continua cum diarrhæa imminueretur, & his quidem pariter superatis accedente tumore abdominis & extremorum hydropico, ulceribusque capitis recrudescentibus, post semestrem tristissimum decubitum cum ipsa vita finiretur. In cadavere sequentia notare licuit: Cor flaccidum polypos maximos abscondens in pericardio copioso sero distento quasi natabat. Pulmones inflammati plurimis calculis erant infarcti. Hepar durum, lien tunica crassa circumdatus, vesicula fellis bile carens, Omentum laceratum, intestina copioso sero viscido innatantia conspiciebantur. Sternum in medio, à costa scil. tertia ad quintam profunde cariosum, ulceri pessimo diu, dum viveret, gestato ansam præbuisse apparuit. Ipsum denique Cranium quatuor in locis carie exesum post mortem inspectio anatomica docuit, quamvis in vita duobus saltem in locis ejus suspicionem præbuerit. Primum scil. ulcus transibat usque in sinus frontales, quos defunctus habebat amplissimos, alterum utramque Cranii tabulam permeabat, tertium & quartum in osse bregmatis ad diploën usque abibant.

(*Exhibita Augustæ Vind. d. 31. May. 1726.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXII.

DN. D. JOHANNIS CASPARIS GRIMMII.

Sistens virum, cujus Cor totum erat suppuratum.

VIr quidam, tum ratione dignitatis, tum etiam singularis eruditionis celeberrimus, XXX. annorum ineunte Vere anni præteriti hic Lipsiæ correptus fuit spasmo pectoris & ventriculi, nam per intervalla perpessus est insignes vomitus cum vehemente & continua palpitatione cordis & febre lenta. Etiamsi optima quæque adhibebantur medicamina, quæ quidem aliquale levamen suppeditabant, nihilominus, cum XVI. hebdomadas laboraverat hoc insanabili morbo, subsecuta est beata analysis. Post sectionem cum alio Medico hujus loci, qui durante morbo ad consilium vocatus fuit, itidem cum binis Chirurgis aliisque adstantibus ad stuporem usque deprehendimus substantiam cordis plenarie suppuratam cum sero in cavitate thoracis extravasato & ferè innumeris vomicis pulmonum simulque epate scirrhoso. Quomodo ejusmodi homo cum tanta cordis læsione vivere queat, est dictu difficilimum & fermè incredibile; nam secundum effatum vetustissimum, est cor primum vivens & ultimum moriens, adeoque relinquo hoc naturæ miraculum, aliis ad ulteriorem disquisitionem.



OBSERVATIO XXIV.
DN. D. JOHANNIS CASPARIS GRIMMII.

Sistens fœminam annorum XLVI. quæ post XXIII. annos embryon trium mensium enixa est.

FOemina quædam honesta, quæ unicam filiam peperit anno ætatis circiter decimo octavo, antea quidem, sed postea nunquam fuit menstruata, & quidem sine omni valetudinis detrimento; anno autem ætatis suæ XLVI. enixa est embryon trium mensium. Quomodo vero in non menstruata & propemodum effœta muliere conceptio fieri potuerit, difficile dictu.

OBSERVATIO XXV.
DN. D. JOHANNIS GRIMMII.

Fœmina ex esu Mytulorum Kiloniensium venenatorum suffocatione correpta.

UXor quædam non infimæ sortis ac dignitatis, ætatis suæ XLVI. alias robustæ constitutionis, postquam prandendo, me præsente comedisset aliquot Mytulos recentes Kilonienses, post horæ quadrantem perpessa fuit suffocationem, cum subsequentibus pustulis cutaneis per totum corpus, quod malum durabat per horam integram. Hanc fœminam curavi cum potu Thee cum lacte & Theriaca Andromachi mixto; proculdubio inter hos mytulos fuerunt quidam venenati,

(*Lipsiā Augustam Vind. mense Maji A. 1726. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXVI.
DN. D. PETRI ANTONII MICHELOTTI.

Rari ac prope inauditi ex ultero morbi historia cum necessariis Medicis animadversionibus.

EX utero potissimum fœminis diversa, vehementiaque mala nasci, & experientia notum, & à Græciæ Principe Medico Hippocrate animadversum est. Perdiuturnæ & haud vulgaris nervorum in Splendidissima Muliere Distentionis Observationem cum *Luca Schroëckio* Celeberrimo hoc tempore Augustæ Vindelicorum Medico & A. C. N. C. Meritissimo Præside hos ante quatuor annos communicavi. In præsentia insolitæ, pene incredibilis, & nisi me amor negotii suscepti fallit, in omni Medicinæ Parentum cum Græcorum, tum Arabum memoria inauditæ ex Vulva ægritudinis historiam legentibus sisto.

Judæa Virgo duos & viginti annos nata cui *Riccam* parentes *Caraualei* cognominati dixere nomen, hos ante quinque & viginti menses in morbum incidit suppressæ ex tristibus animi affectionibus menstruæ purgationis: inde primum angina, tum interposito aliquo tempore Rheumatismo; deinde sinistri lateris dolore per hyemem correpta sanguinis ex brachiis, pedibusque detractione, aliisque idoneis medicamentis ab spectato, qui assidebat, Medico Moyse Coheno præscriptis curatur. Manente vitio mensium suppressionis cum vehementi ventris intensione, mœroreque cum crebro difficilique spiritu, concitatarum arteriarum pulsibus, continentibusque musculorum ad brachia pertinentium exiguis tremoribus continuante, medicamenta mulieribus hysterico morbo ferè exanimatis præberi solita, & nominatim remedium, cui uterino elixiri nomen author Crollius imposuit,

 data,

data. Sub eo auxilio singultus, & cujusquemodi generis sive solidam sive fluidam formam habentium alimentorum vomitus exortus est, adversus quem medicamentorum tum opium recipientium, tum ventriculum confortantium compositionibus frustra tentatis, quem modo laudabam, Medicus diffisus reliquis præsidiis ad gelidas ex aqua, in qua modo subacidorum cerasorum, modo fragorum, modo Limoniorum malorum succus cum modica Sacchari portione solutus erat, potiones prudenter confugit: quibus in Stomachi resolutione, vomitum neque calidis, neque anodynis remediis cedentem conjunctum habente, à me quoque prospero successu non semel adhibitis, consecutus quidem est, ut Ægra & continere, & coquere cibos posset, non tamen uti reliqua mala remitterent, ad quæ ineunte autumno anni CIƆIƆCCXXVI. rerum omnium sive cibi, sive potus vel frigidissimi, sive medicamenti speciem obtinentium insigne fastidium, urinæ suppressio, inexpugnabilisque alvi adstrictio accessere. Eo tempore mollientia olea, aliaque medicamenta ducendæ alvi causa in anum per clysterem infundebantur, quæ quum repellerentur, desperatis pene rebus, nutrientia quoque juscula ex capo, gallinaceisve pullis recentium ovorum vitellos intus solutos habentia in ultima intestina (ex quibus etiam lactea vasa oriri non esse negandum summus nostræ ætatis Prosectorum *J. B. Morgagnus* apprimè animadvertit) semel, atque iterum in agerere, tentatum est. Verum enim vero sive postremo Coli tractu & fortasse continuati etiam Recti magna parte à præpollente inclusorum flatuum vi reliqua intestina, & peritonæum vehementius distendente (quod verosimilius hoc in casu mihi videtur) ad dextrũ, sinistrumve infimi ventris caveæ latus compulsis, atque ad id arctè oppressis; sive illis ipsis memoratorum intestinorum partibus ob valentissimas nervorum in thoracis, ac ventris imi penitiora pertinentium, quibus Ægra in præsentia quoque vexatur, distentiones maximopere contractis, renitentibusque. Sive hac inquam, sive illa de causa neque reficientia, quæ

quæ dicebam, clysmata admitti quibant. Ita affectam, ita conflictatam nulla edendi, aut bibendi; nulla mejendi, nulla dejiciendi neque proximo hyeme, neque subsequente vere cupido cepit: sorbilia ova, calida, tepentiave juscula, ejusquemodi generis vinum, gelidæ potiones etiam ex capo, & *cioccolatte* (sic enim à nostratibus appellatur) Lac saccharo commistum vel frigidissimum; hæc inquam, atque horum similia, aut ex toto in fastidio erant, aut reficiendarum virium causâ, non ex appetitu interdum assumpta, protinus reddebantur. Anni tempore verno acutissimo sinistri lateris dolore prehenditur: alii Medici ad consilium adhibiti sanguinem, ad eum levandum, pondere circiter unciarum trium ex respondente pede, jacenti, morbo, longissimaque abstinentia confectæ mittere non verentur. Ipso dolore per istiusmodi anceps auxilii genus, sub quo vires haud multum admodum labefactatæ sunt, sublato, sanguinis paulum tosti extunditur. Post hæc singultus, seu potius quidam vomendi conatus, per quem humor colore subobscuro, odoreque urinæ ad longum tempus in Ischuria retentæ persimilis evomebatur, subortus est, qui sine medicamentis brevi postea finivit. Subsequente æstate, sive raptim mutatione morbi aliqua ex parte in contrarium facta, sive blandis assidentis Matris alia atque alia pro cibo & potione assiduæ offerentis hortatibus, solicitationibusque tandem decumbens Filia commota modò tenuem ex citreis malis aquam, modo Liquorem ex subacidorum cerasorum cum melle, ac vini spiritu fermentato succo (*Wisnà* vulgo hic appellatur) ad cochlearia aliquot haurire cœpit, atque intra hos quidem Liquores substitit donec ad medium circiter Octobrem anni proxime exacti, quo, constrictorio ventriculi motu sursumversus, cum atri ferè humoris vomitu, reverso, nec cibos, nec potiones, nec remedia devorare poterat, perventum est. Quum eam tum una cum curante Medico viderem, uti memoratum ventriculi motum remedio Liquidi Helmontii Laudani ex stillatitia citrei

trei mali aqua ſeptem, octove guttarum numero potui dato cohibere, tentarent, ſuaſi. Sed ne id quidem tenuit. Nihilominus tamen intra octo dies, quibus mente jam turbata, brachia, & crura inæqualiter diſpergens, ſeque huc illuc violenter interdum convertens modò obdormire, modò triſtibus veluti exterrita imaginibus ejulare videbatur, ventriculus ex toto conquievit: atque ita quidem, ut & aquam, & liquorem, de quibus mentionem feci, continere octavo die poſſet; poſt quod tempus mentis quoque turbatio, terroresque remoti ſunt, & ventris intentio, tametſi interim neque fæces, neque urina emittebantur, paulum imminui viſa eſt. Silentio hic præterire non decet: duobus circiter menſibus antequam hujus admirandi morbi hiſtoriam perſcribere inciperem, Ægram, & de quo ſupra ſcripſi latente dolore denuo exceptam, & ab eo, Sanguine ad duas, tresve uncias ex brachio dolenti lateri reſpondente extracto cito liberatam eſſe. Verum hoc illud eſt præcipue ſcitu neceſſarium: ipſius Ægræ, quæ à Septembri menſe cIↄIↄccxxiv. in præſens vitam ſine omni quidem cibo, & menſes decem ſine omni ferè potu tranſegit, corpus neque ex toto languere, neque notabiliter emacreſcere: quanquam inſignis ſeri ſanguine tincti copia cum ex pede, cum ex brachio, ſummæ quoque cutis Lymphæ ductibus ſcalpello in Sanguine mittendo laceratis, cicatriculisque (quarum ea, quæ in lævo brachio exiſtit in profundum ulcus verſa eſt) tardiſſimè forſitan ob malum univerſi corporis habitum confirmatis, quotidie longiſſimum tempus manavit.

Facies in præſentia quoque colore eſt quidem ferè naturali; at verò eam una cum reliquo corpore neque in ſpeciem, quemadmodum ante hos tres menſes videbatur (diſtendente ſcilicet tunc aëre ex omnium pene corporis arteriarum cruore animalium ſpirituum cuneolis, quam ſanis hominibus eſſe debent acutioribus, pulſo, atque muſcularium fibrarum interſtitiis, inviſibilibusque cutis foraminibus interclu-

terclufo) naturaliter ali: cutis cum fubjectis mufculis ubique locorum, præterquam in abdomine, aliquantum collapfa clarè oftendit. Cuncti fenfus, fi unum tactum, qui una cum motu in dextro femine & crure hebes eft, excipias, vigent; vigor animi nequaquam obtufus; fupinum corpus femper, viribus mufculorum affectis, jacet; ventriculus, præcordiaque cum reliqui imi ventris magna parte, & vehementer intenta funt, & ad tactum leviter fonant; perfiftit quidem menftruorum, & urinæ fuppreffio: veruntamen nulla omnino urinariæ veficæ turgentia manu percipitur; venter ne fpiritum quidem per inferiores partes reddit; neque cibi, neque potus cupiditas ne in præfentia quidem eft: verumtamen cremorem ex contufis dulcibus amygdalis aqua ex citreo malo expreffi paulum, fic affectam à Matre affidue rogitatam folicitatamque ante hos fex menfes per diem, noctemque deguftare cepiffe, idque nunc quoque continuare, certiffimum eft: nullus quidem fudor præterquam in palmis manuum, pedumque plantis neque interdiu neque noctu oritur, attamen oleagineam materiam ex febaceis univerfæ ferme cutis glandulis erumpere, cum ex totius pene corporis graveolentia, tum præcipue ex unctuofa illa forditie, quam fuis indufiis inhærefcere Ægra hactenus fe obfervaffe mihi retulit, certo conftat: corripit interdum quidam frigoris fenfus; fæpe ventriculi, fæpius capitis dolor torquet; brachiorum, manuumque mufculi in dextra præcipuè parte continenter intremunt; triftitia fæpe quidem infeftat, interdum tamen hilaritas eft; nutrientia autem, de quibus fupra fcripfi, clyfmata in rectum inteftinum indita, ut protinus repelluntur, fic cujusquemodi generis & alimenta, & medicamenta vi deglutita extemplo in præfenti quoque redduntur. Verumtamen illud ignorare non oportet: acidulæ aquæ ex Fonte *Lælio Recobarii* importatæ cyathum unum alterumve menfe circiter antequam huic Hiftoriæ finem imponerem potui datum, ventriculum retinuiffe, eoque tempore urinam

 obfcu-

obſcuri coloris exigua Ægram (quod tamen & præterita æſtate, qua ne guttam quidem illius mineralis aquæ aſſumpſit, bis, terve accidit) quantitate reddidiſſe.

Quod genus, quæ natura, per quas cauſas factus, & actus hic morbus ſit, ad illa, quæ hactenus retuli, acriter intendentibus animum, haud difficulter admodum, ut opinor, innoteſcet. Lotii, eorum, quæ per alvum ſanis excedere conſuerunt, ſudoris, menſtruarum purgationum ſuppreſſio: narium muci, ſalivæ inſigniter imminuta ſecretio: hæc, inquam, omnia in comprimentium morborum numerum, eorum nimirum, qui ab fluidorum in noſtris corporibus, aut ex toto deficientibus, aut notabiliter decreſcentibus cooriuntur ſeparationibus, referendum eſſe, præclare demonſtrant: cœpiſſe verò à triſtitia, & ſuppreſſis menſibus: artuum tremores, agitationes arteriarum, crebram, difficilemque reſpirationem, intentionem ventris, inſolitam abſtinentiam, mentis motionem ejuſcemodi malis interveniſſe: exanimari interdum Ægram, inde ad ſe redire; odoribus cum ſvavibus, tum fœdis lædi; queri modo de corde, modo de ventriculo, ſæpè de capite; modo triſtem, modò hilarem eſſe; interdum ſopore premi, plerumque vigilare; dextro femine, dextroque crure reſolutam interdum videri, inde ſe dextrorſum, ſiniſtrorſumque violenter convertere; varios appoſitos cibos, potionesque ſummo faſtidio habere: hæc, inquam atque his ſimilia Virginem noſtram vehementiſſime ex vulva laborare haud obſcurè indicant. Quod ad abditas, continentesque iſtiusmodi morbi cauſas attinet: inviſibilis fluidi ex cerebro, & cerebello euntis, redeuntisque particulas in vehementes, diſſonosque reditus motus ſumma mœſtitia à primordiis morbi una cum nervis tum in exteriora, tam in penitiora corporis, & in uterum præcipue, finitimasque partes, pertinentibus repente actas eſſe, conjecerim. Increſcente deinde paulatim morbo, continuantibuſque nerveorum filamentorum per thoracem, ac ventrem diſcur-

diſcurrentium contractionibus, ſeparationum, excretionumque fluidorum naturales Leges ire cœpiſſe præcipites donec ad omnium pene, qui in noſtrocorpore ſunt, humorum ſuppreſſiones, imminutasve ſecretiones perventum ſit. Adhæc ingenti aërearum particularum copiâ, animalium ſpirituum impetu, acredineque (quæ longam abſtinentiam ſequi conſuevit) ex arteriarum ad ventriculum, inteſtina, jecur, ſplenem, uterum, peritonæum ſpectantium, arteriis reliqui corporis, ob vehementes, in quas à morbi usque primordiis continenter aguntur diſtractiones, forſitan laxiorum: ex harum, inquam, arteriarum ſanguine expulſa, inque earum partium ſinus, ac caveas nequaquam reſiſtentes compulsâ, univerſum pene ventrem vehementer intentum, & ventriculum ad eam diſtentionem redactum eſſe, ut motiones ad famem excitandam, retinendos, concoquendosque cibos perneceſſarias jam obire non poſſit. Porrò ut ex memoratorum ſpirituum in cor, arterias, thoracis, aliarumque partium influxibus quam naturaliter eſſe debent celerioribus, velociores cordis, & arteriarum motus crebram, difficilemque reſpirationem, muſculorum tremores, continentesque vigilias enatas crediderim: ſic inæquales, vehementesque membrorum, quas una cum temporariis mentis commotionibus Ægram non ſemel hoc in morbo excepiſſe, ante retuli, cogitationes, ex diſſimilibus, præcipitibusque illorum ipſorum ſpirituum motibus exortas eſſe, exiſtimarim. Sed illud potiſſimum interrogari meâ Legentibus poſſe ſentio: qui fieri queat ut Juvenis hæc & tamdiu ſine ullo omnino alimento vixerit, & ſolo Liquoris, de quo ſupra memoratum eſt, potu vitam tot menſes traxerit, in præſentiaque etiam ſuſtineatur? Quibus pro ingenii mei modulo reſpondeo: eam, non multo ſecus ac viperæ in vitreis vaſculis vere, æſtate atque autumno incluſæ, ſeu potius terreſtres cochleæ partem autumni, totamque hyemem in opertis teſtaceis tabernaculis ſine omni plane eſca viventes, vitam trahere, veriſimillimum eſſe. Namque &

continuo jacet in Lectulo & visibilium humorum pene nihil excernit. Manare vero exigua corpuscula tum per invisibilia cutis foramina, tum per os ex pulmonibus, ut omnino negare non ausim, sic eorum corpusculorum vaporum speciem habentium haud multum admodum hoc in morbo extra corpus ferri ex summæ tabis, & sudoris in universa ferme cute absentia maxime probabile censeo. Quandoquidem itaque jacens haud insigniter tenuatur, paulum admodum movetur, & visibilium quidem fluidorum ferè nihil, invisibilium verò pauxillum reddit: manifestum est nec sanguinem, nec humores maximopere absumi; ac propterea neque villos, membranas, nervos, sanguinis aliorumque liquorum ductus, musculosque constituentes, mobilium particularnm ex illis ipsis villis manare, atque per aëra dispergi jugiter conantium eruptione insigniter exinaniri, seu in tabem resolvi: atqui assumendi cibi necessitas in universis animantium generibus ex villorum memoratas partes conpingentium continua inanitione, notabilive continenter decedentium particularum naturales operationes, sive animales motus subsequi solita excretione dependet. Juvenem igitur, de qua hactenus retuli, in qua fortasse oleaginei quoque humoris in sebaceis universæ cutis glandulis, Celeberrimo animadvertente Morgagno, secerni soliti, aucta præter naturam crassities insensibilem (quemadmodum Medici loquuntur) transpirationem insigniter minuit: & jejunium septem amplius menses sustulisse, & pauco fluido alimento etiam nunc sustineri, sine aliquo commento prodigii edisseri potest.

Ratione haud multum admodum dissimili quemadmodum Præstantissima Virgo ex Patricia Gente Foscarena Patavii in præsentia in cœnobio D. Marci commorans triennem fermè (quod à Viris Amplissimis ejus Consanguineis accepi) tulerit abstinentiam: aliæque Virgines, quæ referentibus *Fr. Citesio*, eruditissimoque Fortunio Liceto plures annos nihil plane assumpsêre, vitam traxerint, per causas mechanicis

nicis similes exponi posse mihi videtur; nedum enodatè explicari complurium dierum, mensiumve abstinentiæ à *Jos. Quercetano*, *R. Dodonæo*, *Valesco Tarantano*, *Henricoque Sampsonio* observatæ.

Ex proposita Historia, aliisque hujuscemodi ab modo allegatis Rei Medicæ Scriptoribus perscriptis primum omnium constat, haud esse fabulam: homines interdum, mulieresque præsertim, quas uterus diutius malè habet, ab cujusquemodi generis cibis, & potionibus vi adversæ valetudinis abstinentes non duos tantummodo, tres pluresve dies, quemadmodum credebat Hippocrates, (*) verum etiam complures menses, annosque vitam ducere posse. Hoc illud deinde colligitur; nostræ Ægræ corpus (mirum dictu) pro ratione longitudinis abstinentiæ haudquaquam esse tenuatum; secus ac in Puellis à Citesio, Quercetano, & Sampsonio (**) productis, in quibus flaccescens abdomen cum arescentibus inclusis visceribus longissimo jejunio extenuatum ad Spinam collapsum observabatur. Verumtamen de Virgine quadam Patavina nostræ, quod ad abstinentiæ tempus, aliaque morbi symptomata spectat, haud multum dissimili ex Alexandro Vigontio Medico narrans ante laudatus Licetus, nequaquam eam tabidam, sed vivido colore, & in speciem Sanam extitisse, ait.

(*Venetiis Augustam Vind. d. 28. Junii A. 1726, missa*)

(*) *Tanta omnibus corporibus spiritus necessitas extat, ut siquidem ab omnibus aliis abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen duos, vel tres, & plures dies vivere &c.* Lib. de Flatibus.

(**) Vid. Ephem. A. N. C. Decur. I. An. III. & *F. Liceti* Libr. *de iis, qui diu vivunt sine alimento.*

OBSERVATIO XXVII.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREV.

Enteroscheocele inveterata per Ἐπιγένεσιν *alterius Mali curata.*

VIr quidam triginta annorum affligebatur Hernia Intestino-Scrotali sinistri lateris, quam, Puerulus adhuc, ex scamno cadens olim sibi contraxerat. Parentes mox in Principio mali varia in Usum vocabant Remedia tum sympathetica, tum chirurgica, Transplantationes scilicet & Fascias, sed præter successum optatum. Fuerunt postea, qui magnopere deprædicabant IllinitionemOlei olivarum Radicibus recentibus incisis Telephii vulgaris *C. Bauh.* per simplicem Infusionem Saturati, sed etiam hujus Effectus Pollicitationes eludebat. Hoc unico Patiens gaudebat solatio, quod Tumor Herniosus eandem semper servaret magnitudinem Ovo gallinaceo majori similem atque noctu inter Decubitum quotidie evanesceret insuper vix ullum incommodum crearet. His jam assuefactus ante triennium patiebatur duram Allisionem Testiculi ejusdem lateris & subsequentem Tumorem inflammatorium Vasa spermatica simul occupantem. Tumor hicce Prolapsui Intestini Viam præcludebat etsi Patiens obambularet Dolores parvi pendens neque Remedium quærens. Elapsis tribus ferme Hebdomadibus Dolor & Tumor Testiculi sponte sua cessabant, à quo Tempore afflictus è Hernia se penitus simul liberatum sentiebat. Hujus Morbi per Morbum Curationem confirmat Casus analogus, quem ex Observatione Excell. *D. D. Christoph. Lud. Gæckelii* Filii, Collegæ nostri honoratissimi, benevole communicata adjungere possumus. Juvenis scilicet quidam viginti anno-

rum

rum poſt ſaltum graviorem mox percipiebat Inteſtini in Scroti cavitatem ſiniſtram deſcenſum, ſucceſſu Temporis Magnitudinem duarum propemodum tertiarum ſpithamæ Partium acquirentem. Hac Moleſtia per tredecim Annorum Curſum vexatus Faſciis ſemper uti cogebatur, utpote ſive quibus Inteſtini Prolapſus non, niſi decumbendo, retineri poterat. Anno ætatis autem ſuæ trigeſimo tertio vehementiſſima corripiebatur Colica ſpasmodica, graviſſimis ſymptomatibus, Vomitu nimirum atque Tremore totius corporis, ipſas Convulſiones minante, ſtipata atque ſex Hebdomadum intervallo ter recurrente, ſingula quoque Invaſione tres circiter Dies ſæviente. Hac demum penitus liberatus Æger Herniam ſimul evanuiſſe; ipſum inſuper trium jam Annorum ſpatio, crebra quamvis Equitatione & continuo ferme Motu agitatum, quicquam incommodi ſenſiſſe lætus animadvertebatur.

OBSERVATIO XXVIII.

DN. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

Infanticidii Scrutinium.

I.

INfanticidium proprie committitur in infante, qui vivus in lucem editus eſt.

II.

Improprie autem tale audit, ſi mater improba extremis graviratis menſibus omnia tentet, quæ fœtum vel exſtinguant, aliaque ratione efficiant, quo minus is vivus in lucem prodire queat, aut ſi forte vivus lucem aſpiciat, mox iterum moriatur. In ſpecie ſi, quod ante aliquot annos hic accidit, mater

mater saltum violentum trans rivulum agat, aut abdomen arctius premat, ceu exemplo *à Weismanno in Ephemer. Natur. Curios. Cent. 3. obs. 70* adducto patet. Vel abdomen semper lato coriaceo cingulo constrictum gerat, ut in *Act. Medic. Berolin. Dec. 1. Vol. 4. p. 191.* aut alias per ligaturas constringat; *Ibid. Vol. 9. p. 57.* Quod si ergo prægressis ejusmodi causis infans mortuus in lucem prodeat, nulla arbitror ratione mater ejusmodi conscia ab infanticidio absolvetur.

III.

Infanticidium vero proprie dictum non una ratione committitur. *Primo* si mater impediat, aut obstetrix negligat, quo minus vasa Umbilicalia recte deligentur, vel potius perperam & malitiose præscindantur, aut violenter dilacerentur, quod ipsum Illustris Facultas Medica Lipsiensis pro vulnere simpliciter & absolute lethali pronunciavit apud *Ammannum. Medic. Critic. p. 455. Zitmannum. Medic. forens. Cent. 2. cas. 20. & Cent. 5. cas. 65.* Eoque casu corpusculum infantis sanguine carens & marcidum interdum deprehenditur, apud *Bierlingium Advers. Cur. Cent. 1. obs. 24.* & quandoque tota sectio infantis incruenta est, *Act. Medic. Berol. D. 1. Vol. 2. p. 313.*

IV.

Secundo. Si mater in partu se incurvando, cruraque decussatim intorquendo fœtus caput comprimat, ut in eodem sanguis undique extravasetur, infansque apoplecticus obeat, qualia exempla *Grubelius in Ephemer. Nat. Cur. Dent. 3. Ann. 5. Obs. 142. & Valentini in Pandect. Medic. Legal. Tom. 2. p. 564.* sistunt. Vel post partum talem capitis compressionem faciat, cujus in *Zitmanno. Centur. 5. Cas. 50. & Bohnio de Officio Medici p. 668.* exempla comparent.

V.

Tertio. Si funiculus umbilicalis collo foetus circumvolutus

lutus ſtrictius attrahatur & fœtus ſuffocetur, ceu *Bohnius l.c.* teſtatur.

VI.

Quarto. Si mater nutrixve fauces conſtringat, adeoque fœtum ſuffocet, cujus exempla *Schuchmannus in Ephemer. Nat. Cur. Dec. 3. Ann. 1. Obſ. 104. & Paulinius in Philoſ. Luſt-Stunden part. 2. p. 182.* ſuppeditant. Quo caſu vaſa cerebri ſanguinea turgida apparent, notante *Wagnero in Nov. Liter. Mar. Balth. Ann. 1699. p. 20.*

VII.

Quinto. Si fontanella in capite digitis imprimatur ceu apud eundem *Schuchmannum l. c.* aut acicula cerebello infantuli infigatur, quod per ſtigma externum detectum fuit, apud *Ekardum.*

VIII.

Sexto. Si collum obtorqueatur, caputque luxetur, quod in anatome puelli ſemeſtris obſervavit *Wagnerus l. c. Ann. 1700. p. 272.* ubi vertebræ prima & ſecunda colli in anteriorem partem ſedibus ſuis adeo dimotæ erant, ut ſpinalis medulla compreſſa cruenta ac copioſo ſero diffluens appareret, vaſaque cerebri eſſent turgida, & pulmones inſtar ſuffocatorum ſolito magis turgidi atque lividiores conſpicerentur. In alio infante colli ſuggillati ac in diverſis locis unguibus vellicati mentionem facit *Valentinus in Pandect. Medic. Legal. Tom. 2. p. 552.* quod tamen, cum ſub inſpiratione infantis corpuſculum non ſimul apertum fuiſſet, pro inſufficienti ſigno declaravit Illuſtris Facultas Medica Gieſſenſis. Quæ quoque apud *Eundem p. 603.* obſervatam in infante rotationem colli interiori corpuſculo non inſpecto pro certo & infallibili indicio violentæ enecationis reputare noluit.

IX.

Septimo. Si ori ac faucibus infantis linteamina aliaque infarciantur, isque suffocetur.

X.

Octavo. Si mater stylo acuto per vaginam & cervicem uteri immisso, & secundinas iisque conclusum embryonem trajiciat, cujus exemplum sistit *Brendelius Ephemer. Nat. Curios. cent. 4. obs. 67.*

XI.

Nono. Si mater vel nutrix ebriosa infantem suffocet incubando in accubantem aut lactentem.

XII.

Recensitis ita modis, quibus infanticidia peraguntur, ad dignotionem eorundem procedendum. Ubi primo statim loco considerandum an fœtus etiam perfectus, & justo tempore in lucem prodierit, cujus immaturi signa ex *Selectis meis physiologicis Sect. XXIV.* §. 5. sunt: Membrorum & corporis ipsius imperfectio, hujusque 1) Rubor, 2) Digiti unguibus carentes, quamvis contrarium hujus aliquando in abortu quinquemestri observatum sit, modo supputatio matris recte se habuerit. 3) Labia ut & aurium inferiores molliculi lobuli deficientes. 4) Bregma valde hians, & crinium in capite absentia. 5) Si in lucem editus, vocem non emittat. *Valentini Pand. Tom. 5. p. 84. Sylvius. prax. l. 3. p. 343. Westphalus Ephemer. Nat. Cur. Dec. 3. Ann. 5. obs. 285. Hartmannus ibid. Ann 4. obs. 84. Zachias Quæst. Med. Leg. Tom. 1. p. 74. & Tom. 2. p. 66. Glockengiesserus Act. Med. Berol. Dec. 1. Vol. 4. p. 82.*

X.II.

Signa porro violentiæ illatæ facile per se apparent, quibus casibus tamen cutis rubor, contusio, maculæque lividæ hinc

inde

inde comparentes violentiam ejusmodi non ſtatim arguunt, cum à contrectatione fœtus in partu difficiliori inprimis facile oriantur, teſte *Facultate Medica Lipſienſi apud Zittmannum Medic. For. Centur. 6. caſu. 62.* ac *Timæſo à Guldenklee Reſponſ. 51.* & ſæpiſſime in infantibus qui Epilepſia, apoplexia ac ſuffocati intereunt, reperiuntur, ex ſententia *Facult. Med. Gieſſenſ. ap. Valentin. Pandect. Med. Leg. part. 2. p. 603.* Eaque propter *Eadem Facultas ibidem p. 555.* ad quæſtionem: an à ſanguinis ſuffuſione nigricans & compreſſa cel contuſa ut videbatur cutis in ambabus narium alis certum violentæ mortis ſignum eſſet? negative reſpondit ex ea ratione, quod infans per firmiorem narium compreſſionem halitu privari ac ſuffocari non poſſet, cum eo non obſtante ore melius ac naribus reſpirare potuiſſet. Conjungenda itaque cum maculis ejusmodi aliæ quoque circumſtantiæ, quarum non raro una totam rem variat, ceu quoque ejusdem Facultatis reſponſo *ibidem pag. 595.* maculas hujusmodi partus facilior, & absque omni difficultate procedens ſuſpectas reddit.

XIV.

Inprimis dignoſcendum, an fœtus vivus in lucem editus ſit, adeoque extra uterum vixerit & reſpiraverit. Solent eum in finem pulmonem in aquam mergere, qui, ſi fœtus vel ſemel tantum extra uterum reſpiravit, propter aërem in pulmone detentum, non ſubmergitur, ſed ſupernatat, adeoque fœtus vivus in lucem editus eſt. Quodſi vero fœtus mortuus in lucem excluſus fuerit, nec extra uterum reſpiravit, non quoque ſupernatat pulmo, ſed ſubmergitur. Vexatiſſimum experimentum vocat *Valentinus in Pandect. Tom. 2. pag. 547.* cum in utramque partem diſputatur. Si tamen diſtincte conſideretur, rem non adeo in incerto relinquet. Scilicet pulmones naturaliter debent eſſe conſtituti, nec ob mucum veſiculas obviſcantem ad inflationem inepti, compacti, adeoque graviores, qualia *Illuſtriſſimus Schræckius Noſter in*

Ephemer. Nat. Cur. Dec. 3. An. 1. Obs. 104. Schol. & centur. 2. Obs. 21. juxta cum *Dolæo in Ephemer. Nat. Curios. Dec. 3. Ann. 5. Obs. 256.* recte monent, & observatione *Covvperi in Act. Erud. Lips. anno 1699. p. 51* probatur. Qualis etiam densitatis teste *Diemerbroekio Anat. p. 287.* pulmones fœtus in utero adhuc existentis, utpote functione sua adhuc carentes, deprehenduntur. Deinde proportionatam aquæ quantitatem huc advocat *Valentinus*, ceu qua non observata, facile errorem committi posse, ex principiis hydrostaticis constet. Atque his duabus conditionibus prægressis, experimentum hoc infallibile pronunciavit *Facultas Medica Giessensis. ibid. Tom. 2. p. 562.* Ceu quoque re ipsa sic deprehensum *à Raygero Ephemer. Nat. Cur. Dec. 1. Ann 6. Obs. 202. Schelhasio ibid. Dec. 2. Ann. 3. Obs. 158. Blancardo Collect. Med. Phys. Cent. 5. n. 92. Paullinio, Philosoph. Lust-Stunden. Tom. 2. p. 183.* & peculiari scripto, typis An. 1691. expresso assertum *à Schreyero* Cizensi Medico, in quo inter alia *pag. 10.* pulmones vituli jam putrescentes ac fœtentes tam integros quam in fragmentis aquis innatasse refertur. Quod si vero fœtui in partus difficultatibus exstrincto calidoque adhuc halitus quipiam pro more inspirati fuerint, adeo certi quippiam ex innatatione ejusmodi concludi nequit, uti *Facultas Medica Giessensis* dicto loco iterum respondit. *p. 565.* An verò vice versa è pulmonibus in aquam subsidentibus æque certo concludi queat, fœtum in utero aut partus viis adhuc hærentem exspirasse adeo clarum non est, ut potius incertitudinem hujus experimenti contraria experimenta *Bohnii l. de offic. Med. p. 662. Ruyschii in Erndlii Itiner. Angl. Batav. p. 82. Schacheri in Nov. Liter. Germ. anno 1706. p. 20.* demonstrat. Ceu quoque incertitudinem ejusmodi supernatationis & submissionis pulmonum plenarie asseruerunt *Facultates Medicæ Tubingensis ibid. p. 570. Wittenbergensis p. 583. Giessensis, p. 595. Marpurgensis p. 508 & Lipsiensis ap. Zitmannum* experimenta ejusmodi tantum pro argumento illustrante, nullatenus vero solitario & apodictico admittentes.

tes. Conjungenda igitur ſimul alia ſigna, quæ infantem nondum reſpiraſſe indubitato evincunt, præſertim in cauſis vitam & mortem concernentibus. *Waldſchmidius Epiſt. 4. ad Dolæum p. 154.* certius experimentum de pulmonibus proponit, quod ſuo loco relinquo.

XV.

Vulgo etiam ſpumoſitatem circa os ac fauces infantis hunc ipſum vivum à matre ſuffocatum indicare aſſeritur, quod tamen indicium etiam inſufficiens *Bohnius de offic. Med. p. 672.* ea propter pronunciat, quod in recens natorum ante partum, ſub partu, & brevi poſt partum defunctorum faucibus ac pulmonum vaſis trachealibus par ſpumoſitas non raro obſervetur, eveniens aut ex mucoſitate pulmonum connata; aut ab aquis ſecundinarum fœtus ora interiora irruentibus atque opplentibus, quales infarctus in plus minus vivis editis etiam reperiri nec mulierculas noſtras latet.

XVI.

Umbilicalis tamen funiculus in infante flaccidus & liveſcens apparens pro indubitato judicio, quod fœtus mortuus in lucem editus ſit, pronunciatur à Facultate Medica *Lipſienſi ap. Zitmannum Cent. 4. c. 35.*

XVII.

Deinde quoque in infantibus, qui nondum inſpirarunt, adeoque mortui in lucem editi ſunt, diaphragma ſurſum tractum apparet, teſte *Blancardo in Carteſian. Academ. p. 165.*

XVIII.

Non rarò in cauſa infanticidii mater negat, quod unquam gravida exſtiterit, aut infantem in lucem peperit, quo caſu & illa convincenda. Et hoc ipſum quidem abſque dilatione ac mora inſtituendum, cum ſigna partus

prægressi intra paucos sæpe dies evanescant, adeoque si inspectio non statim, & tantum paucis à puerperio diebus effluxis instituatur, omnino falsa sit judicio *Welschii* apud *Valentin in Pandect. Tom. 1. p. 58.* Et *Zacchias Quæst. Med. Leg. Tom. 1. p. 303.* post decem à partu dies signa ejusmodi non adeo amplius conspicua statuit, adeoque nihil quicquam probantia.

XIX.

Primo igitur loco partium ejusdem genitalium constitutio externa sub inspectionem trahenda, evincuntque id ipsum hiatus cervicis uteri cum œdematosa pudendorum protuberantia, carunculas myrtoides obliterante apud *Zacchiam l. c. & Tom. 3. p. 134.* & judicio *Facultatis Medicæ Lipſ. apud Zitmannum Cent. 4. caſ. 37. & 81.* Quibus & clitoridis prominentia ex relatione *Stegmanni in Ephemer. Natur. curioſ. Dec. 3. Ann. 4. Obſ. 112.* addenda. Fissura autem illa magna, cujus parietes ab Anatomicis labia dicuntur, parte illa qua anum prospiciunt, in nondum puerperium passis arctius cohærent & tensi sunt, ita ut eo ipso spatium illud, quod perinæum vocatur, latius & longius, fissura autem ipsa versus anum præcipue angustior & arctior reddatur. Ejusmodi vero freni labiorum tensio in puerperio per fœtus transitum insigniter laxatur, ipsaque fissura hac ratione anum versus non parum dilatatur, nec unquam post puerperium ad pristinam tensionem redit, ceu *Ravvius in Erndlii Itiner. p. 106.* egregie demonstravit. Quæ tamen hic simul de ossium pubis discessu à se invicem vulgo feruntur, falsis hypothesibus & impressionibus niti recte judicat *Welschius in Valentini Pandect. Tom. 1. p 58.* & uberius à me in *Selectis physiologicis* tractata sunt, quamvis in fœtu grandiori & partu difficili hoc ipsum negandum non sit.

XX.

Alterum prægressi partus signum sunt rugæ in ventre existentes,

ſtentes, aſſertæ à *Cummeno in Ephemer. Nat. Cur. Dec. 1. Ann. 3. obſ. 130.* Licet ejusmodi quid ſignum certum non ſuppeditat, cum mulier poſt ſuperatum aſcitem, hydropemque uteri ſimilemque affectum rugoſum ejusmodi integumentorum corporis habitum facile contraxerit, de cætero & mente & corpore incorrupta, ut recte *Zacchias l. 3. p. 303.* judicat unde & *Welſchius in Valentini Pandect. Tom. 1. pag. 58.* ſignum hoc reliquis deficientibus omnino frivolum & falſum judicat. Lineam albam in abdomine ſublividam in tertium usque à partu menſem exiſtere experientia obſervavit *Dimerbroekius Anat. p. 13.*

XXI.

Imprimis vero ex lactis in mammis præſentia licet ſeroſi adhuc, cum illarum ſoliditate & turgeſcentia certius quippiam concluditur, judicio *Facultatis Medicæ Lipſ.* apud *Zitmannum Cent. 3. caſ. 81.* Quamvis enim in reſponſo *Facultatis Medicæ Haffnienſis apud Valentinum Tom. 2. p. 601. & Gieſſenſis ibid. p. 629.* dubia quædam circa aſſertum hoc moveantur, prudens tamen Medicus in renunciando circumſtantias ſedulo ac ſolerti ſcrutamine facile diſtinxerit, cum nulla unquam de morte hominis cunctatio longior exiſtat.

(*Hildesheimio Auguſtam Vindel. d. 15. Aug. A. 1726. miſſa.*

SCHOLION.

PLures quidem fœtum aut partum enecandi modos hic depingit Autor Celeberrimus; verum nec in his ſubſiſtit inexhauſta meretricum aſtutia, quæ indies novas infanticidiorum artes (ſi modo artes vocari poſſint technæ diabolicæ) excogitavit easque ſæpe intricatas, & judicibus multum negotii creantes. Vidimus enim, quæ Giſſæ infantulum demortuum in cacabo magno, urina & recrementis ſcatente, exhibuit perhibendo ſibi fœtum ſub alvi exoneratione, eò excidiſſe, priusquam obſtetricem advocare potuerit. Vidimus

quæ

quæ ſe de ponte cadentem in flumine præ terrore peperiſſe partumque ab aquis (in quibus inveniebatur) ſibi abreptum fuiſſe obſtinate aſſerebat. Quis hic determinaverit, an ſtudio & data opera, an ex improviſo & fortuito fœtus utrobique ſuffocatus fuerit? Quodſi Medici deſuper requiſiti vel minimum diſſentiant, in mitiorem, ut moris eſt, partem itur ſicque evadunt inquiſitæ, accedente cumprimis favore Judicis Criminalis.

Signis verò diagnoſticis fœtum non tam mortuum quàm vivum in lucem editum fuiſſe demonſtrantibus rectè etiam à *DN. Hallenſibus* relatus nuper fuit ſanguis in pulmonibus ſtugnans, non obſtante, quod funiculus umbilicalis eô caruerit.

Caſus ſequens erat. Ancilla quædam Eliſabetha Dörria Caſſellis die 27. Jan. A. 1725. eodem die, eadem hora & in eadem camera, in qua Domina ejus pariebat, ſub lecto puellam enitebatur eamque ſub culcitris abſcondebat. Re per ſanguinem è lecto effluentem detecta infantulus inſpectioni legali committebatur, cujus ſeq. debetur

VISUM REPERTUM

Exteriorum gratia cum Reſponſis Latinitati redditum:

Prævia requiſitione Dnn. Præfectorum nos infra nominati Medicus & Chirurgus puellam demortuam, abs Eliſabethæ Dörria d. 27.h. in lucem editam inſpeximus & ſub accurata viſitatione & ſectione corpuſculi examinati ſequentia obſervavimus: ſc. 1) Fœtum quoad omnia maturum & perfectum fuiſſe, utpote qui 2) externè nulla ſigna violentiæ illatæ præ ſe ferebat, niſi quod 3) funiculus umbilicalis tribus fere ulnæ quadrantibus à ſecundinis abruptus fuerit. 4) Inciſis cum cute muſculis, ut abdominis pateret cavitas, omnes partes perfectæ ſanæ & bene conſtitutæ obſervabantur, quemadmodum & 5) Thorace aperto cor, pulmones, thymus &c. com-

completi quidem, pulmones tamen ſanguine ſtagnante referti reperiebantur, cum pauca quantitate ſanguinis extravaſati in cavitate pectoris. 6) Cranio remoto cerebrum ſanguine ſuffuſum: ſicut & ſupra cerebellum quoque aliquid ſanguinis extravaſati occurrebat. Tandem ſolitam probationem cum pulmonibus etiam inſtituimus, qui aquæ injecti ſtatim ad fundum, deciderunt. Jam equidem pro ſigno communiſſimo hoc habetnr, quod fœtus exanimis in lucem editus fuerit. Aſt *Zellerus*, *Bohnius*, aliique quamplures, celeberrimi Medici, hoc non tantum in dubium vocarunt, ſed revera id pro ſigno demonſtrativo haberi indeque certi quid erui nequit. Quapropter ſecundum partium modò deſcriptarum conditionem exiſtimamus puellam qu. à ſtagnatione ac congeſtione ſanguinis in pulmonibus & in cerebro vitam cum morte commutaſſe, id quod (ſalvo aliorum judicio) vi conſcientiæ atteſtamur. Caſſellis die 27. Jan. 1725.

Joh. Juſtus Grav. D.
T. H. Königer Chirurgus.

JUDICIUM COLLEGII MEDICI CASSELLANI.

Acta transmiſſa nos Decanus & Medici omnes & ſinguli Collegii Provincialis (excepto D. Gravio) perlegimus, maturè ponderavimus judiciumque noſtrum conſcientioſum de illis ſeqq. impertimus, quod ad

Quæſt. 1) An infans vivus in lucem ſit editus?

Reſpondemus omnino quod non, hocque exinde, quoniam è funiculo umbilicali nulla hæmorrhagia inſecuta eſt, quæ tamen ut cauſa infantis à partu viventis cauſa allegandà erat. Adhæc ſubmerſio pulmonum tanquam proba ad deciſionem concurrens, inſecuta fuit.

Ad quæstionem 2) An infans manibus violentis occisus fuerit? nihil positivi statuere nec ita crudè & absolutè asserere possumus.

Quod tandem 3) quæstionem attinet, an sanguis in & supra cerebellum æque ac in cavitatem thoracis extravasatus, ut & pulmonum sugillatio absque violentia externa, cujus nulla manifesta signa extus apparuerunt, fieri potuerint? Existimanus & statuimus, quod tria hæc notabilia producta naturaliter & per se fieri non potuerint, eaque de causa statum quendam p. n. & morbosum exhibeant, ex quo merito & non sine fundamento concludendum infantem in principio vel progressu partûs violentiam quandam perpessum, vitam cum morte commutasse: Quî? vel per quod? à nobis determinari nequit, cum variæ causæ hic concurrere possint. Sign. Cassellis, d. 18. Mart. 1726.

Decanus, Doctores und Prof. Ord. Fac. Med. hujus loci.

P. Wolfart, Decanus.
A. Dern.
J. H. Huxholt.
J. C. Wagner.

RESPONSUM FACULTATIS MEDICÆ HALENSIS.

Postquam amplissima Facultas Juridica h. l. nobis acta inquisitionalia, contra Elis. Döniam in puncto infanticidii, à Judicio Criminali & Scabinis Principalibus Hasso-Cassellanis ad ferendam sententiam sibi oblata communicavit, ut judicium rationale desuper seq. Quæstione:

An & quomodo infans sub inquisitione inventus vitam amiserit?

impertiremus, non potuimus non Acta omnia & singula

gula, una cum Relatione inſpectionis & addito atteſtato Medico ſedulo perlegere & collegialiter perpendere, hincque unanimis noſtra ſententia eo tendit, quod infans memoratus omnino vivus in lucem editus & prout veroſimile eſt, per ſuffocationem perierit.

Licet enim 1) ſecundum tenorem iudicii à Collegio Medico Caſſellano formati, infans qu. per hæmorrhagiam è funiculo umbilicali non periiſſet, inde tamen inferri non poteſt, eundem demortuum prognatum fuiſſe, cum ſuffocari potuerit, antequam funiculus umbilicalis abrumperetur.

Licet etiam 2) communiſſimè ſtatuatur, pulmonibus ſub recepta proba aquatica demerſis infantem neutiquam reſpiraſſe, ſed in utero materno mortuum fuiſſe; attamen hæc regula vix ac ne vix quidem univerſalis eſt, ex qua omnes & ſinguli caſus decidi poſſint, in ſpecie autem plane non quadrat & applicari poteſt, ſi quando pulmones ſanguine ſtagnante, qualis hic inventus fuit, referti fuerunt, quum manifeſtum & clarum ſit pulmones in ſuffocatis in aqua ſubmergi.

Econtra 1) ſolide potius concludere licet, quod cum pulmones ſanguine repleti fuerint, fœtus vixerit & reſpiraverit, quia ſanguinis unda vaſa pulmonum replere non potuiſſet, niſi primùm expanſi fuerint, dum, ut conſtat, ſanguis in embryonibus non eò, quo in adultis fit, modo per pulmones è dextro in ſiniſtrum ventriculum, ſed per foramen ovale in illum & in arteriam magnam per canalem arterioſum immediatè deducatur. 2) Huc accendit, quod infans citò & facile in lucem editus ſit. Adhæc 3) omnibus numeris & partibus perfectus, 4) propria Inquiſitæ confeſſione tribus ante partum diebus adhuc vivus fuerit, nec 5) ulla indicia mortis ante & ſub partu factæ obſervata ſint.

Quod autem infans hic probabiliter per ſuffocationem aliquam obierit, exinde cum primis concluditur, quod 1) pulmones & vaſa cerebri ſanguine ſummoperè extenſa & re-

pleta fuerint, sed & 2) partim supra cerebellum, partim in thorace sanguis extravasatus inventus fuit: urpote quæ consueta consectaria sunt suffocationis alicujus & post mortem in suffocatis ut plurimum occurrunt.

Harum circumstantiarum & momentorum intuitu primo nulla dubitandi causa occurrit infantem hunc absque vita repertum ante & post partum vixisse, abhinc secundò gravia indicia contra inquisitam militant (ut Dn. JCti dubio procul observabunt) quod hæc ipsa infantulum suum per subitaneam & præproperam suffocationem vitâ privarit, quæ eò magis confirmantur, quod inquisita partum ab initio celaverit, infantem demortuum laciniis involverit & sub pulvinaribus absconderit, sub quibus is inventus fuit.

Quæ omnia principiis Artis consentanea in subsidium juris publicare & pro majori confirmatione responsum hoc sigillo Facultatis consueto roborare voluimus. Sign. Halæ, die 12. Julii, A. 1726.

Decanus, Senior & Rel. Prof. Fac. Med.

Cæterum obluctantibus & sententiæ suæ firmiter inhærentibus Medicis Cassellanis Acta Anno seq. 1728. quoque Facultatibus Juridicæ & Medicæ Gissensibus transmissa fuerunt quæ ultima Facultati Medicæ Halensi, quoad singula ferè subscribebat.

Difficilior adhuc Casus se trusit A. 1728. cum puella rustica, infanticidii suspecta, quæ infantulum se peperisse quidem confessa est, sed demortuum & prout adstruit massæ putridæ magis similem quam homini quam in cellâ defoderat. Inveniebatur etiam eo, quem indicebat, loco linteum sanguine perfusum, cui involverat partum, prætereeaq; nihil: observata simul fele in cella oberrante. An felim hanc studio, ut infantulum devoraret, cellæ immiserit? Deus novit! ad minimum ob corpus delicti non inventum usquedum hoc Dn. Judici Criminali magnum facessit negotium.

M. B. V.

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.

DN. D. JOHANNIS ADAMI LIMPRECHTI.

De Singulari Sudore poſt ſuperatas variolas.

PUella novem annorum, initio hujus ſeculi nata, variolis corripiebatur, his quo gravius decumbebat, eò minus perſuaderi poterat ad patienter ferendum ſudorem, qui per alexiphatmaca multis Cinnabarinis juncta excitari tentabatur, ægra enim inquieta manibus pedibusque medio hyemis tempore nudis lectum ſuperiorem à plurimis corporis ſui anterioris partibus removebat & hac ratione exanthematum augmen impediebat. Morti proxima non ab adſtantibus tantummodo, ſed & à Medico judicata circa noctis meridiem ad ſomnum, quem aliquot noctes oculis ſuis non viderat, ſe componebat, expergefacta de nihilo amplius conquerebatur, & præterlapſis paucis diebus lecto ſuo prorſus valedicebat præter omnium ſpem atque expectationem ſanitati reſtituta, relictis raris variolarum veſtigiis, ex quibus in facie ſua, poſtquam quatuor liberorum mater facta eſt, perpauca conſpiciuntur. Solicitis de tam ſubita valetudinis mutatione locus cubilis occurrit, in quo ægrotantis clunes poſitæ fuerant, madore ita imbutus ut is per lectos duos plumis ſatis ſuperque refertos ad ligneam usque ciſtam, cui lecti impoſiti erant, penetraret, eamque ſitu fere obduceret. Hæc humiditas, probe examinatis omnibus circumſtantiis, orta fuit ex nimio ſudore dictarum corporis partium, in aliis durante morbo inobſervabili.

(*Berolino Auguſtam Vind. d. 17. Sept. A. 1726. miſſa.*)

OBSERVATIO XXX.

DN. D. JOH. GEORGII LIEBKNECHT.

De

Lapidibus figuratis in monte Wetteraviæ, Haus-berg *dicto atque hic descripto, nuper collectis.*

PLacuit die V. Martii, elapsis S. paschatis feriis Butisbacenses in vicinia regiones transire, easque perlustrando oculis, animum paulisper reficere. Quibus se primum objecit mons ille, à Butisbaco unica hora distans, der Haus-berg vulgo dictus, cujus radices & pagos viciniores, Nieder-Weichsel, Ostheim, Hohen-Weichsel rc. ob fertilitatem agri maxime celebres, Francofurtum tendentes transire, & montem ipsum ob singularem cacuminis speciem mirari oportet, si modo tales existant, quibus ejusmodi Creatoris optimi opera curæ cordique magis, quam pecudibus, sunt. Cur autem WINCKELMANNUS Hassiacarum regionum topographus haud incelebris, in opere suo Cap. VI. hunc montem omiserit, nec alii de isthoc multum referant, juxta cum ignarissimis scio. Scio tamen hunc amœnissimum montis prospectum olim Serenissimum Hassiæ Landgravium atque Principem PHILIPPUM juniorem movisse, ut ædificium, persona principali dignum, ibidem exstruere secum constituerit: sed nonnisi belli tunc furor in causa fuit, cur arcem polygonorum more constructam, & à nomine suo Philipps Eck dictam, inter viciniores ibidem montes & campos, minus patentes hostium excursionibus, erigere decreverit. Nihilominus hæc montis cacumina Principi laudatissimo semper delectationi fuisse; & hominum memoria, & fodinarum ubivis testantur rudera, quæ visitanda & examinanda penitius

nitius ego iterum atque tertio huc deveni. Attamen singula, ut describam nec præsens locus, nec lapides ipsi permittunt, quos hac vice Venerab. loci prædicti & ad radices montis siti Pastor una cum filio natu majori, Medicinæ candidato dignissimo, obtulit; quare & hos tantum indicare sustineo, & quæ restant quoad montem ipsum, & reliqua lapidum genera & figuras, ibi occurrentes, & mineras & herbas &c. exponere in aliam ocasionem reservabo. Occurrit autem primo lapis fissilis, albicans, & interdum partibus nigritantibus permixtus, qui *solarem* quasi *figuram*, seu radios & strias ex uno puncto prodeuntes, & ad circuli ductum impressas habet, & toties repræsentat, quoties columellæ ita lapideæ transversim velut in articulos separantur. Neque tamen hi ubivis in monte occurrunt, quia non omnes æque fissiles existunt, nec figuræ ipsæ cum iis omnibus conveniunt, quas *WINCKELMANNUS l. c. fol. 269.* in præfectura Hassiaca ad Fuldam fluvium & arcem *Spangenberg* obvias, ita describit, & depingit:

Das Schloß liegt am Wald, auf einem ziemlich hohen Berg, welcher daher der Spangenberg genannt wird, weilen an demselben, wie auch an einem Hügel gegen über, eine grosse Menge kleiner runder Steinlein gefunden werden, haben alle von Natur ein Bildnus, wie eine Spange, gleich man vor Alters an Schuen getragen hat; Der Fürstlich Hessische Regierungs-Præsident, Herr Johann Dieterich Graf von Kunowitz, hat auf mein Ersuchen, mir eine grosse Quantität verschrieben, woran bey genauer Untersuchung ich befunden, wie die Wunder spielende Natur sie auf beeden Seiten, nemlich oben und unten gezeichnet. Der gantze Berg ist von solchen Wunder-seltenen Steinen ausgefüllt, daß man gantze Klumpen heraus nehmen, mit seinem Messer zertheilen, und mit Durchschneidung der Figuren, kleine runde Steinlein darinnen formiret findet, in deren mitten ist ein durch und durch gehendes Pünctlein, als ob sie durchbohret wären,

sind

sind sämtlich Circkel rund nach Geometrischer Art, theils haben gemeiniglich XII. oder XXIV. Strahleu, oder Strichlein, gleichwie eine Uhr- oder Stunden-Zeiger, daß man meynen sollte, als ob sie durch eines Künstlers Hand mit grossen Fleiß also formiret wären, da sie doch von der Natur also zubereitet sind, vermuthlich zu einem gewissen Zweck, oder Würckung in der Artzney, die uns unbekandt ist, gestalt die sinnreiche und niemals müssige Natur nichts oder weniges vornimmt, dahinter nicht etwas besonderes stecke. Ja was noch Wunder-würdiger ist, so habe ich drey Wunder bildende Figuren darunter gefunden, als erstlich einen natürlichen doppelten zweyköpffigten Adler, zum audern einen Hahn, und zum dritten einen Türckischen Tulband auf dem Kopff, welche drey vortreffliche Mahler-Kunst-Stücke der Natur, in unbegreifflicher Bildung der Steine in die Hochfürstliche Kunst-Kammer, ich zu mehrer Beglaubung geschicket habe, ꝛc. ꝛc. Quæ verba auctoris integra ideo adponere volui, quia rarius ille occurrit. Sed ad nostrum montem, der Haus-Berg, revertimur, qni subinde materiam continet nunc ex atro,nunc suffusco spledentem, metallicam; quæ ipsa forte jam olim rerum metallicarum peritos, & laudatissimum *Hassiæ Principem* movit, ut tales lapides mire splendentes, interius præsertim, & magnam partem sub dio jacentes, usibus suis collegerint. Estque materia hæc dura admodum, nec illi dissimilis, si splendorem excipimus, quam lapides prope Giessam nostram in montosis nonnullis locis occurrentes variique coloris lapillos alios, quasi perpetuo glutine cohærentes exhibent: unde non immerito, die Wurst-Steine, à similitudine coloris varii farciminum adpellant. Quod gluten olim sine dubio molle in se omnem lapillorum formam recepit, ceu quidem ocularis refert inspectio, accedente vero duritie, illos tam firmiter retinet & firmius, quam alibi ipsa lapidum materia solet. Hujus igitur materiæ ampla frusta heic occurrunt, istorumque magna copia, quæ firmissima &

ſat confuſe continent *muſculitas, conchitas*, nunc majores nunc minores ſtriatas & *pectunculitas*. His atque aliis *conchitis* innumerabilibus, parvis & minimis, ſi finduntur lapides, id quod nonniſi vi mallei fit, majores adhærent, quibus interdum *ſelenitæ* immiſcentur, majores & minores & minimæ, formam terdum oblongam habent & ſtrias inæqualiter ſurgentes, at utrinque æquales, & obliquo tractu teſtas repræſentant instar Oſtrearum, die Auſter-Schaalen: his porro & *mytuli*, & *pholades* varii generis adſunt cum interſtitiis ſuis. An autem ipſæ conchitæ à glutine ſuo ſeparari integræ poſſint mediante fortaſſis aqua aut alio liquore, id ob temporis rationem experiri hactenus non potui. Magna etiam his inſunt foramina & cavitates, quæ aperte exhalationum tractus, die Berg-Witterung, monſtrant; unde, ſi quis exiguum fruſtulum vitro aquæ pleno injiciet, moxque auribus adplicabit, notabilem percipit ſtridorem, & quidem, ſi frigida erit aqua, lapis undique cinctus erit bullulis, minus verò in calida; unde facile quis plura poterit colligere phænomena alibi recenſenda.

Interdum maſſa, quam glutinum vocavi, penitus fere poteſt ſeparari à conchitis & illis lapillis, quos forte *bucardites* vocant, & *hyſterolithos*, notas muliebris ſexus prope referentibus. Sed nondum inveni tales ibi in tam magna & notabili forma, quam quidem Braubacenſes noſtri montes exhibent, niſi forte tempus adhuc plures protulerit; interea glutinum ejusdem coloris & conſtitutionis videtur eſſe cum Braubacenſibus lapillis, antea dictis. Notari etiam meretur, *Muſculitas* & *conchitas* ſtriatos ita in maſſa, tanquam matrice, diſperſas, nonnullos ambitu gaudere ſerrato, quas ideo ad *tellinitarum* figuras non immerito referimus, modo felicius à matrice ſeparari queant. Ut ut autem ſatis confuſe in prædicta maſſa tales adpareant figuræ, tamen videntur plurimæ juxta latitudinem ſe invicem excipere, & illæ quæ profundius latent, eo magis ſeparabiles exiſtunt.

Sunt insuper penes me nonnulla frusta, prædicto modo separata, quæ inter complura *conchitarum, hysterolithorum* genera indicata, illas subinde *solarium* formas & porro *stellas quinquangulares*, ejusdem cum *solaribus* magnitudinis & rotunditatis monstrant impressas ubicunque radii ex unico centro prodeuntes, suntque versus peripheriam acuti, non aliter ac stellæ ipsæ signantur. **Gleich als wann diese mit Fleiß, nach Art eines Stempels oder Pettschaffts in dieser Masse, als in Wachs eingedruckt wären.** Quæ formæ intra certas cavitates, interdum sat amplas, adparent.

Ubi præcipuum, quod miror, est in nonnullis durioribus magisque splendescentibus frustis cavitatum ratio, quæ insuper pauciores continent conchitas maximam partem lapidificatas ita, ut quotiescunque talis per medium frangatur, ibi nigricans punctum in ipso quasi centro adpareat. In his porro conspiciuntur tales cavitates, quæ *conchitarum* plane formam internam habent & strias, imo sæpius animalculorum quasi exuvias quoties finduntur. Id quod tanto magis attendi meretur, quo duriores isti lapides existunt adeo, ut non nisi summa mallei vi conterantur. Habent autem cavitates modo cœruleum colorem, qui ab artificibus rerum metallicorum **der Pfauen-Schwantz** audit, modo nigricantem; qui uterque non potest non esse à sulphureo-bituminosis ardentibus illis exhalationibus **von den verschiedenen Berg-Witterungen.**

Ab ejusmodi exhalationibus forte erit ut nonnullarum conchitarum superficies plane videatur consumpta **gleichsam verwittert**, sed ita, ut striæ adhuc integræ existant. Ad eundem quoque modum adsunt cavitates striatæ & aliæ consumptæ, quibus semper ejusmodi animalculorum exuviæ insunt, sed inter spissiora & solidiora semper prædicta lapidum frusta.

Qui primo loco recensiti supra sunt *lapides solaris figuræ, Entrochorum* & *trochitarum* nomine, satis trito, ab oryctophilis

desi-

designantur. Qui vero *stellarem quinque angulorum figuram* referunt, *Astroitæ* seu Asteriæ vocari solent. Satis autem exploratum hodie habetur, utrosque nihil aliud esse, quam *stellarum marinarum* (quas à ramorum multitudine & amplitudine cinata, *Medusæ capita* appellant) dissolutos articulos. Et illorum quidem lapillorum omnis generis phænomena & innumeras figurarum varietates incredibili studio & mira felicitate luculenter exposuit *Mich. Reinhold. Rosinus* Munda Saxo, in eruditissimo *prodromo de Lithozois, olim marinis, nunc vero subterraneis, sive de stellis marinis.* Hamburgi 1719. in 4.

(*Giessa Augustam Vind. d. 2. Sept. A. 1726. missa.*)

OBSERVATIO XXXI.

DN. D. RUDOLPHI AUGUSTI BEHRENS.

Cephalæa ab hydrope ventriculorum cerebri, causa autocheiriæ.

CErtum omnino est ea cadaverum humanorum anatomica inspectione, quæ administrandæ justitiæ gratia à medicis & chirurgis fieri debet, nihil facile circumstantiarum ratione tædiosius & conscientiæ simul intuitu periculosius esse. Ad primum enim quod attinet, certe eædem utplurimum in locis minus ad tale negotium aptis atque commodis, brevi temporis spatio & renitentibus atque reluctantibus cognatis, ut reliqua taceam, fieri solent. Posterius vero si spectas, quam facile accidit ut aut iniquum rei patrocinium suscipiatur, aut insons supremo afficiatur supplicio, utrinque sic sæpius periclitante honesta medici judicantis existimatione. Interea cum hodie apud nos paulo infrequentius occasiones rimandi humana cadavera sese offe-

 rant,

rant, vel hoc ipso quædam jucunditas his molestis alias & suspensa quasi manu peragendis occupationibus conciliatur. Ne dicam, quod interdum hac occasione prosectoribus curiosis quædam antehac plane non aut parum observata phænomena occurrant. Hoc ut exemplo confirmem, enarrabo quid mihi his diebus cadaver jussu Magistratus urbani secanti sese obtulerit, & totam rem inde à principio repetam. Fœmina infimæ conditionis quadraginta circiter annorum ab immani capitis dolore diu gravissime afflicta, & nonnunquam, ut vicini retulerunt, illius acerbitate in amentiam, & furorem quasi deducta, die quarto septembris anni præterlapsi media circiter nocte è lectulo mariti clam sese subducit, domo egreditur & posito ante vicinum puteum vestimento, in eundem sese dat præcipitem atque pedibus insistens, summo diluculo exanimis offenditur & extrahitur. Re ad magistratum delata, mihi committitur ut cadaveris dissectionem instituam & de genere & causa mortis nec non utrum viva vel mortua in puteum esset aut delapsa aut projecta decernerem, præcipue cum rumor esset in illa vicinia die antecedente maximam contentionem inter maritum atque uxorem fuisse. Pomeridianis igitur horis negotium aggressus, deprehendi primo in habitu externo nullo violentiæ illatæ sed & nulla aut prorsus obscura convulsionis, quæ suffocationem comitari solet, signa. Interiora autem pectoris cum scrutarer paulo quidem fiebam certior de suffocatione: ast non dum poteram satis dijudicare quibus ex causis mors illius fœminæ tantopere esset accelerata ut nullum quasi reluctantis naturæ indicium in illius corpore conspicerem & vel levissima opera suffocata esse videretur. Sed mox capite aperto apparuit, nam cerebri vasa undique erant sanguine turgidissima & ventriculi cerebri anteriores ita sero sanguineo repleti atque distenti, ut illud cum impetu simulac cultri apex eo pertingeret, statim prosiliret. Non potui igitur aliter judicare quam quod illud serum ventriculos cerebri mirum in modum distendens

ſtendens, non ſolum excitato graviſſimo capitis cruciatu verum etiam ipſa ſua preſſione miſeram fœminam in melancholicum furorem deduxerit, ipſamque mortem gravi illa in lapſu commotione, & neceſſaria capitis ad parietes putei alliſione accedente*, mirum quantum acceleraverit. Ut vero fontes illius humoris detegerem protraxi ex illis undis ipſum choroideum plexum, non dubitans ex illius vaſis præternaturaliter ſeſe habentibus illum transſudaſſe, neque me fefellit opinio, nam lateribus vaſorum illius, hinc & inde parvæ hydatides, aquæ guttas æmulantes, adhærebant, & talibus ſucceſſu temporis ruptis, procul dubio lympha illa cerebri ventriculis erat inſtillata.

Totus de reliquo plexus choroideus digitorum attactu granulatus videbatur; hinc ego non dubitans, me cerniturum illa corpuſcula quæ à nonnullis celeberrimis anatomicis pro glandulis plexûs choroidei fuerunt reputata, judice autem oculatiſſimo in anatomicis *Ruyſchio* mere præternaturales illius ſunt hydatides, bonam illius partem mecum abſtuli, ut domi eandem oculo armato conſiderarem, ſed die deficiente iſtam contemplationem in poſteram lucem differre & plexum iſtum interea in aquam frigidam recondere coactus ſum.

Altera autem die cum negotium aggrederer, conſpexi pariter clariſſime ſic dictas glandulas retis mirabilis puras eſſe minimas hydatides, glandularum quidem faciem primo intuitu mentientes, facile tamen ſi accuratius conſideraveris pelluciditate ſua ſeſe prodentes. Neque minus conſpexi bene multos minimos vermiculos pediculorum facie, pedibus anterioribus roſtriſque ruberrimis inſtructos iſtum plexum perreptantes, certe jam pridem apud *Bartholinum* in Hiſtoriis anatomicis vermis majoris in cerebro generati facta eſt mentio & pariter *à Rolfincio* in Diſſertt Anatom. l. a. cap. 13. memorabile exemplum vermiculorum pariter in cerebro, ſed prope nates & anum hoſpitantium & rebellem capitis dolorem

lorem nullis præsidiis expugnabilem excitantium producitur.

Similes casus plexuum choroideorum glandulosorum, & ventriculorum cerebri lympha repletorum passim jam sunt annotati. Præter allegatum *Ruyschium* in Epistola anatomica duodecima talis quoque legitur in *Miscellan. Societatis N. C. Dec. III. Ann. IV. Obs. LIX* & hinc & inde apud *Bonetum* in sepulchreto. Quod vero præter intolerabiles capitis cruciatus & varios alios affectus, ut ex iis Observationibus, quas *Bonetum* l. a. collegit, clare pateat miseros quoque patientes à tali malo in melancholicos affectus præcipitari posse, laudatus *Ruyschius* l. a. innuit, scribens istum virum in cujus capite post fata simile habuisset spectaculum licet omni bonorum varietate abunde frueretur, tamen falso paupertatis imagine delusum se Iro egentiorem credidisse.

OBSERVATIO XXXII.

DN. D. RUDOLPHI AUGUSTI BEHRENS.

Purpuræ non rite ad finem decurrentis variæ successiones.

VOcabar exeunte vere ad puerum decimum vel undecimum ætatis annum agentem, febre acuta exanthematica, pro more nostrorum hominum tardius semper medicum advocantium, jam per aliquot dies decumbentem. Leni autem dato diapnoico remedio, prorumpebat cum ægrotantis levamine per universum corporis habitum purpura, dubio omni procul totius morbi scenam clausura, nisi imprudentia parentum longe alium morbo faciem induxisset. Nam quamquam sedulo eos admonuissem, ut ægrum in aëre temperato & plusculum saltem calido servarent, tamen

men illi, neglecto hoc consilio quadam vespera, morbo jam ad finem properante, cum torrefaciendum illis esset frumentum ex quo cerevisia coquitur, id quod fornacis ope apud nos fieri consuevit hypocaustum quo inclusus erat æger tantopere calefaciunt, ut illud vel sano homini vix fuisset tolerandum. Hinc etiam disparuit citissime omnis noxia materia in cute hærens, iterumque intus abrepta est sanguinis effreni motu in corpus, ægro interea in profundum soporem delabente, ut animam eundem brevi efflaturum existimarem. Sed quem vitæ finem iste sopor afferre visus erat, altera luce enormis narium hæmorrhagia, maximo cum impetu prorumpens, afferre videbatur neque illa prius cedebat nostris medicamentis, quam convulsivi præsto essent artuum motus. Illico autem ista vix sopita parotidum in utroque latere maxime dolorifici tumores, jam semel à me purpura non rite procedente observati, aderant & ægro meo non tam dolore quam etiam successu interitum iterum minitabantur. Nam cum discuti illi non possent verum potius ad suppurationem summo cum dolore tenderent, & brevi tempore intra aures essent rupti, tantam profuderunt intra aliquot septimanas serosæ materiæ copiam, non multum interea diminuto febrili calore, ut valde dubitarem me ex lenta atque hectica febre ægrum meum extricaturum. Sed cum ipsi infusum theiforme vulnerarium propinassem, iterum immutata est morbi facies, & nescio an hoc remedio natura reliquias materiæ mortificæ ad alium depulserit locum, vel alium occultum in corpore hostem debellare voluerit. Nam aurium quidem fluxus brevi cessavit, sed successit mox aliqualis lumborum dolor & magna urinæ reddendæ difficultas. Ejus igitur symptomatis causa cum lotium paulo penitius inspicerem summa cum admiratione deprehendi, quod fundum vasis magna copia veri sabuli nephritici occuparet, cujus cum intra aliquot dies, vel integram unciam reddidisset, tali excretione sensim cessante, convaluit demum per Dei gratiam meum-

medicamentis à me ordinatis aſpirantem, & nunc optima fruitur valetudine.

(Brunſviga Auguſtam Vind. d. 28. Sept. A. 1726. miſſa)

OBSERVATIO XXXIII.

DN. D. WOLFFII HEINRICI SCHREY.

Suggillatio labii inferioris & menti ſingularis.

VIRgo quædam nobilis, delicatula & elegantiſſimæ formæ, faciei tenellæ, crinibus oculisque nigellis ornata, Temperamenti ex Melancholico ſanguinei, quæ hypochondriacos interdum affectus paſſa eſt, omnes, vel ex ira vel terrore ortas alterationes animi in corpore etiam ita ſenſit, ut ex tempore alterationem inſequens orgasmus ſanguinis atque ſpirituum ad labium inferius & mentum aſcendens Cuti Muſculum levatorem & depreſſorem labii inferioris tegenti pauca cum intumeſcentia colorem atro purpureum reliquerit, ac ſi notabilis & ruſtica huic tenellæ inflicta fuiſſet alapa, imo, prout ſugillationes ſolent, color purpureus, elapſo tertio die vel quarto, in virideſcentem commutatus poſt ſextum aut ſeptimum diem in ſulphureum deſcendere tandemque evaneſcere ſemper conſuevit. Notetur adhuc: quod affecta nunquam miſerit ſanguinem, tamen quotidiano victu lautiori ſit uſa; hinc plethoram in cauſa eſſe judicavi, in ſpecie, cum tempore catameniorum ira aut terrore afficiebatur. Virgo dicta nobilis orgaſmum quidem cum allegatis ſymptomatibus, ſed gradu multo debiliorem nulliusque durationis eſt experta, ſuaſor exinde fui, ut ſæpius miſſo ſanguine victuque tenui plethoræ reſiſteret. Virgo vero, hoc appetitui contrarium, illud morti ſimile habens conſilium,

omnem

omnem post alterationem notabilem, hunc mihi aliisque rariorem visum affectum perpeti decrevit.

OBSERVATIO XXXIV.

DN. D. WOLFFII HEINRICI SCHREY.

Anatome hydropici.

HYdropem curatu difficilem pronunciavit schola Salernitana, & experientia magistra observavi & ego hydropis causam nullo modo explorari, multo minus removeri potuisse. Ex multis allegabo exemplum pueri cujusdam septimum viventis annum, qui purpura antea benigna infectus, felici atque facili negotio ab illa liberabatur, stragulorum statim ut pueri solent, pertæsus, in vetitum nitebatur & aërem cum commilitonibus liberum quærebat; factum est, ut in hydropem inciderit puer cum cordis palpitatione & pulsu celeri, tamen debili juncta. In causam morbi inquirens intempestivum aëris usum impune accusavi quidem, tamen me judicando errasse postea sum expertus: elapso enim octiduo, puer mortem passus, & ad genuinam hujus hydropiseos causam indagandam, mortuus scalpello meo anatomico est subjectus. In infimo ventre, excepta lympha, non adeo copiose in abdomine contenta, folliculo fellis aqua turgescente, & hydatidibus fabæ minoris magnitudine circa glandulas mesaraicas observatis, cuncta abdominis viscera ne quicquam præternaturale, nedum lethale inferebant. Aperto vero medio ventre, prosiliebant limpidæ nullius ferè odoris libræ quatuor, pulmo dexter totus quantus apparebat sphacelatus, sinister maculis tantummodo sphacelum indicantibus hinc inde notatus erat. Cor stupendæ magnitudinis adulti superabat formam, cujus auricula sinistra ovi gallinacei magnitudinem æquans sphaceli colorem monstrabat. In ventriculo

tandem cordis sinistro vera hujus hydropis causa propendebat. Polypus nimirum, circa valvulas semilunares accretus, ad curvaturam Aortæ ascendens, crassitie digiti minoris pueri, longitudine quadrantis ulnæ, qui stupendus occlusor sanguini per Aortam circulanti vix calamo stramineo transiendi reliquerat viam. Sic me quidem in percontanda morbi causa errasse, tamen, relevetur ut æger, in potestate mea haud positum fuisse sectione manifeste edoctus eram.

OBSERVATIO XXXV.
DN. D. WOLFFII HENRICI SCHREY.

Pueri insolita Magnitudo.

IN Provincia Anhaltino-Cothenensi parens quidam, longitudine vix ulnarum duarum & semis, corpore emaciato, uno verbo exiguæ staturæ vir cum uxore mediæ corporis formæ nec deformis faciei, filium genuit natu secundum, qui à prima statim pueritia magnitudine & crassitie monstrosum sese præstitit. Annum postquam vixerat secundum, hasta juvenili jamjam, hinc & inde crinibus ornata instar juvenis annum decimum quintum aut sextum viventis erat armatus. Nunc quinto elapso ætatis anno longitudinem duarum ulnarum & quadrantis superat, crassitie excedit patrem, genitalibus plus quam virilibus instructus, pollutiones, testibus stragulis, patitur nocturnas; robore corporis gaudet admirando, nec animus deficit heroicus; voce quasi tonante adstantium replet aures, quæque proponit minus absurda & indeliberata resonant, hinc eum ingenio atque judicio non ita vulgari (uti plerumque in ejusmodi monstrosæ magnitudinis hominibus contingit) instructum quilibet judicat, appetitus adæquatus corporis moli, in voracitatem fere degenerat, somnoque nocturno æque ac diurno delectatur eximie. Princeps Anhaltino-Cothenensis curiositate commotus hunc exiguæ statu-

staturæ parentis filium, in pueritia virum accersere jussit, sibique persuasus ad Enakim eum aliquando accessurum paucis hunc annis puerum, molis quantitate virum afficit clementia, majoremque se crescente corpore & mente in eum derivaturum promittit clementissime.

(*Delitio Aug. Vind. d. 20. Oct. A. 1626. missæ.*)

OBSERVATIO XXXVI.
DN. SIGISMUNDI JACOBI APINI.
De
Caussis nondum finitæ controversiæ: An bruta habeant sensus & Rationem?

DUo sunt, quæ de Brutis in Naturali Philosophia disceptari solent: unum de *Sensu,* alterum de *Ratione* brutorum. Quando enim manifestum atque clarum esse omnes fatentur animalia bruta à corporum externorum contactu, lucis, aëris, halituumque odoriferorum impressione varia, diversimode affici, idque diversis corporis motibus ostendere, quibus sanguinis etiam motus respondeant; de hoc tamen non satis convenit inter eruditos, an per sympathiam & antipathiam operentur? (a) an mechanica quadam ac avtomatica ratione omnia peragant? (b) an vero in iis aliquid sit, quod diversos corporis motus percipiat, & rursus varios motus in corpore excitet? quo ultimo admisso, *brutis omnino sensum & aliquam rationem concedendam esse* plurimi recentiorum Philosophorum intrepide asserunt, ita tamen ut multa resideant dubia, quæ nisi è medio tollantur, in infinitum hac de re & sine omni successu disputari posse nemo non videt. Digna itaque nobis visa est hæc materia accuratiori disquisitione vel ideo, quia me genuinam invenisse causam

M 2 puto,

(a) Ita deliravit superiori jam seculo *Gometius Pereira* in vasto illo XXX. annis â se elucubrato *Antonianæ Margaritæ* opere.

(b) Cujus sententiæ est *Cartesius* cum sequacibus.

puto, *cur tam diversæ de anima belluarum sententiæ circumferantur?* Quæro autem 1) hanc litis causam potissimum in eo, quod illi etiam, qui optime de Sensu & Ratione brutorum loquuntur, sufficientibus hactenus argumentis fuerint destructi, quibus assertum de ratione brutorum satis probarent, hincque facile à contraria parte petitionis principii sint accusati quasi ex falso aut incerto principio, falsam hanc &, ut multis videtur, impiam deducerent conclusionem: *ergo bruta habent rationem.* Ostendam hoc ex recentissima & ad evolvendas brutorum animantium expeditissima sententia, cui & ego, de veritate rei plene convictus, subscribo. Est enim vero nulla naturali hominum judicio accommodatior sententia hac ipsa quæ *spiritu quodam humanæ menti analogo regi bestiarum corpora statuit.* Probari solet hoc assertum ex comparatione instituta inter corpus humanum & belluinum, atque exinde concludi: si in corpore belluino, æque ac humano, similis structura interior, motus, appetitus, generatio, accretio & nutritio observatur, sequitur, simile utrisque inesse actionum principium. Atqui in eo, prouti facile animadverti poterit, neque sibi neque aliis satisfaciunt, quod non exemplis ab actionibus brutorum desumtis affirmata confirment & rite applicent. Venit autem hic defectus exemplorum, si dicam quod res est, ex negligentia aliqua, observationum necessario instituendarum. Licet enim quotidie homines brutorum actiones videant & sæpius etiam mirentur, paucissimi tamen eo perveniunt, ut accuratius attendant, ex quo principio hæc vel ista actio provenerit? an naturalis causa de ea possit dari? an consuetudine hoc vel illud fecerint? & quæ sunt alia. Imo denegantes brutis rationem in ejusmodi erumpunt verba: Das Thier führet sich ja auf, als wenn es einen Verstand hätte, qua ipsa dubitandi formula contenti, non inquirunt, an recte sint locuti & num ratione actio ista à bestia sit commissa. Patet igitur, quod posteriores ex præjudicio aliquo autoritatis à pueris implantato, ne-

to, negent, quod bruta habeant rationem; priores vero, qui spiritum, menti analogum brutis tribuunt, non satis observent brutorum actiones, ut ratiocinia sua inde colligant. ***Secundam litis causam*** hanc esse statuo, quod Patroni sanioris sententiæ non genuinum hujus spiritus menti humanæ analogi conceptum adversariis suis ostendant, qui bestias semper *passive* se habere, nunquam *active* autumant. Non autem credimus à Deo vivo aliquid fuisse conditum vitæ expers, sed potius statuimus, quod quemadmodum mens nostra agat cogitando, patiatur cogitationes recipiendo, ita spiritus memoratus pariter agat se aliaque corpora movendo, patiatur impetum ab aliis sustinendo. Quo posito, possumus brutis assignare spiritum menti humanæ analogum, qui differat ab anima hominum spirituali, activitate tamen sua, quanta ad regendum corpus bestiarum opus est, cum illa conveniat. (a)

Facile sic evitari poterunt exceptiones, quas de defectu sermonis, de necessaria præsentia imaginis divinæ, de capacitate moralis disciplinæ & immortalitate tanquam absurda proferunt ex altera parte, de quibus vero omnibus nunc non dicam, quia alia occasione de hac materia ex instituto dicendi occasio nobis suppeditabitur.

Tertio denique loco & hoc monemus, quod argumentum omni exceptione majus à comparatione cum anima humana certo modo petitum, à plurimis hactenus fuerit omissum. Quod si enim vero sentientes concludunt à structura interiore corporis humani & belluini, cur non etiam comparationem instituunt inter animam hominis & brutorum? Nam I.) certo certius est & omnium Philosophorum consensu confirmatum, nos nescire quid proprie sit Anima. Certe si hoc esset clarum, non tot infelices Philosophorum de anima

 erro-

(a) Es hat also ein Ochs einen Ochsen Verstand, eine Katz einen Katzen Verstand & sic porro h. e. habent omnia animalia rationem proportionatam suæ essentiæ & conservationi.

errores, non tot incerta de natura mentis pronunciata, non tot anxiæ humanorum judiciorum de illa suspensiones superessent. II.) Et hoc veritate sua constat, nos nullius rei magis esse conscios, quam variorum in nobis actuum atque operationum, & quando sentimus, intelligimus, cogitamus, ratiocinamur, volumus & libere eligimus, necessario in nobis subnasci conclusionem, aliquid in nobis esse oportere, quod istas operationes in nobis producat. Concludo ergo ex his omnibus: si animæ nostræ essentia à priori nobis ignota est, idem quoque de anima brutorum esse statuendum; 2) si ex operationibus diversimodis ad τὸ esse spirituale animæ nostræ argumentamur, eodem plane jure fieri id posse ex contemplatione actionum brutorum, quanquam ideo non statim ad immaterialitatem provocandum sit. Etsi etiam adversariis concederem, fluere omnes istas operationes ex mechanismo aliquo ceterum omni principio libero agente esse destituta bruta; tunc necessario mihi concedendum erit, operationes hominum à simili mechanismo dependere, & hominem sublimius aliquod animal, quia una eademque structura corporis in his & illis deprehenditur. Quemadmodum vero non licet ad illam Atheisticam conclusionem descendere & dilabi; ita etiam absurdum erit sola animalia bruta à principio aliquo agente excludere. Machinam corpoream, ut in hominibus adesse largimur; principium vero movens mechanicum esse negamus, quam diu certum est, nullam machinam, à principio movente mechanico dependentem, positis requisitis moventibus, posse agere vel non agere. Plura vero imposterum afferemus exempla, animalia bruta iisdem plane præsentibus requisitis moventibus posse agere & non agere. Et ut salivam saltem negantibus moveam, provoco ad canes, qui jussu domini accedunt, interdum tamen iisdem plane verbis, sono, ac gestibus adhibitis, nihil minus faciunt. Dicant nunc mihi Mechanismo faventes, ubi sit illud principium mechanicum eodem semper modo agens, vel quid impediat, quo minus

minus agat? Hæc omnia igitur mecum plus vice simplici considerans, non vereor meam de *sensu* & *ratione* brutorum sententiam his propositionibus includere.

1) Bruta habent rationem sive spiritum menti humanæ analogum, quo reguntur, intelligunt & volunt.

2) Bruta habent sensus per quos res extra se positas percipiunt, & ope mentis, dijudicant & de illis ratiocinantur.

3) Brutorum essentia animæ æque ac nostræ à priori nobis est incognita, ex operationibus tamen diversimodis dijudicanda.

4) Brutorum anima potest statui materialis aut immaterialis, ut nihil absurdi, quodcunque etiam eligatur, inde sequatur.

5) Brutorum animæ an in æternum sint mansuræ ut monumenta perpetua omnipotentiæ & sapientiæ Dei non audemus definire, quanquam negativa S. literarum magis corroborari videatur, interim si velit quis affirmare, sine conscientiæ scrupulo fieri possit.

Sed dicis, quid utilitatis inde emergit, etiamsi satis clare sit evictum, quod bruta habeant sensus & Rationem? Paucis me expediam, ne limites observationis transgrediar: Facit hæc cognitio 1) ad præstantiam hominis cognoscendam præ bestiis. Licet enim bruta gaudeant ratione, homo tamen in longe eminentiori gradu exercitium rationis habet. 2) Facit ad mores hominum corrigendos. Quod si enim videmus, bestiam convenienter naturæ vivere, colligere in æstate victum &c. multi certe, qui deteriores bestiis vivunt propter intemperantiam suam, ad pudorem & meliorem frugem inde redigi poterunt. Tertio denique controversia ista diu multumque ab Interpretibus Juris Nat. agitata, *an brutis officia sint præstanda?* per hanc cogitationem adeo facilitabitur, ut dubia hinc & inde facta sponte sua cadant & suam probationis vim amittant. Plura alia commoda ex hac doctrina resultantia brevitatis studio omitto & finem nunc facio observationis meæ.

Ne vero hæc omnia saltem dicta non vero probata quis existimet, peculiarem hac de re cum die & tempore eruditorum examini subjiciam tractatum, hoc modo conceptum, ut 1) exponam quid sit anima? brutum? spiritus menti humanæ analogus? ne ex vocabulis perperam intellectis confusio oriatur.

2) Omnes Eruditorum sententias de actionibus brutorum colligam, ut de illis eo rectius judicari & ad objectiones responderi possit.

3) Quæ nostra sit sententia, exponam, eamque exemplis ab actionibus brutorum petitis probabo, nimirum bruta habere facultatem percipiendi, judicandi, rationandi, appetendi & aversandi, recordandi, affectus amoris, timoris, gaudii, iræ, odii &c. admirationis esse capaces, posse loqui, simulare, dissimulare sicque multa cum hominibus habere communia & habere sensus atque Rationem.

4) Objectiones hinc & inde factas resolvam. Sic eveniet ut sententia, quæ hactenus multorum ingenia in suspenso reliquit, tandem aliquando obscuritate sua liberata in lucem prodeat omnibusque recte sentientibus ex asse satisfaciat.

(Noriberga Augustam Vind. d. 2. Oct. 1725. missa.)

OBSERVATIO XXXVII.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

De

Juvene Scorbutico drasticis occiso.

INterest & societatis humanæ & medicinæ rationalis, ut increscentes ubivis fere locorum magis & magis & numero & magnitudine errores pseudo-Medicorum publico patescant,

ſcant, Medici conſcientioſi hiſtorias triſtium eventuum colligant, eum præcipue in finem ut ſpectaculo tam horrido admoniti princeps & proceres commiſeratione afficiantur erga Medicinam theoretico-practicam, rationis fulcro nixam, diu eheu onere Empiricorum & Empiriæ preſſam, erga cives atque ſubditos, quorum vita & ſanguis adeo temere profunditur, & Zelo juſtitiæ animentur contra hujusmodi homicidas, terreantur alii, ne tam facile vitæ ſuæ & ſanitatis Theſaurum imperitis & audaculis impoſtoribus concredant, & tandem diſcamus nos ipſi ex aliorum erroribus.

J. J. F. Baſilienſis viginti circiter annorum juvenis ſalino-ſcorbuticæ diſpoſitionis ante annum & dimidium laborabat ulceribus, in crure dextro varicoſis, curatus à Medico decoctis lignorum & antiſcorbuticis chirurgo opitulante, & altera quidem vice. Arguere haud difficile erat ex eroſione ulceroſa & corporis habitu, poſſe aliquando diatheſin hanc ſalinam aggredi interna etiam viſcera & juvenem præcipitare in phthiſin, tanto quidem magis, quod ulceribus clauſis exitus fuit ſpiculis ſalinis denegatus extra corpus; ſub finem Anni 1718. vexatus colica ſcorbutica cum hypochondriorum tenſione & acri dolore. Tractatus per triduum aquis deſtillatis carminativis domeſticis abſque levamine, advocatur Medicus N. Cumque aſſuetus eſſet Juvenis à ſat longo tempore quovis mane haurire ſpiritum vini, vel ceraſorum, cujus uſu ſpicula ſalina non tantum non fuere diluta, & per emunctoria educta, ſed magis accenſa & ſimul cruoris maſſa inviſcata; ordinavit Medicus ad purgandas primas vias potiones chologogas, ſed abſque inſigni effectu. Exaſperatus hoſtis, non extruſus, ſecuta per biduum conſtipatio alvi, quo temporis ſpatio turbata peccans materia & in motum acta transfundi facile potuit ad maſſam ſanguinis, & viſcera nobiliora obruere. Interea temporis tractatus æger decoctis & mixturis antihecticis & antiſcorbuticis: ſecundo die applicatum clyſma, dejecta materiæ ſeroſæ, bilioſæ ac viſcidæ ſaburra.

Rejecti per os vermes undecim; ingenti siti vexatus æger magnam hausit copiam aquæ communis, in qua carbones querni extincti; prolongata ultra spem cura confugit impatiens ad carnificem. Is è vestigio ex urina, ut solet hoc hominum genus prædixit summum vitæ, ni prompte succurratur, discrimen, judicans pro ingenii scilicet perspicacitate, erupturum in sinistro abdominis latere ulcus; exhibuit purgans ordinarium drasticum, rejecta ἄνω καὶ κάτω magna materiæ copia, unde levamen sensit æger, mox pulverem candidum purgaturum per diuresin, evasit inde urina crassissima: paucis elapsis diebus, denuo purgavit ægrum successu priori, ut copiosa nimis excretio miserum hecticum præcipitaverît ad mortem insecutam. Postero die 11. Jan. A. 1719. quo assumpsit à medicastro mundo valedicturus mixturas cordiales, quinta à meridie hora exinanitum misellum corpus, & tot spiculis tum scorbuticis residuis tum medicamentosis, an venenatis? agitatum corripitur diris convulsionibus, primò artuum tam superiorum quàm inferiorum, post thoracis, ut insecuta fuerit dyspnœa & præcordiorum oppressio. Hora sexta vocatus Empiricus convulsivos motus sedaturus carpis applicat epithemata spirituosa. Sedata fuerunt feliciter, & ita, ut trihorio post ad plures migraret æger, errorem medici vitâ propriâ luens.

OBSERVATIO XXXVIII.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Ex tumore claviculæ pendente incautè tractato Cancer lethalis.

MArgareta E. 48. Annorum fœmina ante biennium circiter tumorem nacta folliculo inclusum Pyri ad instar ex clavicula sinistra propendentem, confugit posthabi-

habitis peritioribus, ad Chirurgum imperitum. Extirpat hic, peritiam suam in curandis affectibus scirrhosis & cancrosis ebuccinaturus, tumorem scalpello, & passim in victoriæ reportatæ Trophæum ostentat tumorem exsiccatum; post autem ægram male tractat, ut vulnus apertum fuerit relictum, caro vicina callosa evaserit, & ex affluxu acrium humorum cancrosa, erosis tubulis profundens Ichorem putridum, acerrimum, coloris flavi, omniaque abierint in pejus. Extirpatio facta sub initium Anni 1718. Eodem Anno infelix Chirurgus miseram ablegat Badam, haud considerans, thermarum harum sulphurearum usu salia acriora adhuc & tandem caustica redditum iri, id quod accidit reapse. Patitur Brachium latusque dextrum Atrophiam, intumescit sinistrum, tubulis ibi clausis, hic distentis. Interim negligenter tractatur & visitatur à Chirurgo, qui hostem in miserum corpus dirum in modum grassari permittit.

Hac consolatione destitura ægra recurrit ad superiores qui commiseratione ducti eam die 26. Jan. A. 1729. receperunt in hospitium leprosorum desperatis hujusmodi casibus dicatum. Delatæ huc & à deputatis inspectæ status præsens & miserrimus hic erat. In anteriori & superiori thorace à clavicula tota sinistra ad mammam sinistram, formâ trianguli æquilateri omnia sunt corrosa, ut ossa claviculæ ac costarum superiorum nuda fere jaceant; corrosi & musculi intercostales, ipsam usque pleuram, per cujus transparentem structuram cordis & pulmonum actio distincte satis observari poterat. Caro marginalis intumescit in dies, corrodenda de novo, cum doloris semper acerbi sensu. Profluit continuo materia ichorosa, lutea, acris, fœtens. Respiratio difficillima, erosis musculis actioni huic inservientibus. Pariter & deglutitio. Per totum morbi decursum rarus admodum fuit somnus, raræ alvi dejectiones, appetitus parvus.

Finem miserrimo morbo fecit mors secuta Die 5. Febr.

OBSERVATIO XXXIX.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Cruris Sinistri Rigiditas ex vesicantium abusu.

DOminus Josephus Kilianus à Lebenbrunn, Tyrolensis Nobilis ex sacerdote Meranensi, contagio affectus ante 7. circiter menses cruris sinistri erysipelate affectus à Chirurgo Castrensi ita male tractatus vesicatoriis, ut succo lymphatico omni pene extracto, & fibris tum cutaneis tum musculosis constrictis insecuta fuerit Tibiæ inflexilitas, & cruris exucca rigiditas tactui ubique resistens. Thermis Aquisgranensibus in cassum usus, ad nostra auxilia recurrens, in Nosocomium receptus, d. 1. Mart. 1719. tractandus fotibus, quibus tubuli constricti dilatari, lymphæ fluxus restitui, sanguinis circulatio & nutrimenti affluxus promoveri forte possint.

OBSERVATIO XL.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Ex unguento Mercuriali Arthritis fixa Scorbutica.

DN. Casp. L. conjux æstate A. 1718. Symptomatibus variis hypochondriacis vexata ingruente autumno inficitur ob salium ad superficiem cutaneam evolutionem scabie humida, tractata à Medico ordinatio D. Joh. L. M. absorbentibus, sanguinem acrem scorbuticum corrigentibus

bus, ac diluentibus, abſtrahere juſſa à Topicis. Aſt ægra methodi hujus rationalis pertæſa â Maria Buchera Ruſtica medicatrice perſuaderi ſe patitur ad unctionem cum unguento Mercuriali, quod videbatur conſtare Axungia porcina cum Mercurio vivo. Hoc remedio bis inunctæ evanuit prorſus ſcabies, ſed mox incidit in dolores ingentes articulorum ſcorbuticos, & membrorum immobilitatem. Cutis, qua parte fuerat inuncta, contraxit nigredinem veluti à fuligine. Detecto errore à medico ordinario, rurſus in conſilium vocato, reſtituitur ægra intra 3. Hebdomadarum ſpatium, inprimis decoctis lignorum abſorbentibus, cinnabarinis, ſaturninis, ſpecifico item antifebrili, quibus lympha ſcorbutica paſſim in glandulis articulorum & cutaneis coagulata fuerat reſoluta.

OBSERVATIO XLI.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Ex purgantium abuſu Febris Hectica & mors.

DN. C. de M. - - amantiſſima conjux per aliquot conſecutive annos verno quovis tempore tuſſi vexata humida, reſoluta nempe accedente calore materiâ viſcida ſalſa & per glandulas bronchiorum & faucium expulsâ, ante biennium circiter aliquamdiu degebat in pago editioribus montibus vicino, ubi à rigidiori aëre impedita ſecretio diſponebat Matronam nobilem, ut rediret Tigurum, valetudinem ſuam curatura, ſed nec hoc permittebat graviſſimus matris morbus, cui adſiſtere tenebatur filia tunc virgo. Remittebant nihilominus graviora accidentia, ita ut poſt matris obitum maritata verno tempore anni 1 7 8. Medicamina ſumſerit, optimum imprimis effectum ſentiens à juſculis antiſcorbuticis & pectoralibus ex plantis recentibus. Ingravi-

data æstate sequenti, pro diluendis salibus optimo successu usa fuit 15. mensuris Aquæ Fabarianæ, quam tanto faciliùs concesserat medicus, quod prægressis remediis liberatam viderit à tussi, febricula, sudoribus graviora minantibus, quæ redibant ingruente Autumno, lymphâ denuò reddita & crassiori & acriori. Horum conspectu nata suspicio ac si medicus ordinarius, mitiori sua, licet rationali, methodo non plus ageret, quam qui ægros expectando curare prætendunt. Advocatur eo inscio Carnifex Schönenbergerus securitate tanto majori & secretiori, quod gravida medicamentorum ordinariorum cursum quiete interpolare prætenderit. Accidit interea temporis, ut septimo mense graviditatis abortum passa inciderit in febrem continuam, revelatum tunc mysterium; comparet in Theatro carnifex. Prostituitur Magistri hujus effato medicina Rationalis, accusatur bilis magnâ copia Matrici insidens: (Es habe sich die Galle in grosser Menge auf die Mutter gesetzet) aggrediendum esse opus remediis fortioribus, menses esse stimulis validis promovendos, hostem vi expugnandum; propinantur per bidua singula fere drastica; diffluunt tot evacuationibus iteratis fluida, tonum amittunt solida, accenditur febris magis & magis, cadunt vires; paucis ante obitum diebus delirio corripitur Melancholico, quo durante dira omnia imprecatur Medicastro, sortem suam deflet misera. Rebus licet desperatis eò audaciæ procedit homicida, ut unico ante obitum die, facie hippocratica, & aliis pessimi commatis indiciis aliud longe clamantibus, per animam suam juraverit, periculi adesse nihil. Viscera interiora esse salva, restitutionem fore certam, cujus eventum subito rescidit proximo die secuta mors.

OBSER-

OBSERVATIO XLII.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Cachexia ictterica à Martialium abusu.

DNa. H. - - - 20. annorum virgo per annum nunc & ultra languens à D. O. - - ordinario Cachectica tractatur variis remediis, imprimis verò pillulis ex limatura Martis, vel croco, in ſubſtantia, interpolatis fortè alcalinis, ut inde orta fuerit Calx plicis ventriculi altè infixa ventriculi actionem depravans, extremos glandularum tubulos criſpans & obſtruens, lymphæ ſecretionem oppido neceſſariam impediens, quam degenerationem in calcem ſuſpicatus fui in auxilium vocatus, ex fruſtulis albidis calciformibus per vomitum & ſeceſſum rejectis. Die 8. Junii 1718. accerſitus obſervavi tonum ventriculi cum appetitu dejectum, habitum cachecticum pedes imprimis ſub veſperam tumentes, urinam crudam & lymphaticam cum ſedimento pituitoſo, phlegmatis in maſſa ſanguinea prædominantis, & fibrarum fluidarum indicem, tuſſim ſiccam rebellem, & ſitim ingentem ex impedita Lymphatici laticis per glandulas bronchiorum & faucium ſecretione propter coagulationem inductam liquidis per martialia & imminutam cruoris tum velocitatem, tum fluiditatem, ſuſpicans mox à conſpectu pilularum ſiniſtrum martialium in calcem degenerantium uſum, materiam in primis viis, ventriculo cumprimis, emollire conatus ſum oleoſis & cinnabarinis die 16. propinavi hoſtem in fronte aggreſſurus, vomitorium blandum ex Oxyſaccharo cum Aq. Acac. quo nihil efficiente die 18. exhibui aliud fortius, quod operabatur quinquies per vomitum, & ter per ſeceſſum; die 20. & ſeqq. ad reſtituendum ſimul tonum fibrarum, & materiam ulterius tum

tum in primis viis, tum in Massà sanguinis resolvendam, pulveres exhibui stomachicos, quibus intermiscui nunc sal polychrestum, nunc flores salis armoniaci, injungendo simul Infusum Trif. fibr. loco Theæ. 4. Julii & seqq. ultra octiduum copiosa excreta urina, Diabetem simulans, quæ aperuit novum fontem ex abusu chalybeatorum, quod nempe ab adstrictoria horum vi globulis fuerit inducta coagulatio & serum inde veluti expressum, aut uti in lacte coagulato discedens per tubulos renales copiose fluxerit, quamvis hujus resolutioni, & materiæ insimul viscidæ attenuationi manus simul dederit salinorum supra memoratorum usus. Ne vero diabetico fluxu nimium depauperaretur sanguinea massa, viresque prosternerentur, exhibui subinde Tinct. antiphtisicam Gramanni. Interea temporis cogitabam de cura generosiori, & quidem acidularum Mauritianarum, ut materia viscida hinc inde tubulis corporis totius impacta resolveretur, erueretnr, & simul tonus fibrarum ex post roboraretur: tingebatur magis & magis urina, continuabat tamen tussis sicca, appetitus fuit exiguus: Non transibant acidulæ pro rata portione assumtæ, forte quia aquæ per diabeten excretæ prius fuerunt restaurandæ, interpolavi pulveres aromaticos stomachicos cum Sal. polychr. die 23. injuncta cessatio ab usu Acidularum, quod inde à biduo senserit ægra inflationem Abdominis, hodie exhibita potio purg. Jalapina, quæ septies purgavit κατω, semel ἄνω, cum εὐφορίᾳ, d. 9. Aug. postquam sponte fuerat purgata, exhibui Elixir propr. Redibant inde vires, appetitus, color, menses stimulati convenientibus emmenagogis.

Hisce remediis liberata prorsus & à Cachexia, & ab imminente hydrope, salvaque evasit.

OBSER-

OBSERVATIO XLIII.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Ex Drastici usu dispositio Convulsiva.

DN. S. - - - filia 23. annorum floridissimi antea aspectus, sanitatis optimæ, ἔυσαρκος, Mense Augusto Anni 1718. suasu cognatæ à carnifice Schönenbergero sumsit Emeticum pro more hujus gentis Volmerianæ (hoc namque nomen gentilium in illud ante paucos annos transiit) violentum, non eo ipso duntaxat die, sed & post convulsiones fuit passa per vices, & carnis marcorem. Systema nempe nervorum non solum stomachicorum, sed totius corporis tum per consensum tum à medicamenti portione in M. S. rapta fuit à spiculis venenatis convulsum, ita quidem ut levi postea motu, ex levi terrore, ex. gr. ob ingruentem forte tempestatem oborto, illico in motus eruperit terrificos passa mensium defectum per aliquot menses: vocatus ego d. 27. Jan. 1719. ingruente nocte vidi motibus gravissimis totius corporis, in specie præcordiorum, spasmodicis agitatam, quibus obviam ivi fumis accensis, & olei succini inunctione, & exhibui mixturam absorbentem, simul & antispasmodicam remittentibus symptomatibus cochleatim exhibendam.

Die 28. postquam noctis partem potiorem transegit quietè, manè novos patitur insultus, mittit urinam citrinam sanæ haud absimilem, exhibui lingendum subinde looch ex oleo Amygd. dulc. cum cinab. & aliis antispasmodicis, herbas item præscripsi emollientes & laxantes pro pediluviis. Transigebatur hic dies frequentissimis convulsionibus, præcordia imprimis stringentibus: sub vesperam jussi applicare suræ dextræ vesicatorium, & dorsi spinam inungere, oleosis

anticonvulsivis mixturis, addidi ad relaxandas magis fibras. Ess: op. Langelotti; ingruente nocte rediit ad se, mentis alias inops, cessabant symptomata, prodiere menses, ordinavi tenuem emulsionem, noctem insomnem fere egit propter dolorem ex vesicatorio.

Die 29. à convulsivis insultibus est libera, fluit vesica, accenditur sitis, fluunt menses, conceditur larga Emulsionis copia, fatigatum valde corpus, ordinatus potus alius ordinarius ex radicibus & herbis resolventibus & refrigerantibus.

Die 30. A convulsionibus libera, alvus à biduo clausa sollicitata suppositoriis.

Die 31. Se habet melius, alvus soluta; redit appetitus hactenus prostratus, fluit vesica, ung. Ægypt. irritata.

Die 2. Februarii exhibita potio diaph. c. Mixt. Simplici quâ liberata fuit ab onere hactenus præcordiis molesto, repetita die 5. unde optimè se habuit, mittens interim urinam cum sedimento pituitoso salso, servata hactenus aperta vesica.

OBSERVATIO XLIV.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Ex Emplastrorum incauta applicatione dolores Pleuræ & totus lateris sinistri.

DN. M. - - - Conjux ante paucas menses virgo, delicatissimæ dispositionis systematis nervosi admodum sensibilis, inde ab aliquot annis conflictata cum variis Rheumatismis, convulsionibus frequentissime & levi de causa erumpentibus, lipothymiis, præludiis Arthritidis, his omnibus aliisve malis vario remediorum usu liberata, se cum nihilo mi-

minus gerens seminia phlegmatis acribus particulis biliosis, & salinis intermixti, postquam conjugium init, occasione dolorum dorsi consilium petens à Schönenbergero carnifice, suasu muliercularum quarundam, emplastris obtegi patitur dorsum & pectus ante circiter 6. hebdomadas, inde vero ab illo tempore dolor, isque satis acutus, occupat pleuram, aliasque partes membranosas sinistri lateris, ad scapulas usque sursum, & abdomen deorsum sese protendentes. Judicavi vocatus die 1. Febr. 1719. in causa esse materiam peccantem pituitosam acribus spiculis fœtam, extremos lateris inprimis sinistri tubulos obstruentem. Confirmatus in hoc meo judicio, ex quo de errore commisso, transpiratione per emplastra impedita factus fui certior, & quia querebatur ægra de frigore totius corporis, quod nec lecto, nec mariti amplexu fugari poterat. Exhibui ad resolutionem materiæ & fibras, simul roborandas trageam stomachicam cum Rad. Ari. die 8. vesperi frequentes patitur lipothymias, & nocte insequenti convulsiones totius corporis. Noctem agit inquietam, ordinavi præter mixturas roborantes & antispasticas, potumque ordinarium ex radicibus & herbis Acet. Agrim. sassafras mixturam diaphoreticam, ut ad extrema pellerem materiam peccantem, subsequo quidem æstu, sed nullo dolore diem 9. transegit debilis, doloribus paulo remissioribus. Est urina tantillum intensior ordinaria, salibus fœta, sperabam venturam febrim intermittentem, & salium vitiosorum blandam resolutionem.

Die 10. sub vesperam, ut urgentibus doloribus lateris prævenirem, uncias 5. sanguinis extrahi jussi ex Brachio sinistro: secuta tranquilla satis nox, diminutio dolorum, virium restauratio, ut diem 11. transegerit satis benè.

Hoc die 11. consilio inito in Consilio nostro ordinario decretum fuit continuare usum blandorum diluentium, speciatim etiam antiscorbuticorum exhibendorum, vel in jusculis, vel potu ordinario, nec non diureticorum, quod ad vias

 ordi-

ordinarias vergat potius natura, quam ad glandulas cutaneas, ad quas natura ipsa à teneris annis non est disposita. Ad interim non nimium resolvenda salia, ne forte in hecticam prolabatur ægra, ordinavi Nasturtium in jusculis, mixturam antispasmodicam absorbentem cum cinnabari: pulveres ex oculis Cancri sal. absinth. sacch. sumendos in sero lactis, commendata subinde julapia acidiuscula, ptisanæ simplices.

Die 12. & 13. à Meridie friguscula sentit & æstus cum pulsu febrili, dolore recrudescente, urina crudiori: latus dolens inungi curavi Ol. lil. Spir. Vin. liliat &c. exhibita mixtura acidiuscula.

Cotinuatâ hâc curâ à dolore aliisque incommodis liberata, vel quasi.

OBSERVATIO XLV.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Ex Venæ Sectionis abusu Amaurosis & convulsiones.

Accidit mense Febr. 1719. ut prægnanti ἐνσάρκῳ Chirurgus venam aperiret medianam utriusque brachii eadem horâ, ut multum imô nimium effluxerit sanguinis. Hinc mox ortæ convulsiones & Amaurosis.



OBSER-

OBSERVATIO XLVI.

DN. D. JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI.

Ex Drastici usu Ruptura Oculi & cœcitas.

MEnse Majo Dn. S. filia ex assumpto à nostro carnifice Schönenbergero Drastico vomitibus consecutivis ita jactata, ut oculis protuberantibus alter fuerit disruptus, cœcitate mox insecuta.

(Tiguro Augustam Vind. d. 7. Dec. A. 1726. missa)

OBSERVATIO XLVII.

DN. D. JOH. ADAMI LIMPRECHTI.

Ophthalmia visus hebetioris in Sene Cura.

ANno Millesimo septingentesimo vigesimo quarto à salutifera nativitate Expertissimi illius Ophthalmici, qui cœcum natum visu donavit lotione in piscina Siloë, postquam super oculos ejus lutum unxerat ex sputo suo in terram ejecto compositum, Medicus quidam, qui ætatem suam ad finem anni septuagesimi tertii ferè perduxerat, crescente autumno, vehementissima corripitur *Ophthalmia*, quâ topicis magis quam internis assumptis medicamentis curatâ, sensim visus ipsi redditur acutior, ita ut Senex iste, qui ultra quindecim annos perspicillis visui succurrere coactus fuit, jam per hos ipsos undecim menses, oculis nullo modo armatis litteras charactere etiam minore expressas modo lumen solare aut lux artefacta ipsi sufficiat, absque ulla hæsitatio-

ne legere & ut olim in annis juvenilibus prompte scribere valeat.

(*Berolino Augustam Vind. d. 13. Sept. A. 1726. missa.*)

SCHOLION.

IDem mihi absque præcedente oculorum affectu & sine ullis collyriis adhibitis post annum septuagesimum per Dei gratiam contigisse testor. Conf. Dec. I. Miscell. *A. VIII. p. 32. M. B. Valentini.*

OBSERVATIO XLVIII.

DN. D. CHRISTOPH. JACOBI TREU.

Phimosis Methodo nova curata.

COmmilitonum quidam academicorum, annos circiter viginti natus, Præputio vexabatur prælongo, cujus hiatus adeo erat angustus ut, pene rigido, glandem denudare haut potuerit. Hic aliquando ex familiari colloquio amici, diu jam probati & medico studio operam navantis, intellexit, quod huic vitio non alia, nisi per circumcisionem Judæis olim præceptam, medela possit afferri, quam si perferre nolit, graviora incommoda ipsi forte sint ferenda. Dicto audiens miser, ut ea evitaret, cultello se subjecit & amputationem præputii æquissimo animo sustinuit, licet cæterum placita Judæorum cane pejus & angue detestaretur.

Peracta operatione, Operator de hæmorrhagia nimis sollicitus stypticum in auxilium vocabat pulverem & brevi temporis spatio ante glandem claudebat vulnusculum, sed præter eventum speratum, siquidem cicatrix, cui minus prospexit, circuli ad instar callosi indurata hiatum magis quam antea stringebat atque retractionem, pene etiamsi flaccido, denegabat,

gabat, imo in ſtatu erectionis partem glandis anteriorem dolenter ſtrangulabat. His in anguſtiis Chirurgus, dum ſaniora Conſilia ipſi non ſuccurrebant, voluit vel novam Calli reſectionem vel præputii longitudinalem fiſſuram ſvadere; Patiens vero anxius hærens neutrum (hoc, ob notam ancipitis ſuſpicionis futuræ remanſuram & illud, ob infauſtum prioris operationis eventum) elegit, ſed ſecum conſtituit meam quoque explorare ſententiam. Mihi autem Callum perſcrutanti in mentem venit, præputium partem eſſe cutaneam, cujus calloſitas ex nimia deducenda eſſet condenſatione, expanſionem probabiliter admiſſura. Ad hanc itaque impetrandam peculiare excogitavi Inſtrumentum TAB. II. *Fig. III.* delineatum. Hoc, ad imitationem circinorum quorundam mechanicorum, in vertice a. elaſticam exercet vim (eſt enim totum è bono chalybe fabricatum) ſed crura b. b. habet latiora exterius parum convexa interius concava (Præputio ſcilicet æque ac glandi accommodata) & ad finem c. c. obtuſa, undique vero, ad præcavendam læſionem, probe polita, ad exortum ſuum inſuper crenis d. d. utroque in margine notata, ad medium vero e. e. eum in modum flexa ut in expanſione ad parallelum ſitum accedant ideoque æqualiter premant. Uni ex hiſce cruribus firmiter infixa eſt ergata ſemicircularis f. per foramen ſimplex alterius cruris tranſiens & extra illud cochlea parva g., vim expanſivam crurum pro lubitu dirigente, inſtructa. Hocce itaque Inſtrumentum cochleæ ope clauſum in TAB. II. *Fig. IV.* &, ne tam facile elabi poſſet, circa exteriorem crurum faciem linteolo tenui emplaſtro obducto, munitum, immiſi orificio præputii relicto, poſtmodum vero illud tantum relaxavi; quantum dolor obortus permittebat, & tunc emplaſtrum quoddam emolliens Callo impoſui, Inſtrumentum vero, filis ad locum Crenarum inſtructum, faſciæ ſuſpenſorii (quale ad ſcroti deligationem alias adhibetur) lumbos cingenti alligavi & omnia Burſula firmavi. Ceſſante dolore Patiens ipſemet progreſſu temporis

poris semper cochleam Instrumenti usque ad novi Doloris exortum remisit & hacce methodo spatio aliquot hebdomadum callum penitus dissipavit, imo præputium in statum naturalem seu omni tempore retractioni sequacem restituit. Felicem hujus inventionis successum retuli statim ad Celeberrimum *Dn. D. Heisterum*, qui postea in Chirurgia sua cap. de phimosi ejus mentionem fecit & instrumentum mutato tamen schemate, ibidem delineari curavit.


OBSERVATIO XLIX.

D. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Ruptura Uteri Gravidæ cum Fœtus & secundinarum in cavitatem abdominis exclusione.

MUlier, trigesimum agens annum, legitimo tempore & absque notabili difficultate, brevi quoque temporis intervallo, mater trium infantum, respectu numeri sat magnorum facta, in lucem edidit primum, puerulum, debilem ac statim exhibitis sacris morientem; alterum, etiam puerulum, mortuum hinc inde præterea tetro colore corruptum, eadem cum primogenito placenta & involucris communibus, Infantes sponte sua mox sequentibus, nutritum; tertium, puellam, placenta ac involucro suo proprio adhuc obvolutum aquis tamen jam orbatum & ad aliquot horas vitam protrahentem. Puerpera vires amissas mox recuperabat & omnia bene se habebant. Anno elapso iterum gravida facta, ex ventre nimis elato quilibet ad minimum geminum partum præsagiebat, ipsa autem, per totum gestationis tempus maximos ventris dolores (quos spiritus vini usu lenire nimium tentabat) passa, funestum exitum sibi prædicebat. Instante


BRITISH
HISTORY.


Tab. I. ad OBS. XLIX. pag. 113.
c
b
o
s
s
c
d
a
h
k
e
r
q
r
a
a

ſtante tempore partus, miſera dolores per quatuor ſuſtinuit horas antequam aquæ fluebant, quod matutina hora ſeptima accidebat. Aquarum fluxum mox ſequebatur præternaturalis uteri Hæmorrhagia ad quemvis doloris recurſum aucta. Pejorem reddidit ſtatum tumor pudendorum ab aliquo tempore ante partum exortus & in partus niſu adeo auctus, ut obſtetrix digitos ſuos difficulter immittere potuerit, quibus tamen laxationem clauſtri uteri ſufficientem, & in vicinia durum quoddam, caput infantis putatum, detegebat. In regione pelvis ſupra pubem durities quoque percipiebatur & venter ad quemvis dolorem, debito intervallo ſubortum, intumebat, mox tamen rurſus reſidebat, ſed nulla ſitus infantis mutatio ſuccedebat & talis ſtatus ad alterum usque mane idem manebat, nunc Temporis autem ad quemvis dolorem ſanguis quaſi ex rivo fluebat & miſera hora prima à meridie animam exſpirabat. Cognati, culpam obſtetrici injungentes veniebant atque petebant ex me ut ſectione defunctæ in cauſas hujus funeſti exitus inquirerem. Sectionem aggrediens ventrem depræhendebam valde tumidum & hinc inde, cumprimis in regione epigaſtrica atque lumbari ſiniſtra, inæqualem. Remotis tegumentis communibus ac propriis abdominis in TAB. I. a. a. a. a. ſtatim viſui ſe ſiſtebat brachium & crus infantis in cavitate abdominis collocati; reclinatis porro ſurſum Omento b. b. & portione inteſtini coli c. c. c. ſequentes in conſpectum prodibant partes: d. Brachium infantis dextrum. e. f. pedes g. ſcrotum. h. Pars anterior corporis. i. pars capitis. k. pars cœci inteſtini matris. l. l. l. placenta uterina. m. n. o. p. funiculus umbilicalis ad m. ex Placenta oriens, ad n. jugulo fœtus incumbens & ad o. volutus, corpori ejusdem intra crura p. accedens. q. uterus ad tactum lapidis inſtar durus. rr. Tubæ Fallopianæ & uteri ligamenta. s. s. s. portio meſocoli. Eximendo fœtum animadvertebatur illum pedibus utero fortiter innixum fuiſſe, maxima thoracis parte ſub Hypochondrio ſiniſtro

Matris latuisse ejusdemque ventriculum præ se habuisse, Brachio sinistro flexo regioni lienis incubuisse, collum & caput denique suum versus hepar matris impulisse. Extractus fœtus monstrabat caput magnum in sinistro latere expressione acuminatum & retro aurem impressum, apicem linguæ intra labia constricta hærentem, oculos tumidos, corpus pallidum, faciem denique sugillatam. Abscisso funiculo umbilicali atque reposito infante examinabatur Placenta, quæ ubique inveniebatur libera, parva portione, uterum respiciente, excepta. Elevato postmodum utero conspiciebatur ampla Ruptura ad partem ejus posticam Intestino recto proximam, & uterus inveniebatur paulo supra rupturam contractus & corrugatus ubique tamen durus. Lacinia rupturæ superior incumbebat placentæ cujus portio in ipsa ruptura firmiter hærebat impacta, attamen non amplius adnata. Extracta penitus placenta cum suis membranis patebat hiatus rupturæ atque per illum conspiciebatur cavitas uteri superiora versus valde constricta, inferiora autem versus penitus relaxata cum claustro uteri ipso satis superque referrato, facili quoque negotio ulteriorem distensionem admittente. Laciniæ rupturæ crassitie sua vix lineam superabant mathematicam & substantiam exhibebant summè inflammatam vel potius cruore suffusam, reliqua vero seu superior uteri moles dissecta crassitiem pollicis facile æquabat, substantia sua equidem porosa, valde tamen compacta ex rubicundo pallebat, superficie vero externa magis rubebat, nullam tamen inflammationis notam monstrabat, interiori præterea, anteriora & superiora versus, inæquali, vestigia avulsæ placentæ indigitabat. Denique addimus hepar atque lienem matris defunctæ ex Hæmorrhagia enormi valde palluisse, sanguinis tamen extravasati collectionem vix notatu dignam in cavo abdominis apparuisse, ventriculum præterea ac intestina prorsus collapsa fuisse.

OBSER-

OBSERVATIO L.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Funiculus umbilicalis Infantis recens nati prope corpus suum abruptus & non ligatus nullum inferens Damnum.

QUanquam brevior funiculi umbilicalis abscissio inevitabilem noxam inferre haut censeatur, abruptio tamen ejus periculosior habetur (a), neglecta vero ligatio, unanimi consensu celeberrimorum virorum pro causa subsecuturæ mortis absolute agnoscitur (b). Interim unus ex Gemellis, quos mulier pictoris cujusdam Norimbergensis hoc anno feliciter peperit, hæc omnia perpessus, citra ullam Infirmitatem hucusque vivit.

Dicta nimirum mulier, aliquoties jam mater facta, legitimo partus tempore, media sub nocte, subito partus dolores sentiens citoque è lecto surrecta, sellæ cuidam insidens, fœtum ad exitum properantem propriis cogebatur excipere manibus, cum vero nemo obstetrices manus porrigens adesset, & alter Gemellorum tantisper adhuc ergastulo suo inclusus hæreret nec non secundinas communes retineret, perterritæ matris incuria funiculus nati abrumpebatur. Parvulus hic ancillæ traditus fovebatur quidem Linteis atque Pulvillis, sed illa, ulterioris curæ inscia, umbilico prospicere ne quidem cogitabat. Interea alter quoque gemellorum una cum secundinis sequebatur, cum quibus tamdiu servabatur, usque

(a) *Mich. Bernh. Valentini* Pand. med. leg.

(b) Id. ibid. *Herm. Frid. Teychmeyeri* instit med. leg. *Mich. Alberti* syst. Jurisprud. med. & alii ab his citati plures.

dum obstetrix accersita accederet, quod tamen, tempore tam inopinato, plusquam dimidium horæ elapsum requirebat. Obstetrix, postquam umbilicum posterioris munivit, prioris quoque Inspectionem suscepit, sed attonita vidit funiculum abruptum longitudine sua vix unguem digiti æquasse & absque Ligatione nihil propemodum sanguinis profusisse, sed potius cruore denso obstructum fuisse, quem tamen Ligatura, ægre applicata, ulterius constrinxit, cui quinto die cicatrix optime constituta succedebat. Addendum: huncce infantem quidem præ altero magis palluisse sed illum eundem colorem hucusque retinere & nihilominus pari vigore, quarta jam Hebdomadum præterlapsa, gaudere.

SCHOLIUM.

Causam, fluxum sanguinis in casu memorato prohibentem, nonnulli quærere possunt in ipsa funiculi umbilicalis structura, in tono scilicet vasorum atque membrana crassissima illa cingente, & hinc concludere hominum fœtus, neglecta funiculi ligatione, haut majora incursuros fore pericula quam brutorum. Fovi diu jam ipsemet hanc sententiam, plures adhuc ob rationes probabilem, sed dubium nondum solutum mihi moverunt, non solum bini casus ab Excell, D.D. Jac. Wolffio Dec. II. an. VII. obs. 93. annotati, verum etiam analogus, quem mihi retulit matrona quædam honesta fideque digna; illam ipsam scilicet expertam fuisse necessitatem Ligaturæ Umbilicalium vasorum in primo suo quem peperit Filio. Quum enim obstetrix, nescio quo fato, ligaturam umbilici penitus oblita fuerit & parvulum linteis atque pulvillis probe munitum adstanti cuidam feminæ tradiderit, hæc illum per dimidiam jam horam in gremio fovens, animadvertebatur sanguinem per pulvillos penetrare. Infans hanc ob causam mox rursus denudatus ingentem, respectu corpusculi sui, copiam sanguinis profusi & nihilominus neque tunc temporis neque postea ullam debilitatem manifestabat, tene-

ra tamen constitutione septimum jam agens annum fruitur. His tamen non obstantibus fallax mihi videtur Judicium ex defectu sanguinis per funiculum effluxi concludens: Infantem mortuum fuisse natum, potissimum quando infans debita Fomentatione non, ut plerumque in casibus ansam hujus inquisitionis suppeditantibus, fieri solet, tractatur, sed potius aëri humiditatem dissipanti, sanguinem coagulanti & vasa, ad constrictionem sua sponte nitentia, constringenti, aditus (multo magis adhuc si cum frigore junctus) conceditur. An vero illud judicium, sanguinem scilicet effluxum, exigua in primis quantitate quandoque notatum, de vita nati satis testari omne exceptione majus sit? aut an non pro variatione circumstantiarum non unam ob causam sanguis infantis mox ante partum vel in partu defuncti aliquamdiu fluidus manere, vasa vero laxata (venam hic potissimum intelligo umbilicalem) illum dimittere possint? Alii judicent.

OBSERVATIO LI.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Fractura Spinæ Dorsi partibus inferioribus Paralysin inducens & alia notatu digna observata.

INcumbenti mihi Lutetiæ Paris. studiis Chirurgus quidam monstrabat vertebras lumborum in connexione sua naturali ex adulto recens defuncto desumptas. Cernebatur prima earum parum luxata, corpus ejusdem fractura longitudinali hiulca penitus fissum & tertiæ corpus itidem fractura, sed saltem spuria calloque jam ferme conglutinata, tentatum. Referebat mihi præterea idem defunctum illum ex curru in lumbos suos ad aciem cujusdam trabis cecidisse, mox

Paralysin partium inferiorum cum involuntario urinæ ac fæcum effluxu subiisse, huncque miserum statum ad quadraginta quinque dies sustinuisse. Similem ferme casum hic loci quoque anno præterito annotare licuit. Vir scilicet triginta & quod excurrit annorum, prægrandis sed macilenti habitus, cecidit in sylva ex arbore ad altitudinem duarum domus contignationum in caput & mox omnium sensuum expers delatus est ad chirurgum, qui, facta ubique exploratione deprehendebat 1.) in sinistro osse parietali cranii, paululum supra musculum temporalem, vulnus digitum minorem longum, ad Pericranium quidem pertingens, sed nullam fracturam vel fissuram ossis, quantum patebat, comitem habens. 2) Dorsi regionem lumbarem & paululum altiorem valde tumidam neque tamen sanguine suffusam neque sauciatam. His partibus læsis crebris fomentis chirurgus post celebratam venæsectionem prospiciebat & die sequente animadversus ægrum nec fæces nec urinam excernere, me accersebat. Inveniebam ægrum omnium ferè sensuum adhuc expertem, qui tamen interrogatus: num dolores sentiat? respondebat, omnia dolere. Nil valebat movere exceptis capite & brachiis, quibus sæpius tentabat avellere deligationem capitis inprimis recens institutam. Pulsus erat celer & durus, sitis intensa. Curavi tunc temporis Decoctum Hordei cum Passulis, pulverem nitroso-antispasmodicum atque mixturam simplicem Ph. A. R. rectificatam propinari, sacculum vero ex emollientibus & resolventibus paratum cum lacte tepido Regioni pubis applicari. Hæc quidem sequebatur urinæ fluxus, reliqua autem in eodem permanebant statu. Tertia die præscripsi clysma vesperi applicandum & altero mane reiterandum, sed intentioni haut satis fiebat. Quarta die æger capiebat infusum laxativum Viennense voto respondens, à quo tempore alvus semper laxa, & urinæ excretio libera servabatur, utriusque tamen fluxus inscio ægro peragebatur. Diebus sequentibus in tantum quidem mutabatur status, quod vulnus

capi-

capitis ſanationis ſpem faceret, tumor lumbaris ferme evaneſceret, & ſenſuum uſus rediret, inſuper æger ſenſim ſenſimque ſuperiorem corporis partem magis movere & ſolus ſe erigere erectumque in ſella tamdiu, usque dum lectus mutaretur, ſervare poſſet: aſt pulſus manebat ut antea, & ſitis inextinguibilis, appetitus ciborum depravatus, (nil autem præter juſcula ipſi concedebatur,) ſomnus interruptus quandoque tamen profundus. Urinæ ac fæces continuo & absque ulla ſenſatione profluebant tam acres ut partes vicinas excoriarent. Inferior corporis pars cum pedibus erat quaſi emortua, ſiquidem nec digitum movere valebat nec tactum, quamvis etiam acutum, ſentiebat, attamen hæ partes non rigebant ſed cuivis flexioni facile cedebant, calorem quoque naturalem ſemper ſervabant. Hoc in ſtatu interrogatus æger nullos querebatur dolores præter in dorſo, ubi tamen omni exploratione adhibita, profundior læſio nunquam patebat. Verſus octavam diem tumor exoriebatur in regione hypogaſtrica ab oſſe pubis ad umbilicum ferme expanſus, ſesquipalmam latus & ad duos digitos transverſos ex hæmiſpherico convexus atque ad tactum perquam durus, urinis ac fæcibus interea ut antea profluentibus. Tumor hic fomentis applicatis duritie quidem, ſed non magnitudine cedebat. Verſus duodecimam diem pituita copioſa & tenax pectus occupabat nonniſi valida tuſſi excernenda, neque tamen reſpiratio læſa vel difficilis æque ac antea concurrebat, cui infuſo pugillari proſpiciebatur.

Brevi poſt accedebant nonnunquam animi deliquia mox quidem ceſſantia, ſed de die in diem ſæpius invadentia frigore atque madore faciei & manuum Pulſusque imminutione concomitata. Decima quinta die tumor Hypogaſtrii penitus reſedebat & mane ſequente ſubito accedebant convulſiones, quamvis haut adeo atroces, attamen mortis inſtantis & mox ſubſecutæ Prodromi.

Sectio-

Sectionem corporis eadem adhuc die suscipiens, abdomen antea tumens & durum nunc flaccidum imo collapsum deprehendebam, quo aperto liquor, colore ac odore urinæ dilutæ subturbidæ simillimus quantitate quatuor libris respondens propullulabat illoque effluxo viscera contenta sequentem in modum conspiciebantur: Omentum ad hypogastricam usque regionem expansum atque ambabus extremitatis apicibus vesicæ urinariæ fundo firmiter accretum. Ventriculus ac intestina flatibus valde distenta ac lurida gangrænosis porro striis & maculis ubique notata.

Cœcum intestinum vesicæ urinariæ crassissimo vinculo lateraliter adnatum posteriori, qua lumbis accumbit, facie valde inflammatum seu potius cruore suffusum. Hepar pallidum quasi coctum.

Vesica fellea exigua ac ferme collapsa parumque tincta. Lien ejusdem ac hepar coloris. Renes utroque in latere nulla prorsus adipe muniti sat magni atque aperti liquorem purulentum evomentes.



Vesica urinaria valde expansa attamen collapsa circa fundum tuberculis inflammatis & gangrænosis obsita, posteriori facie foramen, in tunica Peritonæi communi atque musculari ungue majus in nervea vero exiguum saltem, exhibens, ceteroqui tota corrupta, ut digitis facile dilacerari potuerit, aperta circa ossis Pubis nexum livore gangrænoso infecta atque urinæ, liquori in cavitate abdominis contento similis, libram dimidiam continens. Sphincter vesicæ relaxatus digitum minorem facile admittens. Diaphragma versus pectoris cavitatem valde adactum & concavum.

Remoto sterno cernebantur pulmones collapsi & horum lobus sinister inferna sua parte diaphragmati & laterali hinc inde Pleuræ; dexter vero sterno, Pleuræ, mediastino, Pericardio atque diaphragmati ubique adnatus ac insuper superiora inprimis versus inflammatus nec non cruore perfusus. Vasa sanguifera in pectoris & abdominis cavitate

con-

conspicua valde tumebant apertaque cruorem nigrum coagulatumque fundebant. Costarum verarum quatuor inferiores & spuriarum duæ superiores dextri lateris ad mediam arcus sui partem occurrebant diffractæ introrsum quidem adactæ sed adhuc cohærentes nec non, excepta verarum quarta, callosa quadam substantia, nullam tamen adhuc firmitatem procurante, obductæ.

Ad harum regionem, interne sub Pleura & adhuc magis externe inter musculos, notabilis in conspectum veniebat suffusio, nullam tamen corruptionis notam ferens neque ad tegumenta usque communia pertingens. In regione Thoracis sinistra opposita, & quidem paululum profundius seu magis posteriora versus & circa costas similis in, externe cernebatur suffusio, sed nulla in costis fractura nec in tegumentis sugillatio detegebatur. Remotis visceribus, circa regionem vertebrarum inferiorum dorsi & superiorum lumborum animadvertebatur ingens suffusio & vertebræ dorsi penultimæ corpus ad conjunctionem cum ultima non solum à sua cartilagine penitus avulsum, verum etiam ibidem in aliquot frusta comminutum, substantia callosa, sed absque firmitate, obductum & hinc ibidem nonnisi per processuum articulationes conjunctum. Medulla spinalis patebat conquassata ac ultra Medium crassitiei soluta, nulla tamen nec sanguinis nec puris colluvie circumfusa. Cranium denique infra vulnus tegumentorum, ampla suffusione infectorum, nullibi observabatur læsum, neque apertum præternaturalis quicquam manifestabat, nisi quod vasa per duram & piam matrem imo ipsam cerebri substantiam dispersa justo magis tumerent & aperta sanguinem nigrum redderent.

OBSERVATIO LII.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Amaurosis subitanea post Vomitum cruentum orta.

MUlier quinquaginta annorum, Temperamenti cholerici, cui menses ab aliquot annis fluere jam cessarunt, vomitu cruento correpta excernebat à vespertino tempore ad matutinum usque plus quam tres mensuras Liquaminis maxima ex parte cruenti. Assumpta tunc temporis absorbentia & leniter adstringentia, Corallia scilicet præparata, Terra sigillata strigon. & spec. de Hyacinth. cum aqua Plantaginis destillata, compescebant quidem vomitus; sed totus ægræ habitus, nec oculis exceptis, flavo superfundebatur colore. Paulo post, à tantis cruciatibus defatigata, incidebat in somnum tranquillum, & sub meridiem expergefacta noctem profundam adesse credebat, nec minimam lucis perceptionem sentire affirmabat, cum tamen antea integro visus usu semper gaudebat neque hoc tempore, præter Flavedinem & pupillarum auctam amplitudinem, quicquam præternaturalis apparebat. Diaphoretica fixa cum nervinis combinata post hæc flavum equidem dissipabant colorem, sed visus læsio manebat immutabilis ad quam auferendam fomenta ex croco inprimis parata simul adhibebantur. His per aliquot dies absque levamine usis, misera ad balneatorem quendam, collyrium suum magnopere extollentem, confugiebat, sed etiam hujus effectum frustra expectans hucusque, viribus quanquam recuperatis, tristem trahit sine lumine vitam.

OBSER-

OBSERVATIO LIII.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Polyposæ sanguinis Concretiones.

DOctrina de origine Polyporum in vasis sanguiferis post mortem repertorum varia explicatione hactenus proposita fuit. *Cl. Kerkringii* sententia (a) ejusmodi Polypos pro concreto post mortem producto declarans, valorem observationibus aliorum auctorum detrahere nequit, dum nonnisi Polyporum ex cruore coagulato formatorum existentiam in vivis expugnat. Majorem hæsitationem excitare videntur polyposæ concretiones fibrosæ à celeberr. *Ruyschio* artificio productæ (b); Sonticæ tamen & luculentis observationibus corroboratæ rationes generationem ejusmodi Polyporum vita adhuc superstite probantes (quas potissimumcollegit *Cl. D. Mich. Alberti* (c) atque Lic. *Gætzius* (d)) haut levioris sunt ponderis. Quamvis itaque nostris temporibus nemo absque temeritatis nota tentaret asserere: omnes Polypos post mortem demum generari; attamen eandem forte sortem subiret ille, qui conaretur sustinere omnes Polypos, etiamsi fibrosos, in vivis corporibus præextitisse, considerando I. quod haud raro Polypi post mortem observentur in iis, quorum pulsus, dum adhuc vivebant nulla intermissione vel inæqualitate alteratus percipiebatur, ut sæpius expertus testari possum. II. Quod sanguis Scorbuticorum Hy-

(a) *Spicil. anat. obs. 73.*
(b) *Thes. an. I. p. 14.* num. 3. VIII. p. 19. num. 39. max. p. 16. num. 103. p. 31. Lit. F.
(c) *Diss. de Polypo cord.* Halæ 1724.
(d) Diss. inaug. *de Polyposis concret.* Altd. 1726.

pochondriacorum, Gravidarum &c. per venam ſectam eductus & frigefactus plerumque in ſuperficie craſſam pelliculam, ſubſtantia atque colore Polypis fibroſis penitus analogam (qualem ab aliquot annis corii inſtar condenſatam in ſpiritu vini aſſervo) momentaneo temporis ſpatio formet. III. Quod tanta Polyporum obſervatorum magnitudo notata fuerit, (e) quæ, præter cordis cavitates, omnes ferme ſi non omnes vaſorum propagines replevit, quibus annumerari poteſt noſtra quoque obſervatio. Puer nimirumquinque annorum ex ſcabie retropulſa incidebat in cachexiam ſibi lethalem. Nulla ante obitum percipiebatur pulſus inæqualitas vel intermiſſio, cum tamen, aperto poſt mortem corpore, non ſolum ventriculi atque auriculæ cordis, verum etiam vaſa proxima æque ac remota majora maſſa polypoſa tenaci, equidem per integrum tractum non cohærente, ſed in plures partes arcte ſibi invicem contiguas diviſa, in aqua tepida nullatenus diſſolubili reperiebantur, adeo infarcta ut vix ulla cruoris particula reſidua cerneretur.

(e) *D. Alberti* l. c. ex *Bart. Act. Hafn. et Eduard Tyſing.* Act. Danic.

OBSERVATIO LIV.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Maſſa Mammarum glanduloſa unicum conſtituens corpus cum Tubulis lactiferis maximis.

MAſſam mammarum glanduloſam (quam vero non glanduloſam ſed vaſculoſam pronunciat ill. *Ruyſchius* (a)) uni-

(a) *Ep. XV. Theſ.* an. III. num. 26. VII. num. 70. max. num. 162.

Tab. II ad OBS LIV. pag 125

Fig: II.



Fig: I.

ad OBS. XLVIII

Fig. III. pag. iii.



Fig. IV. p. iii.



unicum saltem corpus non multiplex constituere jam olim observavit *Riolanus* Filius. b) Contrariam sententiam proposuerunt *Th. Bartholinus* (c) *Nuckius* (d) *atque Verheyenus* (e) quos vero pinguedinem pro glandulis ventilasse arguit Celeberr. *Heisterus.* (f) Mihi quoque mammas anatomice perlustranti semper oblatum est unicum corpus. Sic illud deprehendi in virgine quatuordecim annorum floreni majoris magnitudine & digiti transversi crassitie album, planum & dense compactum; in muliere vero gravida triginta annorum & alia lactante viginti sex annorum ad ambitum usque totius mammæ expansum sed magis laxum plurimis præterea foveis, sulcis & sinubus mera pinguedine globosa repletis divisum & inæquale redditum. Facile autem hoc corpus in plurimas partes membranis saltem, more aliarum glandularum conglomeratarum, quamvis paulo arctius, connexas dividi poterat, unde sine dubio distincta corpora in mammis scirrhosis cancrosisque (quæ contra *Riolani* sententiam allegat *Bartholiuus*) oriuntur. Tubuli seu ductus lactiferi à *Th. Bartholino atque Verheyeno* ita depicti exhibentur ac si venarum modo & quidem per externam massæ glandulosæ superficiem excurrerent. Ego vero inveni in lactante supra memorata illos non solum massæ glandulosæ immersos esse, verum etiam tum origine tum fine suo à schemate prædictorum Auctorum quam maxime differre; tantæ præterea capacitatis esse, ut assertio *Ill. Ruyschii* (g), ductus scilicet lactiferos maximam mammæ partem constituere, minorem hæsitationem mihi reliquerit. Insignes unius horum tubulorum propagines offert adjecta Fig. I. TAB. II. Repletus ille erat mercutio vivo &, prouti apparet, absque ulla læsione de-

 nuderi

(b) *Anthropogr.*
(c) Anat. ref.
(d) *Adenogr.*
(e) *Anat. C H.* (f) *Comp. anat.*
(g) *Thes. an. IV*, num. 23.

nudari poterat. Extremitatum illius seu potius originum plures, & quidem trunco proximiores, non exiguæ sed satis conspicuæ occurrebant cum portiuncula tamen substantiæ glandulosæ tam arcte cohærebant ut nulla illarum sectione, etiamsi maxime provida, absque subsequente Mercurii profluvio auferri potuerit. Remotiores & ab extremis mammæ confiniis accedentes rami se quidem sistebant graciliores, attamen nullibi collectio extremitatum capillarium detegi poterat, quin potius alius horum ductuum, ceracea materia (minores vasorum propagines alias facile intrante) repletus & hinc liberiorem sectionem concedens, extrema obtusa & ad sensus cœca obtulerit TAB. II. fig. 1. sistebat itaque quilibet horum ductuum cysternam quasi seu receptaculum peculiare, in quod lacteus humor per extremitates arteriarum roris ad instar depluit. Finis seu terminus cujusvis horum ductuum versus papillam directus vix setam capiebat crassiorem & orificio adhuc minori in vertice papillæ hiabat. Notandum autem non omnes horum ductuum tam amplas & ad ambitum usque mammæ porrectas sparsisse Propagines, sed alios, in eadem mamma angustioribus inclusos fuisse cancellis, quemadmodum docet Tab. II. fig. 2. numerum horum ductuum octavum superasse invenire haut poteram, illud autem clarissime apparebat, illos versus papillam seu potius ejus Areolam neutiquam inter se per Anastomoses, quas ex *Nuckio* depingere curavit *Verbeyenus* (h) communicasse. Structuram denique quod attinet, constabant hi ductus ex pellicula tenui transparente, illa tamen vasorum lymphaticorum paululum firmiore.

OBSER-

(h) *l. c. Tab. XVIII.* fig. 4.

OBSERVATIO LV.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Valvulæ conniventes in Tractu Inteſtini Ilei ſecundum Naturam obviæ.

VAlvulas copioſas Inteſtino duodeno atque Jejuno ad remoram fluxus chymi, æque ac colo ad retardationem excretionis fæcum in homine ſecundum naturalem ejus fabricam adpoſitas eſſe, omnes poſt *Kerkringium* (qui tamen, notante *Verheyeno*, rugas *Fallopio* jam cognitas majori ſaltem perſpicuitate exhibuit) ſcribunt anatomici ſtudii gnari: Valvulas vero tractui Inteſtini Ilei quoque conceſſas eſſe nullibi aliud reperitur veſtigium, quam quod ſatis evidentem confuſionem cum illis in jejuno conſpicuis teſtatur, ſi modo magna illa, ad finem Ilei locata, valvulaque coli *Bauhini* appellata (quam ſingulari induſtria *Celeberr. D. Heiſterus* contra *Cl. Bianchum* uberrime explicavit) excipiatur. Hinc ſine dubio *Ill. Ruyſchius* atque laudatus *Heiſterus* pro caractere diſtinctionis inter jejunum & Ileum poſuerunt: quod Ileum nullas habeat valvulas. Cauſa autem præteritionis valvularum Ilei ſine dubio eſt, quod ad illarum æque ac aliarum claram demonſtrationem requiratur canalis inteſtinalis inflatio & exſiccatio: dum autem ille, ad accelerandam exſiccationem, à Meſenterio, ſecundum vulgarem methodum, liberatur, ſolvitur hoc ipſo illarum vinculum, quo ſoluto penitus explanantur & evaneſcunt. Ut itaque in conſpectum prodeant, requiritur, ut portio Inteſtini Ilei quæcunque (æqualis enim ſtructuræ has valvulas per integrum ejus reperi tractum) cum adhærente Meſenterii aliqua parte infletur ac exſiccetur & poſtea inſpiciatur, tunc enim ad ſuperiorem, Meſenterio ſcili-

ſcilicet proximam, partem copioſæ apparebunt Valvulæ ſemilunares, latitudine conniventibus Jejuni pares, longitudine ſæpius inſignes, tertiam quippe imo nonnunquam dimidiam circumferentiæ partem occupantes. Hac præparatione ſimul quoque obtinetur conſpectus tunicæ celluloſæ meſenterii â Ruyſchio ſæpius laudato deſcriptæ. Ablata enim poſt exſiccationem vel ſuperna vel inferna Meſenterii pellicula cellulæ viſui ſe ſiſtunt quam elegantiſſime. Uſus valvularum Ilei ſine dubio idem eſt qui adſcribitur valvulis jejuni.

OBSERVATIO LVI.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

Tegumentum peculiare Membranæ Tympani Fœtuum inſerviens.

MEmbranam Tympani Fœtuum Tegumento peculiari Membranæ analogo (analogo ſcilicet ſaltem quia nullis gaudet vaſculis ſanguiferis) in aliquibus craſſa in aliis Membranæ tenuioris inſtar tenui obductam eſſe annotavit *Ill. Ruyſchius* (a). Hocce Tegumentum obſervare & huc usque in Liquore aſſervare licuit ex fœtu ſemeſtri, Infante recens & quatuordecim dierum nato. Tenerum id apparebat in cunctis aſt non pellucidum; compactum deprehendebatur, adeo ut, ſoluto meatu auditorio à Circulo Tympani oſſeo, meatui undiquaque adhæreret & integrum à Tympani vera Membrana ſponte ſecederet, nullam tamen offerebat ſtructuram organicam, ſed ad tactum leviſſimum deſtructum (quod in altera aure cujusvis ſubjecti experti ſumus) ſevi ad inſtar (cum quo colore quoque conveniebat) aquæ mixturam deneganegan-

(a) *Theſ. an. III.* num. 76.


NATURAL HISTORY

ad OBS. LXXII. p. 171

TAB. III.



Fig. I.


a. Arbor Cerasi Orange Kirschen.
b. Rami eius
c. sambucus radicibus suis intra ramos cerasi insertis

ad OBS. LXXII. p. 171.

Fig. II.

a. salicis truncus.
bb. rami salicis.
cc. frutex ribium.
ddd. baccæ maturæ rubicundæ.
ee. Solanum nigrum vulgare. cujus truncus in lignescentem duritiem abierat.

Fig. III.
ad OBS. LVI. p. 129.



negans digitis adhærebat. Tegumentum hocce propaginem Epidermidis esse, membranam tympani, ea ætate tenerrimam, ab injuriis aquæ in utero, & aëris extra uterum ambientis defendere, (optime autem defendere Partes auris interioris Creatorem voluisse, patet quoque ex eo, quod meatus auditorius fœtuum, cumprimis juniorum, per integrum tractum suum depræhendatur adeo compressus ut aditus ejus vix conspici possit) & postea, succrescente nimirum meatu auditorio, à tympano sponte sua recedere, &, tensionis incapax, evanescere, Kerckringius (a) atque laudatus Ruyschius (b) Auctor est, Excellentissimusque Heisterus (c) confirmat. Ut verum fatear, defectus cutis substratæ, substantia sebacea, atque interitus post partum spontaneus, dubium mihi moverunt, num tegumentum hocce, productum potius collecti & condensati excreti glandularum ceruminosarum, quam Epidermidis dicendum sit? sed observatio paulo post fortuito oblata dubium hoc solvit, veramque omnino membranam cum Epidermide meatus auditorii continuam hoc tegumentum esse, imo post partum à tympano non recedere sed semper manere probavit. Cum enim in cartilagines auris externæ Puellæ 14. annorum inquirerem, easque in aqua aliquandiu macerarem, postea vero cartilagineam meatus auditorii partem ab ossea omni circumspectione separarem, integrum ex ossea dicti meatus parte protraxi sacculum membranaceum tenuem, iu fundo suo clausum tympanique contigui vestigia manifestantem Fig. TAB. naturali magnitudine delineatum. Idem in adultis tertia vice studio nunc mihi inquirenti repetere contigit. Ex quibus concludere liceat tegumentum illud, ab accedente aëre post partum libero tenue factum, nihil aliud esse quam extimam pelliculam tympani ab ipso celeberrimo Ruyschio observatam. (d)

a. a. *Cartilago auris externæ à tegumentis denudata.* b.b.b.b.

(a) Osteogen. p. 221. (b) l. c (c) compend. anat. *§*. 248. (d) Epist. problem. VIII. p. 10.

cartilaginea meatus auditnrii pars c. *membranacea dicti meatus pars hiatum cartilagineæ occupans.* d. d. e. *sacculus membranaceus tenuis.* e. *fundus vestigia adhæsæ membranæ tympani exhibens.*

(*Noriberga Augustam Vind. d. 6. Jan. 1727. missa.*)

OBSERVATIO LVII.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De Rubigine sanitati noxia.

PErvulgatæ res est notitiæ, quòd rubigo, der Mehl-oder Honig-Thau, plantis segetibus ac arboribus ingens adferat damnum; sed non æquè constat, quod sanitatem humanam labefactare & pessundare possit, quod damno suo didicit Venator robustus & illibata fruens valetudine. Descendit is in fluvium, benignitate aëris æstivi invitante ad abluendas corporis sordes subito autem præter expectationem ejus lucente sole pluvia decidit copiosa, quæ nudum flumine exire coëgit. Antequam verò vestibus corpus munire posset, pluvia totum ejus corpus magnopere madefecit, ut aquæ quasi denuò immersus domum festinare cogeretur. Frigore inhorrescens sese ad lectum componit, horrorem excepit calor ingens per plures dies durans cum gravissimo artuum dolore, qui diu noctuque eum misere torsit. Robore potius naturæ quàm remediis tandem febris superata fuit, & mitigati aliquantisper artuum dolores; ast magna & quasi paralytica manuum pedumque remansit debilitas ac impotentia, quæ nec thermis nec idoneis pharmacis per integrum annum tolli potuit. An sola pluvia frigiditate sua homini nocuit? An vero pluviæ sal radiis solis lenissima evaporatione incrassatus & per condensationem hanc mutatus insignem acquisivit acrimoniam, quæ artubus miseri adeo fuit infesta? Celeb. *Huetius* in *Huetianis* pag. m. 232. ingeniose satis aliam causam prodit, cur solis ardor, dum pluit, plantis ac arborum foliis

adeo

adeò noxius sit easque quasi adurat, unde etiam satis appositè Ciceroniana uredinis voce exprimi posse id, quod alii vocabulo æruginis & rubiginis explicare solent? Causam hanc ejus verbis explicare malumus quam nostris: *les Naturalistes ont cherché la cause d'un si etrange effet & n'ont rien dit, dont un esprit raisonnable se puisse contenter. Celle que je vais proposer quoique nouvelle me paroit non seulement, certaine, mais même indubitable. Dans les jours sereins de l'été il est visible, qu'il s'assemble sur les feuilles & sur les fleurs comme par tout ailleurs, un peu de poussiere, quelquefois plus, quelques fois moins, elevé par le vent. Quand a pluye tombe sur cette poussiere, les goutes se ramassent ensemble, & prennent une figure ronde ou approchante de la ronde comme nous voyons, qu'il arrive souvent dans nos maisons sur des planchers poudreux lorsqu'on y repand de l'eau pour les balayer. Or ces boules d'eau ramassées sur ces feuilles & sur ces fleurs tiennent lieu de ces verres convexes que nous appellons miroirs convexes & produisent le meme effet, qu'y produiroient des miroirs ardens, si on les en approchoit.* Quod si hæc sententia tam indubitatis niteretur fundamentis, quemadmodum non difficile est creditu, quod venator æstate seminudo corpore incedens pulvere fuerit conspersus, non adeo abdita foret causa, cur infelix ille cum his circumstantiis in prædicta inciderit symptomata?

OBSERVATIO LVIII.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De Biennali lumborum spasmo.

HOnestissima matrona teneræ admodum Constitutionis temperamenti melancholici, quæ per omnem fere vitam valetudine minus propitia fuerat usa, post aliquot puerperia anno ætatis trigesimo quarto seculi verò decimo septimo varios in toto corpore, præcipuè vero in bra-

chiis & pedibus ſpasmos eosque graviſſimos perpeti cœpit, ſed longe acerbiſſimus vigeſimo menſis ejusdem die incubuit lumbis à prima vertebra lumbari usque ad ſacrum os & tanta violentia muſculis ligamentis membranisque vertebras inter ſe connectentibus & nervis ipſis fuit infeſtus, ut nullatenus pedibus inſiſtere multò minus ambulare poſſet. Adeò fixus & immotus in eis partibus hærebat, ut per biennium & menſem quaſi domicilium ibi fixiſſe videretur.

Tametſi continuò ei moleſtus eſſet, tamen per intervalla modo diurno modo nocturno tempore ingraveſcebat & crudeliſſimè eam torquebat & non tantum in lumbos ſed in brachia ac pedes tyrannidem ſuam exercebat.

Vidimus has partes multoties ita tenſas fuiſſe, ut non tantum periculum rupturæ metueret, ſed pro immanitate doloris triſti ejulatu ſuis lachrymas excuteret. Sæpius non ſatis mirari potui lapideam in muſculis tenſis duritiem. Tanto malo cum maxima ſolicitudine ex omnibus medicamentorum antiſpasmodicorum eorumque ſelectiſſimorum, ſi Dippelianum oleum animale excipias, (quod fruſtra quæſitum obtineri non potuit) claſſibus quæſita fuit medicina, ſed non inventa, quam tamen ægra tandem Anno 1719. menſe Aprili ſe reperiſſe credidit in famoſo Auguſtanorum vitæ balſamo, quo poſtquam per aliquod tempus lumbos & iterata quidem per diem vice inunxiſſet vigeſimo Aprilis die cum magna animi lætitia præter ſpem pedum miniſterio uti cœpit. Enim vero poſt ſuperatum hunc lumbarem ſpasmum in ingentem pectoris dolorem ac compreſſionem atque impetuoſam tuſſim cum lenta ac hectica tandem febri conjunctam incidit, & hæc ei vitæ filum A. 1723. menſo Junio abrupit, cum funeſta ac fatali in die, mortis inquam, ex alterius Medici conſilio acidulis uſa fuiſſet. Itaque optimo jure dubitare licet, an ſpasmus in noſtra verè ſublatus, an potius ad nobiliorem corporis partem nimirum pectus à lumbis translatus dici debeat? Non eſt autem mirandum, quod febris hectica

ctica tandem accesserit, cum & de epilepsia Chronica nos quotidiana doceat experientia, eam tandem hecticis consumptionibus finiri.

OBSERVATIO LIX.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Aphonia & mali moris symptomatibus post podagricum in pedibus tumorem evanescentem.

MAgnæ dignitatis vir annum ætatis quadragesimum & quartum agens, temperamenti sanguineo-phlegmatici, habitus corporis laxioris & spongiosioris admodum adolescens labe seculi inquinatus intemperanti Veneris abusu insigne corporis robur cœpit enervare secutæque sunt ægritudines lasciviæ juvenilis ordinariæ pedissequæ gonorrhæa &c. à quibus ita multoties liberatus est, ut nunquam gallica lue fuerit correptus. Cæteræ quoque diætæ leges ab eo, quavis data occasione neglectæ fuerant, dum itaque genio suo indulgeret anno ætatis trigesimo sexto ineunte vehementibus arthritidis doloribus primum correptus fuit, cum prodromos hujus morbi jam ante sensisset, qui deinceps singulis annis bis, ter imo & quater reversi sunt & aucti tum ratione durationis tum ratione vehementiæ & atrocitatis. Certe ab hinc aliquot annis per magnam autumni partem & integram hyemem sævissimis podagræ doloribus ita est attritus, ut vix ossibus hæreret. Profuerunt tum magnopere & certa decocta & usus pareiræ bravæ per aliquot menses statis temporibus repetitus. Ex usu horum ac stricta accuratioris diætæ observantia pristinum Princeps vigorem recuperavit, sed cum tandem illum remedii & diætæ fastidium caperet, majori impetu dolores arthritici singulis annis irruerunt, & pedum digitos eorumque confinia, genua, manus, brachia & scapulas acerbis-

 sime

ſime mulctarunt. Circa declinationem paroxyſmorum podagricorum ordinario acceſſit tumor pedum non frigidus quidem ſed cum rubore multoties & aliquo calore conjunctus, nec omni dolore carens, isque ſemper major in pede ſiniſtro quam in dextro fuit. Antehac hæc intumeſcentia ſenſim diſſipabatur, & tantum cum paroxysmis revertebatur, modo autem ex integro vix recedit, ſed per diem & noctes ſubſiſtit, ac in fine paroxyſmorum augmentum capit. In æſtate Anni vigeſimi tertii, ultra duos menſes liberioris aëris captandi gratia ruri egit, ibidemque decoctum quoddam lignorum etſi cum faſtidio bibit, ſolisque aſſatis cibis, & pane contentus vixit. Dum eo uteretur, à cruciatu podagræ immunis fuit, & pedes aliquanto magis, quam antea detumeſcere viſi ſunt. Cum ad nos rediiſſet propter negotium magni momenti, brevi aliorſum diſceſſit, & ibi præter exſpectationem omnem crudeliſſima fuit oppreſſus podagra. Nam ſive dolores ſpectes, fuerunt illi exquiſitiſſimi, tanti profecto, quantos nunquam fuerat antea expertus, ſive etiam ſymptomata conſideres, aderant gravia & terroris pleniſſima. Comitabantur enim arthritidem febris inflammatoria, deliria nocturna & ſubſultus tendinum cum prodromis convulſionum univerſalium (in quibus avertendis, evidenti utilitate ſe commendarunt remedia ex lumbricis terreſtibus parata) profligata tamen hæc omnia ſunt, ita, ut ſine incommodo Vratislaviam poſt duas hebdomadas elapſas regredi poſſet. Deferveſcente paroxyſmo ſecutus eſt tumor pedum maximus ultra genua usque protenſus quò antehac nunquam pertigerat, qui & ægro ipſi & Medico graviſſimum hydropis periculum incuſſit. In bonam ſpem ægri animum erexi, tum quod ſitis non urgeret & tamen urina largiter flueret tum quod cibos non averſaretur addidique tumorem hunc, quo pedes obſidebantur, podagricum potius eſſe quam hydropicum. Uſus eſt ſale Epſomenſi bis, adhibuit extractum liquidum ex amaris cum vino præparatum fere per ſeptimanam: ſalem geniſtæ vino Rhenano infuſum opportunum cætero-

quin

quin ad pedum tumorem remedium non adeo cum magno successu in usum vocavit, qui tamen non adeò diu continuatus est, ea quoque ex causa, ne materia arthritica profundius infigeretur artubus, quod salinorum abusu fieri novimus. Aliquanto diutius pilulis balsamicis Becheri expertissimo, in hoc etiam malo, medicamento contra contumacem tumorem hunc pugnatum fuit. Massæ huic pilulari admiscuimus extractum squillæ; & cum pilularum forma ultra octiduum non arrideret, contusas hasce pilulas cum Rob Ebuli & syrupo domestico tribus per hebdomadem vicibus sumpsit, atque cum & hanc nausearet misturam, ex extractis aliisque pilularum ingredientibus, essentiam parari fecimus. Enim verò cum his omnibus per integrum fere mensem non magno operæ pretio usus esset, & enixe tamen vellet tumorem hunc sublatum patiens, præscriptus fuit à me fere invito nodulus ex radicibus 5. aperientibus Pimpinell. Apii, fibris hellebori nigri, herbis Cuscutæ, epithymi, salviæ, betonic. summitat. Centaur. min. & Comis Rorismarini, fol. senn. sine stipitib. Rhabarb, Orientali selecto Cremore tartari, Corticib. Aurantior. Cardomomo & nuce Moschata, quæ in tres vini totidemque Aqu. fontan. ℔. infundebantur &c. Vix dimidiam libram intra duorum dierum spatium absumpserat & hinc quater vel quinquies ex dosi una purgatus fuerat, quando cum ingenti lætitia tumorem fere omnem evanuisse advertit. Sed ut hominum spes esse solent fallaces, oborta die eodem ingens tempestas, quæ gaudium Principis & aulæ vehementer confudit, quippe 28. Septembr. A. 1723. circa sextam vespertinam visus obscurari cœpit, quæ luminis interceptio per intervalla ita aucta est, ut tandem chartas lusorias, quibus tum tædia infirmitatis sublevare conabatur, abjiceret ac tandem oculorum usu per aliquot momenta prorsus privaretur. Lingua initio titubabat, os balbutiebat, deinde verò malum ita invalescebat, ur ultra dimidiam horam verbum proferre non valeret. Reliquorum sensuum & ipsius rationis functiones

nes penitus illæsæ persistebant. Varie agitabat linguam, & licet multum anniteretur, Vocem distinctam formare non poterat. Frictionibus & linimentis spirituosis, penetrantibus admotis odoriferis & sumpta potione antapoplectica ex Aqu. Ceras. nigr. salvia, flor. peon. tiliæ, epilept. Langii Cinnam. borrag. liquore CC succin. spiritu Cephalico Mœbii & sanguinis humani ac syrupo flor. tunic. refocillatus adstantes post dimidiam horam elapsam affari cœpit & quidem in lingua Polonica & Gallica cum majori facilitate, aliquanto impeditius in latina & germanica, quibus tamen alias satis commode animi sensa exprimere potest. Hujus periculosi symptomatis originem à materia podagrica nervis & membranis capitis & linguæ impacta petendam esse certum propemodum est ac indubitatum. Neque magnopere ad rem facit, sive quispiam podagricam ex disparente pedum tumore, retrogradam materiam accusare voluerit, sive originem & causam ab enixo molimine naturæ & nervosarum ac membranacearum partium contractione ad miasma podagricum hisce partibus penitius infixum propellendum & amandandum arcessere maluerit: Nam indubitatæ veritatis est, quòd propulsio materiæ in membranis ac nervis hærentis ad extrema à Medico viribus omnibus molienda sit. An quicquam ad hoc conferre possit venæsectio? quæsitum fuit, à me tamen impetrare non potui, ut in eam consentirem, tametsi mihi non incognita forent illa Clarissimi viri *Guilhelmi Musgrave de arthritide anomala* cap. 14. p.m. 262. verba: in *hujusmodi* (arthritica) *apoplexia fere omni necessaria est venæsectio, nihil ea certius, nihil citius opitulatur*, abstinui, inquam, à phlebotomia, ratus, fore, ut vires magis adhuc deprimerentur, & ita natura plus debilitata in opere suo non tantum retarderetur, sed sub labore fatisceret. Multo minus ex ejusdem consilio datum fuit medicamentum purgans ex *potentissimis & sanguinem agitantibus purgantibusque drasticis.* Neque consultum judicavimus pedibus vehementer debilitatis & valde

valde tumidis imponere emplastrum vel *è pice Burgundica & terebinthina Veneta, vel cephalicum cùm euphorbio, aut aliud quodvis potenter attrahens, neque aquæ ferventi immergendos* censuimus, quorum illud summus virium languor ex paroxysmo restans, istud metus gangrænæ, & hoc enervatus tonus per atrocissimos dolores prohibere videbantur. Nos contenti fuimus potione brevi ante commemorata, Mistura Sal. Tartari c. ♎ CC pulveribus antipasmodicis, linimentis spirituosis & nervinis ex Aqua Carbunculi, virtutum, ♎ lavendulæ, Rorismarini, ac denique ex balsamo vitæ D. Schröderi, frictionibus, sacculis siccis nervinis, quia jamjam dicta spem nostram non frustrabantur & ægri votis satisfaciebant. Jam se periculo omni defunctum credebat æger, nec corpus libero aëri exponere verebatur. Id quod etiam cum 15. Octobris invitante aëris benignitate fecisset alienæque hospes mensæ accubuisset, in ipso prandio cœperunt extrema frigere, visus obscurari, & lingua non tantum hæsitare, sed & ad formandam vocem plane inidonea & impotens esse videbatur, ratio vero illæsa erat, illæsi quoque reliqui sensus. Intra quadrantem circiter horæ hæc symptomata dissipabantur ac prompte fari poterat. Remediis in primo paroxysmo adhibitis jungebantur ♎ ⊖✱ci lavendulatus caryophyllat. Electuarium ex conserv. fl. tunic. poeon. citri, major. anthos, nuce Mosch. in India condit. caryophyll. conditis pulv. lumbric. ∀estr. succin. specific. Cephalic. D. M. Syrup. fl. stœchad. & è succo Cerasor. nigr. Linguæ imponebatur theriac. mista cum semine sinapi, sale volatili succini & CC oleoque Cinnamomi. Vesicatoria imponebantur nuchæ & interiori parti femoris utriusque. Horum omnium usum excipiebat truculenta arthritis pedes, genua, manus & scapulas obruens cum omnimoda affectuum capitis & linguæ cessatione. Jam enim novem anni quadrantes elapsi sunt, in quibus à symptomatis illis terriculosis plene liber fuit. Et ad præservationem & ad mitigationem podagræ magnum momentum contu-

lisse videtur jusculum ex carne vitulina cum Radice Sassaparilla & Chinæ, lumbric. terrestr. vino ablutis, visco querno, betonica, Chamæpith. paratum, quod per integrum annum bis per diem sumpsit. Optime conduxit etiam emulsio ex millepedib. & amygdalis dulcibus cum aquis appropriatis facta, qua dum per 20. dies mane & vesperi uteretur, pedes egregie & sine omni noxa detumuerunt, cum tamen illico turbæ in corpore, eæque permolestæ orirentur, quotiescunque aliis remediis sive externis, sive internis discussio tumoris pedum tentata fuit.

OBSERVATIO LX.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Insigni calculum vesicæ rectè dignoscendi difficultate.

VEsicæ calculus non tantum curatu sed & cognitu interdum longe difficillimus est. Inter signa calculi primo plerumque loco nominatur dolor: *quotiescunque enim,* ut verbis celeberrimi cujusdam viri utamur *incessit cupiditas mejendi, (incessit autem illud frequenter non tam urinæ copia & acrimonia, quam vesicæ contentione)* Ast reperti sunt, qui absque dolore per longum tempus calculum in corpore circumtulerunt. Atque ne forte credas, in his fundo vesicæ calculos adhæsisse & ex illis propendisse, recordare *Thomæ Arundelii* Comitis Angliæ, in cujus cadavere conditurae gratia dissecto repertus fuit non solum *in rene sinistro totam pelvim ultra capacitatem occupans* sed & in vesica *lapis rotundus & durissimus;* enim vero, quod merito mireris, nunquam *nec de renum dolore nec de vesicæ fuisse conquestum* narrat *Welschius, in observat.*

servat. Medicin. Episogmat. p. 40. qui idem brevi ante monuerat Comitem *affectu nec præstantissimis Medicis satis cognito obiisse.* *Joannes Varandaus* in erudito de *affectibus renum* & vesica tractatu: *Certe, ait, in illis, qui copiosius & diutius profundunt urinas illas albas, crassas & turbidas vel hypostasin mucosam & matulæ fundo adhærentem quasi glutinum quoddam, dici certe potest, quod de alio affectu pronunciavit Hippocrates, vesicæ calculum vel adesse vel brevi adfuturum, quia impossibile est illos diutius perseverare, quin portio ipsius materiæ concrescat &c.* Et *Thomas Willis in epistolica dissertatione de urinis cap. 5.* sub finem: *Observatione,* inquit, *constat, in calculo vesicæ ejusmodi lotium constanter reddi, aliquando ob renem lapide grandiori obsitum: absque affectu nephritico talem subsidentiam in urinis nunquam vidi quare hoc fere indubitatum calculi signum semper reputavi.* Hæc *Willis* agens de contentis albis & copiosis in urina subsidentibus. Quis vero ignorat, non adeo dissimilem urinam in cavo & sordido vesicæ ulcere à gonorrhæa oriundo excerni? Sedimentum ruffum aut rubrum itidem non est indubitatum calculi judicium cum *Cardanus,* per annos triginta, primo rubras deinde & albas arenas copiose minxerit citra ullam calculi suspicionem; vicissim contingit, ut adsit calculus vesicæ & tamen sabulum in urina sespectandum non offerat. Ita in vesica celebris quondam Medici *Joannis Heurnii* ante sepulchrales ceremonias aperta septem *reperti sunt calculi, forma & magnitudine nucis juglandis majoris, omnes æqualis magnitudinis & ponderis duarum drachmarum,* quos in theatro anatomico Leidensi supra tabulam appensos multi Medici curiosis oculis lustrarunt. *Heurnius* tamen vivus nunquam arenosa cum lotio excreverat.

Explorationem per digitum in anum immissum merito suspectam etiam habuit *Hildanus de Lithotomia* vesicæ experientia edoctus, aliquando tumores scirrhosos in partibus illis inveniri, qui calculum mentiantur, Hisce calculi vesicæ signis veteres addunt *molestum pudendi pruritum ejusdemque*

 crebram

crebram erectionem & tædii plenam sæpe *reddendæ urinæ necessitatem*, verum enim verò quis nescit genitalium pruritum ac membri tensionem etiam cum vesicæ ulcere conjuncta esse? Urinæ quoque stillicidium & frequens ac continuus ad mejendum impulsus peculiarem absque calculo morbum interdum constituit, qui ut aliquando aliis, subinde tamen decrepitis senibus negotium facessit, eo quod in his collum vesicæ ipsaque urethra per nimiam urinæ salsuginem muco suo naturali, quo contra urinæ acrimoniam munita est, spoliata sint. Parum quoque tribuendum esse explorationi per Catheterem demonstrare satagit *Joannes Baptista Silvaticus* in *Controversiis Medicis, Controvers. 32. p. m. 157. & seq.* ita scribens: *hunc in modum explorantes non una ratione decipi posse constat. Quis sibi imprimis hoc tribuat, ut rem tangibilem sensu auditus recte certeque dijudicare possit, dum collisionem quondam ferrei instrumenti collum vesicæ introire nequeuntis, sine lapide à multis causis provenire posse, qui neget neminem futurum arbitramur. Adde, quod cum per additionem augeantur lapides in vesica, ut plurimum fieri posse, ut nova facta additio adhuc non indurata nullam cum ferreo instrumento admittat collisionem. Cæterum nec illud hoc loco dissimulandum est sæpe non tangi calculum ab exploratore, quia vel altiori in vesicæ parte contineatur ille, vel in humore crasso & viscoso sit immersus & involutus.* Utut omnia hæc allata de ingenti nos convincant difficultate detegendi & sine erroris periculo dijudicandi calculum vesicæ in ægris; nihilominus tamen commemorata hactenus signa multum in dignoscendo Calculo nos adjuvare possunt, modo recte iis utamur ut videas non sine causa scripsisse *Galenum*, Calculum in vesica concretum *artificio cognosci debere*, quanquam nonnulla ex iis signa etiam sola & ab aliis separata non omni destituantur evidentia. Largior ambabus manibus, non posse certo inferri absentiam Calculi ex eo, quod à Chirurgo non tangatur instrumento corpus durum in vesica, nolim tamen ejus præsentiam propter dialecticam ratiunculam quandam,

qualis

qualis prima est Silvatici, in dubium vocare ejus incolatum in vesica, quando Cathetere attingitur & collisio ejus cum lapidea substantia distincte percipitur. Dubia, per me licet, & fallax conjectura sit à dolore petita; nec non ab urina turbida & albicanti muco narium aut spermuti ranarum simili; nihilominus si æger tuus cum insigni dolore quidem per tempus bene longum vel curru vehatur, vel per loca salebrosa incedat & scalas ascendat, si ille sæpe nec rectus stare potest, si cum vivido in facie rubore, dentium constrictione, manuum compressione, pedum quasi recalcitratione mejat & magis in fine mictionis quam in principio affligatur, si dolor, quo miser urgetur patiens, ad glandis extremum protendatur, si hanc ille contrectet quasi eandem discerpturus, & urina sit alba, crassa, uno verbo farinacea, quæ in cochleari super prunis ad siccitatem inspissata salem acerrimum & fœtidissimum in corpore exsiccato non prodat: profecto absque omni trepidatione asseverare poteris, ægrum Calculo vesicæ laborare & non ulcere ex gonorrhœa contracto; in hoc enim ultimo sal & in credibili acrimonia linguam & ingratissimo odore nares feriens per inspissationem detegitur.

Quod si ægrotus præter hæc omnia in tota pectinis regione ac præcipue in perinæo dolorem gravantem atque intestinum rectum cum sphinctere ejus extimulantem sustineat; tanto securius erit judicium tuum de tortoris calculi præsentia. Quod si vero tantus dolor non sentiatur, urina etiam placido cursu effluat, nec sabulo nec muco sit repleta; æger autem de insigni ardore in pube & glande conqueratur, qui ad motum corporis sive in obambulatione sive in vectura enormiter intendatur, conjecturam de præsenti calculo dubiam esse ipsemet fatebor, sed hæc non facile decipiet Medicum, si antehac patiens aliquando calculum aut copiosum sabulum nephriticum excreverit, aut ex improviso olim in urinæ suppressionem incidit; quantivis enim pretii obser-

vatio est doctissimi Medici *Mercurialis:* scilicet *usu venire, ut, ubi lapis est in vesica, arenæ, quæ antea ejiciebantur, non amplius compareant,* cujus rei ratio in promptu foret, si perpetuæ esset veritatis observatio *Beverovicii* affirmantis, calculos, quamdiu in vesica contineantur, *molliores esse in exteriori superficie,* quod & innuere videbantur *Silvaticus* in verbis antea citatis; inde enim concludi posset arenas ipsi calculo agglutinari & propterea in urinis non amplius conspici. Huic arenarum emansioni junge, si placet, urinæ suppressionem, quæ calculo vesicæ laborantibus, familiaris est, uti Anglicano Comiti teste supra laudato *Welschio,* urina subinde supprimebatur, & *Heurnius,* cujus itidem jam supra mentio facta est, cum convivio interfuisset, ibique *Rhenanum mustum bibisset; repente percepit sibi urinæ reddendæ facultatem inhibitam esse, domumque rediens ne urinæ quidem guttam excernere potuit,* ut narratur in vita Heurnii operibus ejus præfixa. Indeque facile persuadeor non reperiri aliquem ex calculo vesicæ, ægrum, qui non in excretione urinæ, etiam cum calculus vesicæ nullis aliis signis se prodit, vicissitudines & difficultatem experiatur; cujus rei causam *Duretus* in Coacas prænotiones in *temerariam vesicæ contentionem & conatum* ejiciendi hospitem peregrinum refert. Si itaque in ægri urina olim visum sabulum amplius non advertas & calculus antehac fuerit exclusus, aut si aliquando ei urinæ fluxus subito interceptus fuit, modo autem iste de igneo in pube & glande fervore constanter per longum tempus queratur, ut & de doloris augmento in motu corporis, non vanus eris augur, si calculum vesicæ adesse divinaveris, quod iterata me docuit experientia.

Post omnia tamen hæc ingenuè fatendum est, fieri posse, ut Medicus diligentissime discussis omnibus deludatur, quod accidit quondam, qui medicinam faciebant *Isaaco Casaubono,* quem dysuria *diuturna tandem confecit ex causa abdita; signa omnia calculum in vesica attestabantur & mentiebantur; aperto autem abdomine pro calculo inventa est vesica monstrosæ conformationis*

tionis. In ſiniſtro latere veſicæ prominebat ἔκφυσις vaſtæ capacitatis ſeſe attollens usque ad ſiniſtrum os ilii ejusdem ſubſtantiæ continuæ cum veſica, ut videri poſſet altera veſica naturali adjuncta. In eodem ſiniſtro veſicæ latere foramen erat ejus magnitudinis, ut facile admitteret quatuor digitorum apices, pervium à vera veſica in adnatum ſaccum, quo refluebat lotium: ibi diutius retentum putredinem, inflammationem, tabem & interitum tandem attulit.

OBSERVATIO LXI.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Notatis in viro quodam Melancholico.

VIr quinquagenario major temperamenti Melancholico-Cholerici, macilentus ſtrigoſique corporis ſtudiis ſacris deditus ac excolendæ philologiæ hebrææ ſumma curâ intentus jam decima vice in melancholiam incidit. Ea ab octo hinc annis circiter in Decembri annuatim recurrit & per plures ſeptimanas duravit, quam temporis periodum etiam exacte nuperrime obſervavit, hodie jam elapſis decem ſeptimanis immota perſeverat. Inter primum paroxysmum, qui illum circa feſtum S. Joannis adortus eſt, interceſſit intervallum trium annorum & aliquot Menſium, ſed diſtantia inter ſecundum & tertium brevior fuit; nam poſt ſpatium, quatuordecim menſium, exeunte autumno in illam animi & corporis ægritudinem tertia vice lapſus, ab eo tempore quot annis mali hujus acceſſum in Decembri, ut dixi ſentire cœpit. Etſi vero certum ſit, malum hoc dependere à nimia ſanguinis ſpiſſitudine ac impeditore ejus per venam portæ progreſſu, nec non ab intentis animi cogitationibus & immodicis memoriæ defatigationibus: etſi ad tædioſiſſimum affectum

ctum tollendum petita ſint auxilia ex venæſectione bis per annum celebrata in pedibus, crebris laxantibus melanogogis, deobſtruentibus, nitroſis ad ſanguinis ebulitionem moderandam pulveribus, acidulis, motu corporis, equitatione, ſufficienti ac diluenti potu, nec non ſpecificis quibusdam: tametſi etiam non intermiſſa fuerint, quæ ad animum erigendum amoremque conſuetudinis cum amicis excitandum facere viſa ſunt, ſepoſitaque etiam ſeverioria ſtudia ad tempus fuerint: nullo modo obtineri potuit; ut ita morbus extirparetur, ne amplius recrudeſceret, & quidem eum circumſtantiis, quas paucis commemorare liceat. Imminentis mali prodromi ſunt vigiliæ pertinaces per quatuordecim & plures dies absque ſomno protractæ, cum quibus junguntur taciturnitas, moroſitas, mens in cogitatione defixa, odium converſationis, ſuſpicio, ira, & excandeſcentia &c. Sed Hannibal ante fores eſſe cognoſcitur, quando cum ſine omni interruptione per tres quatuorve dies & noctes ſermocinari ac continuo declamare audiunt domeſtici. Hos diſcurſus uxor conſtare ait ex textibus ſcripturæ variis & non cohærentibus, eccleſiaſticorum hymnorum verſibus, hiſtoriis ſeriis, ludicris adhortationibus, dehortationibus &c. incertum vero eſt, an ea ſermone exprimat, quæ antea animo revolvit. Hiſce diebus garrulitatis finitis, ex loquaci fere mutior piſce evadit, ac in illo ingens animi abjectio, triſtitia & terror notantur. Et quia vigiliæ perpetuo urgent, nocturno etiam tempore ſe in muſeum abdit, non tam ut legat, quod quidem etiam interdum fit, ſed ut figuras ex libris evellat, diſcerpat, ligaturas diſſolvat & volumina integra dilaceret. Infeſtum etiam ſe exhibet utenſilibus domeſticis, iisque damnum infert, nec ullis ſuorum precibus ab hac fatuitate ſeſe abduci ſinit. Lucida tamen intervalla interdum adeſſe exinde colligimus, quia ſubinde diebus dominicis ſuos auditores ſine omnibus perturbatæ mentis indiciis è Cathedra alloqui poteſt. Præ Melancholicis plerisque aliis hoc noſter habet peculiare, quod

duran-

durante affectus exacerbatione appetitus non tantum integer sed & vehementer auctus sit, cum in multis eorum tanta ciborum aversatio à Medicis deprehensa fuerit, ut quidam eorum palam professi fuerint, se mori malle, quam vesci. E contrario apud nostrum felix est augurium affectus brevi cessaturi, si voracitas ista imminuatur, hoc vero anno uxor ea de causa in magno versatur metu, ne forte perpetuo duret, quia aviditatem comedendi non decrescere animadvertit. Optatissimus redeuntis serenitatis mentis incipit illucescere dies simulac acerbas querelas incipit fundere de exquisito in capite tensionis sensu, quam ut declaret, hac formula utitur, videri sibi caput funibus usque ad rupturam tensis repletum esse; Gemitus illi uxori domesticisque sunt gratissimi, quia in horas tenebras mentis magis magis dispelli vident, & tum demum pene restitutum censuere, quando damna rei librariæ & domesticæ supellectili à se illata deflet, valde dissimilis illi apud *Horatium*, qui cum ad se rediisset, *Pol me occidistis amici, non servastis (ait) cui sic extorta voluptas, & demptus per vim mentis gratissimus error.*

OBSERVATIO LXII.

DN. D. ANDREÆ ELIÆ BüCHNERI.

Aphonia, cum diarrhœa cruenta complicata, à Vermibus producta.

PLurimos abditorum, stupendorum & rariorum illorum morborum, qui inexplicabili communiter modo corpora tam adultorum, quam imprimis etiam juniorum subjectorum excruciant, ac vulgari sensu sæpissime pro incurabilibus venditantur, natales suos *Vermiculis* debere, & ab his quasi excludi atque produci, longa rerum magistra, Experientia, dudum demonstravit; sed permultos etiam infelicis-

ſimorum ejusmodi ægrotantium, prægreſſæ prius, & vel Artis, vel Naturæ ipſius beneficio perpetrata, infauſtorum ejusmodi hoſpitum expulſione, præter ſpem & ferè ad miraculum omnium priſtinam rurſus cum incolumi corpore recuperaſſe ſanitatem, eadem illa non ſolum, ſed & quamplurimæ, quæ deſuper jam publice proſtant, Virorum celeberrimorum Obſervationes ſatis curioſæ atque notabiles, certa pariter ſolidarunt fide, quibus propterea ſequentem ſimilis fere tenoris Hiſtoriam nunc adjungere placet.

Cum Menſe Martio Anni præteriti 1726. Febris imprimis catarrhalis, ſolito benignioris tamen indolis, noſtros fere epidemice affligeret cives, corripiebatur quoque tali puer quidam 10. circiter annorum, unicus parentum ditiorum filius, lautiori diætæ & multis imprimis lacticiniis atque ſaccharatis aſſuetus atque enutritus. Decumbebat ille per tres priores dies ſatis graviter, ob vomitus circa acceſſum cujuslibet paroxysmi ſtrenue recurrentes, 4. communiter vel 6. vicibus ventriculum concutientes & ſaburram viſcidam ex flavo albicantem exturbantes; his vero, poſt uſum pulverum temperantium nitroſorum & largiori Cinnab. nat. doſi impprægnatorum, ceſſantibus. ſtatim melius ſe habere cœpit, tandemque ſubſecuto circa diem 8vum largiori ſudore, perfecte iterum convaluit, remanente tamen plenaria appetitus dejectione, ciborumque omnium (excepto lacte cum Fol. Roſar. alb. decocto & Saccharo Canarienſi dulcificato, quo, ut alias, ſic nunc, eximie ſemper delectari ſolitus erat,) nauſeabunda averſione. Hanc ergo, cum ex prægreſſis crebrioribus & vehementioribus, ſpaſticis hujus partis conſtrictionibus indeque ſubſecuta ejusdem atonia, ipſam obortam eſſe non immerito ſuſpicarer, ſtatim conſuetis ſtomachicis, carminativis & tonicis medicamentis remoturus, priſtinumque cibos capiendi deſiderium iterum de novo excitaturus, nimium illum lactis, ventriculi fibras tam ob calorem, quam ob pinguedinem magis relaxantis, uſum interdico, ejusque in locum cerevi-

revisiam probe defæcatam, interposito uno vel altero haustulo vini, substituo, ast irrito semper cum conatu: in dies enim augescentem hanc Anorexiam tandem atrophica totius corporis contabescentia, cum agrypnia fere continua & molestissimis circa ventriculum occurrentibus torsionibus & morsicationibus excipiebant, (de quibus patiens communiter dicebat, **es schlinge sich immer in seinem Leibe herum und kneipe ihn,**) concurrentibus simul nimiis flatulentiis, gravibus singultibus & crebrioribus vomendi conatibus, qui ultimi tamen fere inanes erant, & præter unum vel alterum cochlear seri flavescentis & amarulenti nihil plane protrudebant.

Ex his igitur circumstantiis, probe antea pensitatis & inter se collatis, haud injusta mihi suboriebatur suspicio de Vermibus in duodeno vel jejuno intestino forsitan latitantibus & ad symptomata talia insueta præcipuam occasionem suppeditantibus, imprimis, cum alias quoque sæpius inter desidendum, una cum alvi excrementis, minores aliquot lumbricos teretes ab ipso hoc subjecto evacuatos fuisse, à parentibus cognovissem; hinc, ad ipsos prius enecandos, Mixturam mihi alias consuetam, ex Essentiis Absynrh. Tanacet. C. B. & radicis Aristol. rot. compositam, ad gtt. XL. ter de die assumendam, præscripsi, altero postmodum die laxans aliquod Mercuriale huic subjuncturus. Ast, vix una alterave hujus MRæ dosis cum cerevisia tepida erat assumta, cum statim, citra opinionem, omnia in pejus mutari, & symptomata modo recensita nimium quantum exacerbari viderentur; puer enim illico quasi attonitus concidebat, & paucula tantum verba proferens, perfecte obmutescebat, remanente tamen adhuc usu rationis & reliquorum sensuum, tam internorum, quam externorum, siquidem, quod articulata voce proferre & indicare haud poterat, id profundioribus suspiriis & imprimis manibus abdomini impositis atque anxie contortis demonstrare tentabat, se nimirum gravissimis iterum intestinorum rosionibus & morsicationibus, maximeque præcordio-

rum angustia, cum conjuncta respirationis difficultate, nunc afflictum & oppressum esse. Applicabantur equidem varia, tam externa, quam interna, nervina, tonica, discutientia & quæcunque alia extraordinario huic symptomati opponi poterant, sed citra ullum aliquem effectum, quoniam his non obstantibus, ad integrum fere bihorium sese extendebat ista aphonia, nihilque protinus, nisi quod signis forsitan manifestabat miserrimus patiens, ab ipso explorari poterat, cum tamen ille ex sua parte cunctas adstantium quæstiones atque discursus perfecte intelligeret, ac variis modis necessariam pro his responsionem communicare allaboraret. Tandem post assumtam aliquam potiunculam analepticam, leviter cum Syrupo de Canella dulcificatam, hæc omnia remittebant & evanescebant viresque cum loquela in integrum restituebantur, ita, ut, quas hactenus perpessus fuerat afflictiones latius exponere, atque immanes illos intestinorum cruciatus, ac subitaneam, quasi ab onere quodam graviori in pectus delapso, productam respirationis & loquelæ oppressionem (de qua in specie referebat, **es wäre ihm gewesen, als ob ein schwehrer Stein auf seine Brust herab gefallen, und ihm auf einmal Athem und Rede benommen hätte,**) nunc perfecte describere potuerit. Jacuit inde per horæ quadrantem satis quietus & præter insignem in ventriculo nauseam & amarulentum in ore saporem, nihil plane amplius incommodi se sentire asseveravit; vix autem elapsum erat brevissimum hocce spatium, cum derepente iterum novis intestinorum vellicationibus & rosionibus, cum multa insimul anxietate stipatis affligeretur, & ad alvum deponendam per stricturas quasdam tenesmodeas ita vehementer urgeretur, ut vix è lectulo eximi & sellæ familiari imponi potuerit, ubi illico cum strepitu quodam insolito excrevit materiam mucilaginoso-serosam, sanguineo colore undique tinctam & totam fere cruentam, loturæ carnium paulo crassiori ac spissiori haud absimilem, parum quidem. vel nihil, fœtentem, spontanea ta-

men

men hac ſui excretione exiguum aliquod levamen inferentem. Continuavit hæc excretio per totam illam noctem, & ad modum diarrhoeæ cujusdam acrioris ac torminoſæ, ſingulis horis bis vel ter repetiit, ita tamen, ut minor ſemper quantitas cruentæ iſtius materiæ effuſa fuerit, nullumque vel æſtus febrilis, vel alterius cujusdam ſontici ſymptomatis veſtigium obſervari potuerit, præter Aphoniam prius perpeſſam, quæ quaſi periodica reddita, communiter poſt duarum horarum ſpatium recurrebat, ſed mitiorem inſimul genium demonſtrabat, atque elapſa circiter ſemihorula, poſt uſum ſupradictæ potionis analepticæ, iterum ceſſabat. Tandem ſummo mane, circa horam quintam, cum gravi hoc ſuo paroxyſmo denuo oppreſſus jaceret, ſuperveniebat vehementior quidam ſed vacuus vomendi conatus, nihil plane, præter Lumbricum inſignioris longitudinis protrudens, quem puer ille ſtatim digitis duobus anterioribus ad fauces fere detruſis, apprehendebat & ſucceſſivè totum inde extrahebat. Erat ille de genere rotundorum; (ein Spul-Wurm,) craſſitie non ſolum, qua maximum è lumbricis terreſtribus ſuperabat, ſed & imprimis longitudine, qua cubitum unum cum quadrante æquabat, valde inſignis, & ob extremitates ſuas, in quibus acuminatus, durus, niger & pauliſper hirſutus erat, ſatis curioſus. Foras ergo depulſo hoc hoſte omnia tranquilliora reddebantur; emanebat ſponte diarrhæa, evaneſcebant dolores & cruciatus inteſtinorum, nullumque ulterius Aphoniæ ſentiebatur veſtigium, ita ut poſt uſum boli cujusdam anthelmintici, ex Rad. Jalap. Corallin. Merc. dulc. & Syrup. de Abſynth. parati, inſignem adhuc fœturam verminoſam ex lumbricis variæ magnitudinis conſtantem, per alvum exturbantis, aliorumque ſubordinatorum abſtergentium, incidentium & ſtomachicorum medicamentorum, patiens tandem iterum perfecte convaluerit.

SCHOLION.

S*Æpenumero* utique, ut cum *Phil. Marci* apud *Bonetum de Medic. Septentr. Lib. III. Sect. XVI. cap. 4, pag. 627.* loqui mihi liceat, *in morbis intricatissimis* τὸ θεῖον *hariolamur, & si rem apertioribus oculis pensitamus, Vermes sunt & lumbrici.* Si enim ad mentem Clarissimi *Sebizii* τὸ θεῖον illud Hippocraticum de omni eo, quod est abstrusum & insolitum, quodque nec sensibus nec ratione facilè pervestigari potest, sive etiam in effectu sive causis lateat, interpretamur, *lumbricis* sane optimo jure competere poterit hic Titulus, quippe quibus nil abstrusius nilque magis insolitum unquam videre licuit in Praxi Clinica. Inter rariora ergo ipsorum symptomata non immerito etiam *Aphoniam* hanc referendam esse putavi, præprimis cum & duratione & affligendi modo illam adhuc superet, quam Celeberr. *Hellvvigius* in puella novenni, à simili fere animalculo productam, sed aliis adhuc symptomatibus stipatam annotavit, & in suis *Observ. Phys. Med. Observ. 94.* descriptam reliquit. Quod vero in præsenti hoc subjecto appetitus plane fuerit prostratus, contra communem plebis nostræ opinionem, quæ voracitatem puerorum nimiam semper pro palmario verminationis signo reputat & venditat, ex eo potissimum deducendum esse autumo, quod provida corporis sui conservatrix, Natura, ipsum illud, fœdissima tali progenie obsessum & conspurcatum, ultro nutrire haud voluerit, sed potius illas imprimis regiones, in quibus alias materiam ad promovendum ejusdem augmentum necessariam præparare assolet, ab ingratis & adversis hisce hospitibus perfectè liberare conata fuerit, ne gravius forsitan ab iis turbetur & offendatur, nobile illud chylificationis negotium. Hinc nimiam ejusmodi addyphagiam in verminatione equidem ut c[illegible]am, minime vero ut signum quoddam pathognomonicum occurrere, & ratio, & ipsa quoque experientia dictitant,

eaque

eaque propter non ſolum *Galenus in Comment. ad Lib. VI. ejusdem Hippocr.* ſed & ipſe *Hoffmannus* in ſua *Apologia pro Galeno* voracitatem panis etiam ſimpliciſſimi ac puriſſimi pro genuina hujus mali cauſa non inepte declarant, *Ettmüllerus* autem in *Colleg. Pract. Lib. I. Sect. I. cap. 2.* appetentiam præternaturalem à vermibus ſolis excitari poſſe, ob varias rationes rotundè negat, quarum intuitu etiam Celeb. noſter *Mayerus in Miſcellan. Academ. Cent. III. & IV. Obſerv. 140. pag. 320.* merito dubitat, an Bulimia periodica in muliere obſervata & excretione lumbrici cujusdam majoris iterum ſedata, ab ejusdem morſicationis & arroſionibus deducenda, aut annon potius ſaburræ iſti acidæ & bilioſæ per vomitum inſimul rejectæ fibras ventriculi nerveas antea vellicanti & rodenti, adſcribenda fuerit. De reliquo copioſis iſtis lacticiniis, quius ita eximie ſemper delectabatur præſens hoc ſubjectum, ut quolibet ferè die talia in notabili quantitate ingereret, utique tribuo, quod proximam & aptiſſimam pro fovendis & nutriendis turpiſſimis hiſce animalculis ſubminiſtraverint materiam, generationem autem ipſorum primitivam ab aliorum forſitan ciborum reliquiis & deliteſcentibus ſimul intra has varii generis ſeminiis verminoſis, deducendam eſſe exiſtimo, quoniam infantes teneriores, ſi non omnes, tamen plurimi, quamdiu ſolo lacte nutriuntur, nec quicquam de aliis craſſioribus alimentis, inprimis autem carnium ſpeciebus, accipiunt, communiter vermibus rariſſimè infeſtantur, notantibus hoc *Galeno in Comment. in Hippocr. Sect. III. Aphor. 26. Riverio Prax. Med. Lib. X. cap. IX.* aliisque celeberrimis Autoribus, quod ſanè ita contingere haud poſſet, ſi in lacte, juxta mentem *Athanaſ. Kircheri in Mund ſubterran. Sect. I. cap. X. & Sect. II. cap. I.* milleformia inſectorum ſeminia extarent, aut humor hic, præter nutrientem ſuam, etiam Vermes tales generandi & propagandi qualitate gauderet. Aphoniam autem una cum reliquis gravioribus in Caſu noſtro allegatis ſymptomatibus, ab excreto imprimis grandiori iſto lumbrico, tunicam inteſtini duodeni, aut ipſius etiam ventriculi nerveam moleſte

leſte arrodente & vellicante cauſatam fuiſſe, tanto minus dubito, quo magis poſt aſſumtam potiunculam analepticam ſubdulcem (quali ſapore imprimis lumbrici delectantur & ab omni inſimul violentia avocantur,) illa ſemper remittebat & patiens iterum perfecte ad ſe redibat; hinc genuinam extraordinarii hujus ſymptomatis cauſam in conſtrictione & compreſſione nervorum recurrentium, à ſtomachicis aliiſque verſus inteſtina à pari vago protenſis ramulis antea vellicatis, per conſenſum excitata, præprimis fundatam fuiſſe autumo, ſicque in eo ſententiæ Celeb. *Schmiederi* in Ephemerid. noſtris *Centur. III. & IV. Obſerv. 81. pag. 202.* prolatæ, exacte ſubſcribo, ſalvo tamen aliorum rectius deſuper ſentientium judicio.

OBSERVATIO LXIII.

DN. D. ANDREÆ ELIÆ BUCHNERI.

Prolapſus uteri per flatulentam inteſtinorum diſtenſionem cauſatus.

MAtrona quædam honeſta, annum climactericum magnum, videlicet ſexageſimum tertium, agens, ſimulque temperamentum cholerico-ſanguineum exhibens, hactenus ab aliquot annis ob inſignem ventriculi & inteſtinorum atoniam flatulentiæ fere continuæ expoſita, ab eaque inſigniter vexata & excruciata, cum circa tempus ſolſtitiale hybernum in præterito anno obſtructionem alvi inſolitam (quæ alias quoque ipſi non adeo infrequens erat,) ad triduum usque durantem perpeſſa fuiſſet, nec tamen illam, vel ex negligentia, vel ex avaritia, convenientibus remediis reſerare tentaſſet, ex improviſo tandem abdomen, quod hactenus jamjam flatibus ſatis turgidum erat, usque adeo diſtendi & intumeſcere

mescere sentit, ut quem trepida mente semper exhorruit, statum perfecte tympaniticum repræsentaret, & vestimenta, pro more mulierum, circa regionem epigastricam paulo arctius constricta, nimium quantum expandi & fere disrumpi summa cum consternatione animadverteret. Concurrebat insuper anxietas præcordiorum immanis & cruciatus spastici circa inguina & hypogastrii regionem tanta cum vehementia sævientes, ut summos, qui alias sub partu, licet difficillimo, occurrunt dolores, horum intuitu nihil plane æstimandos esse censeret, eaque propter tandem, cum illi per semihorulam strenue continuassent, furibunda fere evaderet, & præ dolorum atrocia adstantium aures horrisono clamore & tremendo quasi ululatu imprægnaret, atque de procurando ipsi quantocyus aliquo auxilio cogitare necessitaret. Ego igitur hunc in finem repente advocatus, cum ipsam in lectulo quidem jacentem, sed omni fere ratione destitutam, & manibus modo prætumidum abdomen, modo pectus anxiè convellentem seque subinde ex uno latere in alterum circumvolventem offenderem, statim Hystericæ passionis tragœdiam in misero hocce corpore ludi ominabar, & propterea non solum interne consueta temperantia, antispasmodica & antihysterica ipsi propinabam, sed externè (licet de triduana illa obstructione, quæ & ipsis adstantibus prorsus ignota erat, nihil adhuc cogitarem) clysterem quendam emollientem & carminativum præparari & statim applicari curabam, quæ vero omnia nihil plane desperato auxilio infelici ægrotanti afferebant. Clyster enim, ob ingentem flatuum copiam statim iterum protrudebatur, &, licet pluribus vicibus provida cæteroquin obstetrix illum immittere tentaret, tamen ne guttula quidem ad intestinorum cavitatem penetrare poterat, id quod etiam internis pariter accidebat medicamentis, quæ, brevi post assumtionem, per vomitum satis anxium rejiciebantur. Interim observaverat prædicta obstetrix, dum ægrotantem in situm pro applicatione Clysteris commodum transferre conata fuerat,

 quod

quod vagina uteri ad duorum fere digitorum latitudinem extra genitalia propulsa sit, & quod ipsa patiens inter summos clamores hanc partem subinde manibus comprimeret & quasi reponere intenderet; hinc statim cum stupore hoc mihi narrabat, & quid ultra, præprimis sub insueto hoc symptomate, faciendum sit, inquirebat. Mirabar equidem insignem illam flatuum potentiam, quippe quos ob vitæ genus sedentarium, nimis tranquillum & ab omni violentiori commotione alienum, cui hactenus à multis jam annis assueta fuerat ægra nostra, pro solitaria & primaria causa hujus affectus merito agnoscere cogebar; quoniam vero summè dolorificus hic status acceleratam requirebat medelam, atque omnia subinde magis deteriorari videbantur, idcirco jussi, ut quantocyus universum non solum abdomen, sed & imprimis prolapsa vaginæ uteri portio sacculis è solo lupulo recenti paratis, foverentur, lumborum vero & coxendicum regio unguento aliquo nervino & axungia anatis calide inungerentur, simulque suppositorium quoddam è frustulo saponis Veneti paratum applicaretur, quæ omnia etiam post elapsum unum vel alterum horæ quadrantem tantum efficiebant, ut flatus pariter ac ructus satis copiosi per inferiora & superiora prorumperent, eoque ipso ægrota paululum sublevari videretur. Hinc ipsi statim propinabam pilulas xx. ex M.P. de Succ. Crat. & Asæ fœtidæ partibus æqualibus, nec non Extracti Panchymag. Croll. parte semis, paratas, cum cerevisia temperata, quæ non solum citra subsequentem aliquem vomitum in ventriculo remanebant, sed & insimul spatio duarum ferè horarum alvum feliciter reserabant atque insignem materiæ nigricantis, viscidæ & fœtidæ copiam, sub immenso flatuum strepitu, evacuabant, idque aliquoties postmodum summa cum euphoria ægrotantis repetebant, quippe quæ post primam statim excretionem iterum ad se redire & successive tranquillior fieri incipiebat, remanente nonnisi, & adhuc, licet paulo mitius continuante, dolore spastico &

lancinante circa prolapsum illum jamjam allegatum, quem tamen brevi post, applicatis prius consuetis medicamentis externis & conjuncta simul enchiresi ordinaria, iterum quoque in pristinum locum reposuit provida illa obstetrix. Ab hoc igitur tempore per aliquot septimanas sic satis quieta erat, nihilque præter ordinaria flatulentiæ incommoda experiebatur, cum vero postmodum ob assumtum, præter consuetudinem, cibum quendam crassiorem & concoctu paulo difficiliorem de novo alvi obstructionem acciperet, eamque iterum, ut antea, negligeret, statim pristina non solum pathemata ad unum omnia recurrebant, sed & cum vagina simul ipse uterus, sub exquisitissimis & priores adhuc longe superantibus lancinatoriis & spasticis doloribus, propellebatur, ita ut juxta relationem obstetricis, ad pugni magnitudinem ille extra genitalia promineret, sine ulla tamen inversione, quoniam orificium internum in extima ipsius parte adhuc perfecte conspicuum erat. Tentavimus equidem de novo Clysteris cujusdam carminativi injectionem, sed irrito iterum cum conatu; hinc ad priora confugimus medicamenta, imprimis autem prædictarum pilularum usum, ex quo, brevi post, ab eximio hocce symptomate, auxiliante gratia divina, iterum liberata & prolapsus juxta consuetum methodum perfecte repositus fuit, remanente non nisi spasmo quodam insolito circa inguina, qui vero tandem, post applicationem Emplastri cujusdam catagmatici, pariter quoque evanuit. Et ita hactenus per aliquot menses ab illa molestia plane libera vivit, ac, licet aliquoties, sub alvi imprimis constipatione forsitan occurrente, ipsam recrudescere, & in specie cruciatus illos insignes circa inguina de novo excitari sentiret, tamen ab assumtis statim prioribus pilulis, citra alterius cujusdam medicamenti usum, illi semper felicissimè iterum evanuerunt omniaque in pristinum statum & tranquillitatem restituta sunt.

SCHOLION.

MOrbos diversos in abdomine alias latentes sæpenumero causas procidentiarum & inversionum uteri satis periculosarum evadere, demonstravit jamjam Vir Celeberr. *Henr. von Sanden* in Schediasmate, quo Observationem *de prolapsu uteri inversi ab excrescentia carneo, fungosa in fundo ejus interno ex potu infusi crepitus lupi enata,* recenset, confirmantibus id ipsum innumeris partim in Ephemeridibus nostris, partim etiam alibi prostantibus exemplis & observationibus. Flatuum autem ἐνέργειαν tantam esse, ut partem hanc ligamentis suis ordinariis undiquaque satis firmiter annexam è sede sua movere & foras protrudere queant, vix unquam credidissem, nisi singularia in præsenti hoc subjecto observata phænomena aliud me edocuissent: à prægressa enim qualicunque violentia tanto minus deduci poterat noxius iste effectus, quo magis & certius jam constabat, ægrotam partim ob deficientes, per ætatem, vires, partim ob continuam fere, quam hactenus perpessa fuerat, agrypniam, à lecto vix secedere, ne dum vehementioribus quibuscunque commotionibus se se exponere potuisse. Sic ergo ab impetuosiori intestinorum distensione flatulenta & hinc oborta partium omnium in abdomine contentarum, imprimis autem uteri, compressione fortiori, vincula & ligamenta hujus, quæ alioquin ratione ætatis jamjam debiliora & magis relaxata erant, ultro expansa & dilatata, ac exinde demum insolitum huncce prolapsum causatum fuisse liquido apparebat, hacque ratione non solum *Francisci Mauriceau* observatio (*) de prolapsu uteri per tussim vehementem & alvi depositionem violentiorem tenesmodeam, post prægressam

(*) *Vid. huj. Autoris observat. gravidar. obstetricat. germanice reddita & edita à Schürigio, Observat. 303. pag. 510.*

fam & ad vigesimum usque diem perpessam alvi obstructionem, causato, sed & ipsius *Aetii* assertio, qui *Lib. XV. cap 78.* nimiam spiritus detentionem, ob eandem forsitan rationem, inter causas occasionales præternaturalis hujus accidentis refert, maxima ex parte confirmabantur; quemadmodum etiam insignis Asæ fœtidæ efficacia in affectibus uterinis, quam præ aliis in *Botanologia* sua *Medica* mirum deprædicat *Zornius*. exinde vel maxime elucebat, siquidem, post evomitionem pulverum nitrosorum & antispasmodicorum, præter ipsum illud gummi in forma prædictarum pilularum exhibitum, nullum plane aliud medicamentum assumsit ægrota, eoque semper optime & ad votum levata fuit. An vero ea in futurum quoque constante sit fruitura valetudine, imprimis ratione prolapsus jamjam memorati, quem in senibus nunquam fere restitui posse asserit *Forestus Lib. XXVIII. Observ. 36. in Schol.* de eo equidem nihil certi adhuc determinari posse autumo, mitiorem tamen eventum & statum, ob semel adsuetum vitæ genus sedentarium & tranquillum, sperandum esse, non immerito confido.

(*Erfordia August. Vind. d. 15. Febr. A. 1727. missa.*)

OBSERVATIO LXIV.

DN. D. SAMUELIS GRASSII, Filii.

De Mictu cruento ab Hæmorrhoidibus Vesicæ.

VIr temperamenti sanguineo-cholerici à prima juventute liberiori diætæ adsuetus, nec à variorum inebriaminum deliciis alienus, ad labores tamen undique promptus & alacris, quos mercaturæ dedito tum occupationes domesticæ, tum itinera varia suppeditaverant, usque ad vigesimum præ-

ter propter ætatis annum hæmorrhagias narium interdum admodum profusas expertus erat, & postmodum cessantibus iisdem tumores faciei erysipelaceos subinde sustinuerat, ad quos præcavendos, neglecto pertinaciter omni de venæsectione consilio, scarificationes ad prodigalitatem usque frequentes institutæ, minus tamen sperato successu consequente, quod vini usui liberalius semper indulgeret.

Ad trigesimum sextum ætatis annum evectus Febre pleuritica corripiebatur, cujus impetus admodum efferati admissa tandem venæsectione largiori ex voto superati. Anno abhinc dolores capitis, & iisdem remittentibus tumores erysipelacei, circa nasum potissimum infesti, sæpius per vices recurrebant, non tamen æque molesti, ac dolores tensivi & pressorii circa regionem lumbarem, quos, ut sæpius in praxi contingit, à calculo dependere non dubitabat æger, hinc minus auscultans medico, qui sensationes hasce à moliminibus hæmorrhoidalibus oriri serio inculcabat; donec post diuturnos conatus tandem aliquando hæmorrhoidalis evacuatio modica non tamen sine omni levamine contingeret. Nec tamen eo adduci poterat æger sanitatis suæ nimis negligens, ut vel venæsectione in pede, vel laxationibus, vel fotibus subinde repetitis, commodis suis prospiceret, sed potius continuis diætæ erroribus, animique commotionibus impetuosioribus, & incauta corporis à potu æstuantis refrigeratione, omne sanitatis negotium turbabat; idque eo magis, quod vini antea potator, rebus domesticis ad angustias pervenientibus, spiritus vini illecebris traheretur.

Tandem aliquot annis quadragenario major, capitis & artuum doloribus nimis vexatus, vertigine & scotomiis visus, metum apoplexiæ ipsi suggerentibus, sponte sua ad venæsectionis anchoram anxius fugiebat, & consiliis salutaribus magis morigerus, eandem postmodum bis per annum admittebat, non omissis penitus præsidiis, quæ cura interna postulabat, inter quæ acidulæ Egranæ domi potæ admodum

profi-

proficuæ deprehendebantur. Abhinc enim venæ ſedis aliquoties cruentatæ, & proculdubio ad ſtatas periodos perveniſſent, niſi à noſtro ulterior diætæ & ſalutis cura præcocius neglecta fuiſſet.

Poſt primordia anni M. DCC. XXIII. tempeſtate hiemali ventis nivibusque horrida moleſtum per aliquot dies iter inſtituebat, plauſtro incongruo & ſuccuſſationibus continuis gravi vectus. Urgentis frigoris ſenſationes lenituro arridebat crebrior ſpiritus frumenti ingurgitatio, & cum in locum deſtinatum perveniſſet, vini Hungarici, quod autumnus anni M. DCC. XVIII. generoſiſſimum præbuerat, crapula. Abhinc domum redux, cephalalgias, artuum dolores lancinatorios tuſſimque ſiccam ſuſtinebat, à quibus obſervato regimine leniter diapnoico ſatis cito equidem liberabatur. Inſigni autem pertinacia perſeverabat dolor quidam tenſorius à medio ſcapularum protenſus, ex cauſis ſociis ventriculi, cujus œſophagus in regione illa ſitus, & forte etiam diaphragmatis & ab hepatis congeſtionibus tenſi oriundus; cui poſt frictiones cum pannis calidis inſtitutas, ſoluto ructibus ventriculo, breve aliquod levamen erat. Magis adhuc affligebat eum paſſione colica alvi obſtructio, & dolor circa os ſacrum fixus, ad quosvis corporis ſitus moleſtus, qui nec fotu, nec emplaſtro ſaponato camphorato movebatur. Nullum in diagnoſi ſupererat dubium, affectum hunc ab hæmorrhoidibus dependere, potiſſimum cum illis per triduum quodammodo ſuccedentibus induciæ contingerent; verum æger à calculi ſuſpicione non poterat amoveri, & tum venæſectionem, multo magis hirudinum applicationem renuebat, nec medicamenta admiſiſſet, niſi nitroſa & emulſiva ordinata titulus ſpecificorum contra calculum commendaſſet. Tandem acta per aliquot ſeptimanas hac fabula, medio Martii dyſuria admodum doloroſa in ſcenam prodibat, ingenti niſu & preſſione ægrum continuo exercens, qui frequentiori mingendi conatu raro ultra unciam ſemis urinæ craſſæ cum ſedi-

ſedimento farinaceo ſecrevit. Tendebat hic dolor à perinæo usque ad glandem, cum rigida penis tenſione, adeo ut ſenſus ardoris & teneſmi in ano, cum mingendi conatu dolorifico ſemper jungerentur. Nec deerant motus febriles circa veſperam potiſſimum ingruentes, cum nauſea ventriculi, levi capitis dolore, & agrypnia.

In hoc anxio rerum ſtatu curam eo quidem omni modo dirigebamus, ut alvo ſua libertas reſtituetur, & compoſitis inordinatis maſſæ ſanguineæ commotionibus, hæmorrhoidum fluxus promoveretur, viæque urinariæ ab anomalis & ſordibus liberarentur. Huic intentioni ulterius inſerviebant, & antea jam ordinati pulveres ex lapidibus cancrorum cum acido citri ſaturatis, cinabari nativa, antimonio diaphoretico tartaro vitriolato, & nitro compoſiti; liquor tartari ſtartariſatus, eſſentiæ alexipharmaca & ſuccini remixtæ; emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus cum ſemine milii ſolis, geniſtæ, violarum purpurearum; decoctum emolliens Foreſti cum aqua laxativa Viennenſi. Uſum clyſterum emollientium exquiſitus ab hæmorrhoidibus tumentibus dolor rarius admittebat. Conſiliis autem de ſanguine ventilando non citius aures præbebat æger hæmophobus, niſi poſtquam cum urina ſanguinem profluere cerneret, ubi ad eandem tanquam ad ſacram anchoram iterum properabat, & largam ſatis in pede evacuationem admittebat, hirudines adhuc averſatus.

Natura autem â motibus erroneis non ſtatim deſiſtebat, ſed continuabant potius paſſiones ſumme doloroſæ, & ſanguinis profluvium per viam urinariam augebatur, adeo ut octavo & nono novi ſchematis die, poſtquam malum ad ἀκμὴ perveniſſet, mingendi conatu admodum frequentato, ultra dimidiam menſuram ſanguinis craſſioris cum urina mixti non tamen grumoſi quotidie ſecerneret. Quoties ad matulam cogeretur, percipiebat prius ſenſum laticis calidioris cum dolore & teneſmo ab inteſtino recto per perinæum, & cer-

cervicem veſicæ, urethramque usque ad glandem penetrantis. Interim nullus circa regionem renalem dolor, & ſcapulæ pariter ac os ſacrum triſti ſua ſenſatione non æque ut antea afficiebantur.

Medicamenta ferè eadem ac ſupra meminimus, niſi quod decoctum aliquod pugillare ex radicibus aſparagi, glycyrrhizæ, herbis millefolii, virgæ aureæ, equiſeti, floribus roſarum rubrarum, bellidis rubræ, & ſantalo rubro; pilulasque ex extractis balſamicis tonice adſtringentibus adderemus, Exterius ſacculos paregoricos in lacte coctos regioni affectæ. Et ſubinde dolore admodum furente, *l'eau d'arquebuſade* Gallorum & ſpiritum vini camphoratum applicavimus. Minus tamen à ferocia ſua deſiſtebat malum priusquam venæſectio revulſoria in brachio inſtitueretur, quam imminentis inflammationis metu adacti, decimo die poſt venam in pede apertam celebravimus, ordinatis ſimul ſingulo trihorio pulveribus temperantibus leniter camphoratis, eo ſucceſſu, ut altero ſtatim die urina & purior & non ita impedite prodiret, & paulo poſt aucta indies euphoria, natura vaſa ſecretoria debita repeteret, ſuccedente levi per venas ſedis cruentatione, unde plenaria ferè triſtium ſymptomatum remiſſio, & priſtina propemodum ſanitas ægro contingebat, niſi quod ſubinde urinæ adhuc craſſæ & cum ſedimento farinaceo conſpicerentur, & non ſine omni moleſtia fluerent; quæ tamen vere jam præſente indies ex voto imminuta admodum congrue valente ægro. Abhinc venæſectiones ſingulis æquinoctiis ſponte admiſſæ, & hæmorrhoidum promptior ſucceſſus contigit, non tantum trimeſtri ſpatio ſtatis propemodum periodis, ſed etiam intermedio tempore, quoties potu paulo largius incaluiſſet, recurrens.

Poſtquam autem ultra annum varias fortunæ adverſitates, animique ærumnas ſuſtinuerat, circa ſolſtitium æſtivale Anni M. DCC. XXV. evacuatio hæmorrhoidalis iterum intercipiebatur, ægro tot curis diſtracto hanc jacturam parum con-

ſiderante, & hinc ſucceſſive ingruentes laſſitudines artuum, appetitus proſtrationes, anguſtias præcordiales, colicas infimi ventris affectiones, agrypnias, cauſis moralibus potius quam phyſicis adjudicante; donec appropinquante ſolſtitio hiemali, dolor circa os ſacrum, moleſta alvi dejectio & frequens ad matulam ſtimulus, metum recidivantis antea perpeſſi mali haut vanum concitarent. Nec mora, quin poſt dyſuriam exquiſitam priſtina urinæ conſpurcatio & cruentatio, anno ad exitum properante iterum in conſpectum prodiret. Non deerant ſigna manifeſta congeſtionis circa vaſa hæmorrhoidalia, hinc, monitis noſtris nunc magis obtemperante ægro, ſtatim in principio venis ſedis applicatæ hirudines, modicam ſanguinis craſſioris & inſtar glutinis viſcidi evacuabant quantitatem. Minus autem cedebat malum, ſed potius omnia ſupra recenſita ſymptomata, & motus febriles ſtata periodo poſt horam octavam veſpertinam quotidie ingruentes adeo augebantur, ut poſt leve frigus intenſus calor ſæpius animi emotiones concitaret, & plurimam noctis partem turbulentam redderet. Dolor capitis etiam extra paroxyſmum gravis erat, & ſubinde hæmorrhagia narium leniebatur, mictu cruento neutiquam imminuto.

Quod curam ulterius concernit, ſupra jam recenſitæ indicationes & medicamenta ut plurimum pro norma erant, & potiones diluentes ac temperantes emulſivæ nitratæ potiſſimum neceſſariæ judicabantur exiſtimantibus, præſentes ſanguinis congeſtiones non tam quantitati quam qualitati deberi, & craſſam ſanguinis conſiſtentiam utique reſolvendam eſſe. Nec videbatur intentioni noſtræ eventus defuturus, potiſſimum cum cephalalgiis & hæmorrhagiæ narium, venæſectio in brachio oppoſita fuiſſet, paulo poſt enim febriles commotiones & reliqua ſymptomata tantum non penitus ſublata, & mictus cruentus valde imminutus, denuo ſpem reſtitutionis in integrum ſuggerebat, quæ tamen ideo nobis dubia erat, quod ſanguinem è vena prolectum, à craſi ſua valde

de dejectum, viscidum, fæculentum & maculis lividis obscuram rubedinem intercurrentibus notatum conspexeramus, & pulsus celerior & durus, etiam præsente euphoria deprehenderetur, habitu corporis musculoso prorsus inanito. Nec durabat spes novella ultra octiduum, abhinc enim Lerna malorum iterum resuscitata, ita tamen ut mingendi conatu ferè continuo urina non cruenta, sed intense rubra & sedimento pituitoso crasso inquinata, guttatim inter exquisitissimos dolores prodiret, donec febre indies aucta, inflammatio vesicæ, & die VI. Februarii Anni M. DCC. XXVI. mors, tot tristium malorum terminus, contingeret LV. ætatis anno.

Funestum huncce mictum cruentum, non tam à vitio renum, quam ab anomalia hæmorrhoidali derivandum esse plane non dubito. Nullus enim furente quam maxime malo circa regionem renalem in Lumbis dolor, nec larga quantitate uno impetu sanguis prodire deprehensus; torquebat potius dolor quidam lancinatorius, cum sensu ardoris & tenesmo ab intestino recto per perinæum collumque vesicæ usque ad glandem penis penetrans, totamque interdum regionem pubis afficiens, & urina admodum frequenti conatu, minori tantum quantitate guttatim stillabat; quin plane cedere visus mictus cruentus natura ad vasa debita secretoria redeunte. Ad hæc per totam vitam nulla calculi signa pathognomica unquam præsto fuere, quamvis persuasu erroneo molimina hæmorrhoidaria ipse passionem nephriticam judicaret.

Certè protensionem venarum hæmorrhoidalium, internarum æque ac externarum, ad vesicam, à celerrimis in arte anatomica & praxi medica viris, dudum assertam esse Academiæ nostræ Ephemerides, & alia scripta publica satis demonstrant.

OBSERVATIO LXV.

DN. D. SAMUELIS GRASSII, Filii.

De

Scirrho Intestinorum.

PUellus à prima nativitate & toto lactationis tempore vegetus & εὔσαρκος, clamosus tamen valde & ad iracundas animi commotiones maximè pronus, nondum completo primo ætatis anno ablactatur. Non multum abhinc dormiebat inquietus, & corpore & animo languens à vivido faciei colore multum dejiciebatur. Siticulosus & appetitu vago afflictus post cibum plerumque pejus habebat, & ad vomitus proclivis erat, alvo ab initio segni, temporis autem progressu admodum lubrica, & cibos crudos vix ingestos inanimadvertenter utplurimum egerente. Respiratio semper impedita. Adhæc turgebat abdomen tumore indies adaucto, & calor præternaturalis circa vesperam quotidie intendebatur. Symptomata hæc successive ita exacerbata, ut misellus æstu verè hectico correptus, & cum maxima virium prostratione toto corpore emaciatus, tandem tædiosæ vitæ terminum nondum trimulus nanscisceretur. Parentes ingenui & cordati, qui officiis suis tum quoad regimen tum quoad curam nullatenus defuere, de causa hujus atrophiæ & contabescentiæ, obstructione nempe & scirrhescentia glandularum mesaraicarum satis antea edocti, ut certiores animo fierent, nullam malo huic chronico pertinaci medelam superfuisse, inspectioni anatomicæ corpusculum defuncti submisere, qua sollicitè instituta sequentia deprehendebantur.

Externus musculorum habitus undique consumptus erat, ita ut corpus tenelli ossium compagem integumento cutaneo lurido obductam quoad artus & thoracem referret.

Caput reſpectu corporis extenuati grandius, ita tamen ut moles ejus ætatis modulum vix excederet, nec quoad partes internas ullius labis argui poſſet.

Abdomen thoraci proximum turgidum valde & in dextro latere præ ſiniſtro magis elatum.

Cute abdominis remota panniculus adipoſus veſiculas pinguedinales extenuatas, & paucas tantum priſtini habitus pinguioris reliquias, ſparſim oſtendebat, quibus glandulæ ſcirrhoſæ pariter ac ulceroſæ magno numero interſitæ conſpiciebantur, quæ ſinuoſis meandris muſculos penetraverant.

Muſculis, quorum conſiſtentia tenuiſſima, cum peritonæo inciſis, plurimam abdominis ſuperioris partem hepar prægrande inteſtinis incubans replere viſum, colore pallidum, maculis lividis pallorem intercurrentibus. Parenchyma illud diaphragmati non ligamentis, quæ & in ſtatu naturali robuſtiora & plura interdum contingunt, connexum ſed ipſa ſubſtantia concretum erat, & undique indurationibus ſcirrhoſis & ſinuoſis abſceſſibus ſcatebat. Veſicula fellea flacceſcebat, modicam & inſtar lymphæ tenuem bilem continens.

Omentum putredo ita conſumſerat, ut inſtar muci inteſtinis incubaret, colluvie quæ loturam carnis referebat, in abdomine ſtagnando, hancce labem efficiente.

Inteſtinorum mira erat deturpatio, hæc enim hydatidibus, ſcirrhis, abſceſſibus tantopere undique ſcatebant, ut etiam naturalem ſtructuram amiſiſſe cernerentur, & neutrum ab altero cognoſci vel diſtingui poſſet. Glandulas enim meſaraicas & inteſtinales obſtructiones corripuerant, unde illæ contiguæ, & tandem continuæ tumore ſcirrhoſo factæ, unum chaos inconditum referebant, quod nec figuram nec proportionem inteſtinorum ſecundum ſtatum naturalem aſſequebatur, & flatu tubulis immiſſo ſegniter diſtendebatur & tremebat, paſſimque, morante licet aciem cultelli duritie, diſſectum anguſtiores ſinus referebat. Scirrhoſitas hæc inteſtinorum, admodum æqualis erat illi quam in uxore Operarii Leidenſis ſe

 depre-

deprehendiſſe *D. Simon Scholz. Ephemeridum Germanic. Decur. I. anno II. obſervat. LX. pag. 118. refert*, cujus uterus cum abdomine totus ſcirrhoſus repertus eſt, nullo viſcere conſpicuo, qui tumor adeo durus erat, ut cultro quamvis acutiſſimo non niſi vi diſcindi potuerit.

Inteſtini recti ea labes erat, qualem *Ruyſchius obſervationum anatomicarum obſerv. 95. & 96.* duplici ſpecimine refert; ſcilicet ad Sphincterem tendens magna ſcirrhoſitate circum circa obriguerat, ita ut tum ex propria ejus, tum communi inteſtinorum culpa cauſa phyſica in promptu eſſet, unde tanta dejectionum alvi frequentia ortum habuerit.

Ventriculo flatulentiis turgido papyracea conſiſtentia & robur nullum.

Pancreas equidem ſatis cognoſci poterat, interim illud omenti & inteſtinorum calamitas in conſortium traxerat, unde ſucci hujus ſecretio haut felicius ratione præſumi, quam ductus ejus æque ac biliaris exitus in duodeno inveſtigatione aſſequi poterant.

Lien & vaſa urinaria ab integritate ſua vix defecerant, & mirabamur in hiſce partibus colorem ſatis vegetum ſanumque, nec magnitudo renum in vitium verti poterat.

Thorace aperto, glandulam thymi ultra dimidiam ſui partem induratam; pulmones autem quoad dextrum lobum paſſim, quoad ſiniſtrum vero undique vomicis refertos vidimus; quo latere à ſterno ad vertebras usque, valide pleuræ concreti erat.

Cor cum pericardio legitimæ conſtitutionis fuit, contentus autem latex loturæ carnis magis quam ſanguini æquabat.

(Vratislavia Auguſtam Vind. d. 1. Mart. 1727. miſſæ.)

OBSER-

OBSERVATIO LXVI.
DN. D. BENEDICTI GULMANNI.
Inexpectata & funesta Salivatio.

CUm *Cl. Bohnius in Tr. de Offic. Med. cap. 21.* inter alia desiderata etiam optat, ut non tantum exponerentur illa phænomena, quorum effectus laudabiles deprehensi, sed hæc quoque, quorum funesti sive per infortunium, sive errorem contigerint; Sic deesse nolui sequentem casum salivationis funestæ & insperatæ hic communicare. Laboravit sc. virgo, 20. circiter annorum, valde phlegmatici temperamenti, cephalalgia hysterica enormiori, ex mensium suppressione exorta ob chloroseos affectum, quo cum per duos annos fere conflictabatur.

Ordinarius Dn. Medicus optima & adæquata medicamenta ipsi præscribens, exiguum tamen levamen afferre, multo minus affectum in totum expugnare potuit; & quoniam insignem dyscrasiam sanguinis cum viscititate mixtam hoc in subjecto deprehendebat, corrigendi, & magis dissolvendi incidendique causa Mercurium dulcem cum extractis amaris in forma pilularum seq. præscripsit:

℞. Extract. trif. fibr. M. Pil. coch. ℈j.
☿ dulc. gr. xv. c. Ess. trif. fibr.
f. pil. N. xxxii. asperg.
pulv. cinnam. Dentur viii. pro dos.

Harum cum mane octo & vesperi totidem assumesisset, purgabatur κατω mediocriter, statimque salivare incipiebat, & hoc symptoma tam cito ingravescebat, ut noctu diuque valde exin incommodaretur, omnisque somnus & quies turbaretur. Et quamvis ab harum ulteriori usu abstineret, salivatio tamen nullo modo remittebat, quin potius paucis horis ita sæviebat, ut totum os, palatum, isthmumque faucium excoriaret,

coriaret, atque linguam laciniatam quasi redderet. Attoniti parentes hoc infortunio, & misericordia permoti ob insignes dolores filiæ suæ, Dn. Medicum advocant, sciscitantes ex eo, num forsan error sive in præscribendo sive præparando medicamento contigerit ? Hic famam ut defenderet suam, formulam præscriptionis à Pharmacopœo peti jussit, quam *Medico*, sibi in hac necessitate adjuncto, monstravit, & innocentiam hujus effectus ostendit. Suspicio ergo in Pharmacopœum cedebat, injusta v. itidem, cum Mercurius dexterrimè præparatus & deprehensus fuerit. Majori cum fundamento Medici hujus symptomatis causam attribuebant singulari dyscrasiæ sanguinis, humorumque acrimoniæ in hac virgine, cum penes plerosque Medicorum scriptores in confesso sit, generari posse in nobis venena, juxta *Cl. Bohnium l. c. p. 645.* Interim misera hæc luctabatur ferè per 14. dies, & quamvis ipsi revulsionis ergo laxantia, diaphoretica, clysmata &c. interponerentur, tamen instabat semper periculum suffocationis, & cum neque alimentis, neque somno (ob continuam salivationem) refocillari poterat, lipothymia sæpius corripiebatur. Tandem diligenti syringatione & gargarismatibus intermixtis temperantibus decoctis & infusis, analepticisque, ab eventu funesto tunc fuit liberata. Cachectica nihilominus permansit, & quatuor ab hinc septimanis, ascitico affectu illam reddidisse Creatori animam suam audivi.

OBSERVATIO LXVII.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

Aphonia, à Catarrho.

NObilis Virgo 17. annorum ex pluviosa tempestate catarrho per aliquot dies laborans leviori, hypocaustum tene-

tenere ſtrictius fuit obligata, tempus igitur, ut veſpertino tempore ſuavius duceret, nonnullæ conſanguineæ illam viſitarunt, quibus cum ipſa ſatis bene ſe habuit, medias vero inter ſermocinationes ſubito loquela ipſi deficit, magno cum amicarum ſtupore. Medicum itaque absque mora accedere faciunt, qui nobilem virginem aphonam quidem, pulſum vero naturalem, cæterasque circumſtantias nullius conſequentiæ inveniebat, quoniam vero ſeri aliqualem congeſtionem circa nonum par nervorum judicabat, infuſum Thee bibere ordinavit, & mixturam reſolventem diaphoreticam præſcripſit, quibus intra ſpatium paucarum horarum loquela iterum rediit, & leni laxante altero die exhibito, nobilis illa virgo erat reſtituta.

OBSERVATIO LXVIII.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

Ficus ſeu tumor Cilii ſuperioris palpebræ, feliciter curatus absque ſectione.

MAtrona vidua, nunc ſeptuagenaria major, pia & mentis conſtantis, phlegmatici temperamenti, inter alias corporis infirmitates, quas ſenium pergenerare quandoque ſolet, tumorem in medio cilii ſuperioris palpebræ oculi dextri animadvertit, quem pro verruca æſtimans, non multum curabat, indies verò cum increſcere illum videret, chirurgi auxilium implorat, qui eundem marceſcere per aquam mercurialem, ſibi uſitatam brevi temporis intervallo faciebat, & in totum auferebat. Quadriennio elapſo, recruduit hic affectus, & eluſit tam Medici medicamenta, quam Chirurgi, alias in arte periti, fidelem remediorum externorum applicationem, cum ille repente ad magnitudinem pomi Borsdorffiani majoris acceſſerit, ſuaque mole non tantum

oculi pupillam obtexerit, verum etiam insignes dolores capitis induxerit. Rebus in angustiis his constitutis, & tumore semper in deterius vergente secundum faciem externam, male enim olebat, sanguinem interdum stillabat & gangranosus fere apparebat, aliorum Medicorum & Chirurgorum consilium exposcebatur, qui vero unanimiter illud, Noli me tangere, eligebant, & concludebant, nullum esse in hoc subjecto ob ætatem provectam, locum neque ligaturæ neque sectionis, DEO & naturæ esse relinquendum & insistendum jam ordinatis medicamentis exsiccantibus & defensivis.

Hoc cum fuisset factum & continuatum, à domesticis in melius & diligentius observatum, præter omnem spem per summam DEI gratiam res eo cecidit, ut intra 14. dies planè ab hoc gravi & periculoso affectu pia Matrona liberata fuerit.

(*Exhibita d. 8. Mart. 1726.*)

OBSERVATIO LXIX.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

Bini Polypi, cum ingenti lienis tumore & pulmonibus, pleuræ undique adnatis.

VIr quidam 40. & sex annorum Secretarii munere fungens, cum ob mala & infortunia domestica ad furorem usque adigeretur, desperabundus jugulum sibi lato præscindebat cultro, cujus vulnus per asperæ arteriæ caput supra cartilaginem scutiformem transiens, ingenti hiatu, usque ad membranam dictæ arteriæ asperæ, qua œsophago adnascitur, penetraverat. Præterea verò alia abdomini inflixerat vulnera, quorum unum lienis substantiam, ad dimidii ferè digiti altitudinem intrabat: alterum umbilico inflixerat, sed quod

quod panniculum adiposum saltem usque ad musculos penetrabat. Cum vulnere asperæ arteriæ simul læsa erat vena jugularis dextra, cujus apertura aciculæ majoris caput referebat, unde sanguis pedetentim effluens, obitum ejus ad 36. horas differebat. Vulnus in hypochondrio sinistro, propter lienis perforationem insigniorem sanguinis quantitatem effuderat, cui intestina innatabant, scalpello inflictum vulnus, ob sui angustiam statim conciderat, adeo ut in conspectum non veniret, nisi post sectionem, tota pelvis sanguine erat repleta fluido purpureo copioso. Vulnus umbilico inflictum paucum sanguinis emiserat, quo nihilominus umbilicus, musculi circumcirca & panniculus adiposus, veluti sugillati & perfuso & grumefacto sanguine livido nigricante colore apparebant. Aperto abdomine lien ingentis magnitudinis, tam in longitudine, & profunditate, quam latitudine conspiciebatur, atro & plumbeo calore totum hypochondrium sinistrum occupans, quatuor præter propter librarum pondere costis spuriis & diaphragmati undique accretus. Eidem hypochondrio aliud inflixerat vulnus, sed quod ad cartilagines costarum spuriarum terminabatur. Aperto thorace, pulmones ubique pleuræ arcte adnati erant per totam thoracis capacitatem, atro colore & venarum distensione conspicui. Apertis ventriculis cordis duo polypi in utroque unus conspiciebantur, quorum unus in dextro ventriculo oblongo ductu & situ per venam cavam descendentem, usque ad jugulum se extendebat fibris quibusdam cordis columnis musculosis leviter adhærens, intrans quoque arteriam pulmonalem. In sinistro cordis ventriculo polypus majoris, sed rotundæ erat figuræ, magnitudinis instar ovi columbini, columnulis & fasciculis cordis musculosis leviter adhærens, cujus superficiei sanguis grumosus adhærebat. Nimirum febre quartana per anni & dimidii spatium laboraverat, ex cujus sanguine viscido, acido & terreo tumor lienis, ac polypi in Cordis ventriculis ortum duxerant.

OBSERVATIO LXX.

DN.D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

Cœcitas ob contusionem Capitis ad parietem.

HEbræus 34. annorum commorans in Altona prope Hamburgum, cœlebs, ab infantili ætate visus debilitate laborans, ita ut sinister oculus ad visionem plane ineptus & cœcus redditus fuerit, cum suffusione & limpiditate aquosa, interne in oculo apparente, adeo ut nec unquam spem habuerit ad visionem huic oculo recuperandam. Hic cum adolevisset, voluptatibus imprimis venereis deditus hujus castra strenue coluit. Pater ejus talia rescifcens, omnem occasionem ipsi eripuit, quo minus affectibus suis indulgeret. Ille, animadvertens omni occasione, ad voluptatem suam explendam, sese excludi & privari, insaniens veluti caput ad parietem allidit; ita ut sanguis ex dextri oculi cantho adhuc sani eruperit; oculus hic quoque post allisionem successu temporis occæcatur, adeo ut objecta recta linea ante oculum posita videre non possit; si verò objectum ad oculi latera oblique repræsentatur, obscure illud videt; oculus clarus est & pellucidus, neque quicquam præternatulalis in eo conspicitur. Cum varia & varios jam in consilium attribuisset, nervinis, balsamicis, spirituosis & discutientibus à Medico præsenti rationali administratis, eo curatio processit, ut per intervalla aliquot dierum videre & oculo objecta dignoscere potuerit; sed cum impatiens esset neque diætæ regimen servaret, huic Medico valedicens, alios duos in consilium adhibet, qui vesicatoria imponentes oculo, adeo ut oculus ad ovi anserini magnitudinem extra oculi orbitam promineret, cum effluxu insignis materiæ purulentæ quantitate, causarunt materiam purulen-

tam

tam & putridam, hac via & methodo ex oculo extrahi debere. Ante uſum balſamicorum & diſcutientium remediorum hæc oculi curatio ab alio Medico per mercurialia, ſed absque ſucceſſu jam tentata fuerat: ſed quantum diſtant curæ Empyricorum à rationalibus! quid porro oculo evenerit non conſtat, ſine dubio exeſus fuit & conſumptus à remediis cathereticis; ſi non totus ex orbita ſua ob tumorem cauſatum, prolapſus fuerit.

OBSERVATIO LXXI.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

Angina cum ſubſequente febre purpurata, & inflammatione renum.

VIr quadraginta annorum Med. Doct. & Practicus, ob divitias laute vivens; certas ob cauſas excandeſcens, cum tempore autumnali circa veſperam nocte ingruente, circa Rheni ripas verſaretur, quem trajicere volens, naucleros, ex altera fluminis ripa morantes, vociferando ad Rhenum trajiciendum, vocaſſet ad ægrum inviſendum: ſequenti vel altera die laſſitudinem corporis, cum inflammatione faucium, animo conturbato, calorem totius corporis ſentit; ſibi vero ob conturbatam mentem non amplius fidens, quarto poſt invaſionem die, me accerſiri curavit; ubi æger in lecto decumbens, animo ſibi utcunque conſtante, conquerebatur de faucium ardore & inflammatione, qua antehac diverſis temporibus & intervallis ſæpius infeſtabatur, cum purpura rubra tandem ſuperveniente, & morbum terminante, rubedine oculorum ferè continuo laborans, qua de cauſa ante binos annos, fonticulum ſiniſtro brachio inuſſerat; cum ſiti, inquietudine, pulſu concitato molli; quandoque forti

ſpaſmodico, æquali tamen, niſi quod poſt applicationem veſicatorii, & clyſteris ſemel intermitteret. Reſpiratio erat libera, dolor capitis & nuchæ in dextra capitis regione vehemens, cum ſpasmodica maxillæ inferioris ſtrictura & convulſione, qui tamen remittebat, poſt uſum ſudoriferorum & gargariſmatis. Præſcripſimus gargariſma ex herbis abſtergentibus, reſolventibus & emollientibus, cum mixtura diaphoretica & ptiſana ex aquis ſudoriferis, Raſura C. C. additis nitratis, unde quidem large ſudabat ſed ſudorem viſcidum. In uſu remediorum dictorum per aliquot dies perſeverans inflammatio, quæ præcipue muſculos œſophagæos occupaverat, glandulasque tonſillares, unde exterius intumeſcebant, inflammatio faucium ad ſuppurationem vergebat, unde paucum exſcreabat pus, urina turbida evadente, cum ſedimento craſſo & lateritio ſic ſatis bene ſe habente ægro, ſudore tamen viſcido, attamen calido continuante, ſuccedebat purpura rubra perſeverante febre continua, adeo ut totum corpus, exceptis cruribus & pedibus, caput verò ingenti veſicularum numero infeſtaretur, cute corporis rubicundiſſima, veluti urticis cæſa apparente. Sed cum præterea ſpaſmis & tenſionibus podagricis & quandoque dolore in pollice pedis dextro afficeretur, ubi veluti ſpaſmi exploſivi conjuncti erant, cogitatio ipſi adrepebat, de podagra figenda & derivanda ad pedes quaſi eo trahi poſſet remediis. Cumque fortè alius Medicus ipſum inviſeret, hic commendabat & urgebat veſicatorium ſuris applicandum, quod tamen ipſi ægro, cum mentionem coram me injiceret, ſummopere diſſuadebam, oſtendens incommoda, convulſiones & ſpasmos inde ſecuturos eſſe: Alter verò Medicus cum quo clandeſtinum conſilium me inſcio inierat, cum mentem ſuam de derivatione podagræ ægro expoſuiſſet, perſuaſit eum ex prælectione cujusdam Autoris talem derivationem & fixationem doloris podagrici poſſibilem eſſe. Præſcripſit igitur me inſcio veſicatorium ſatis largum ex Cantharidibus ſuris applicandum.

dum. Ad utrasque igitur suras emplastra vesicatoria applicantur satis ampla; sed mox subsequitur nox inquieta insomniis turbulenta, imaginibus variis in somno sibi obversantibus, fauciumque ardor summus & sitis quæ antea remiserat, redibat, ardor quoque renum & vesicæ accedebat, urina vero flammea rubicundissima, remittens à prægressa critica turbatione & evacuatione. Urinam inspiciens, nescius unde mutatio ista proveniret, tandem confitebatur æger, vesicatorium applicatum esse & quidem ex cantharidibus; quo percepto indignans, cum hæc me inscio facta essent; prædixi turbationem criseos, quæ si denuo non appareret in urina, actum esse de ejus salute: scil. inflammatio non solum renum & vesicæ à sale acri corrosivo & caustico cantharidum, sed ipsa sitis & ardor faucium non restinguendus erat, uti nec inflammatio renum & vesicæ, copioso licet ptisanæ potu, & emulsionibus temperantibus cum nitratis adhibitis. Urina quandoque tenuis, quandoque saturatè rubra, quandoque jumentorum similis apparebat sedimento furfuraceo; nec sudor tam copiose amplius erumpebat; oculi lachrimabundi erant, ac levis præterea commotio ad hæmorrhoides cœcas; Cum verò alvus per aliquot dies non respondisset, poscente ægro clysterem emollientem fœces succedebant nigricantes, partim duræ, partim fluidæ fœtidæ, cum aliquot alvi laxationibus, unde purpura disparebat, & sudor difficulter erumpebat, perseverante pulsu convulsivo calor totius corporis adurens & acris succedebat, tandem tendinum subsultus cum tremore, quem excipientes convulsiones universales horrendæ cum clamore & anxietate, ut â quatuor robustis viris vix contineri posset, tandem expiravit. Scrotum sphacelatum observabatur post mortem stillante continuo urina per urethram, tumor occupabat crus dextrum ut & caput & brachium sinistrum insigniter: Vesicatorium vero altè penetraverat crus dextrum, in sinistro verò cutem saltem exusserat, unde illud pus viscidum copiosum excernebatur

hac

hoc vero nullum temperantibus & diaphoreticis omnibus irritis.

OBSERVATIO LXXII.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

Germinatio vegetabilium in vegetabili.

SUcco nutriri mobili & circulum ob eunte plantarum & vegetabilium omnes ſpecies, penes phyſices gnaros, in confeſſo non ſolum eſt; ſed & idem aperte ſatis demonſtrarunt curioſiſſimi rerum naturalium indagatores, *Mapighius*, *Grevv*, aliique: atque adeo vitam vivere plantas in circulo humorum conſiſtente, æque ac animalium multiplices ſpecies. Ex oculis partes vegetabilium naſci & progerminare, omniumque partium delineationem in eorum gemmis exiſtere evicerunt *Agricola*, *Leuvvenhæck*, aliique; adeo ut nulla ſit planta quæ ova ſua non geſtet, ſive in radice, ſive in ſemine ex floribus prodeunte, ſive denique in ramis & truncis. Nihil vero adeo ſubit admirationem magis, unam plantæ ſpeciem in alia naſci, germinare & adoleſcere cum diverſum ſuccum requirant eæ, quæ in aliis naſcuntur & germinant; ſed facile ceſſabit mirari, qui conſideraverit diverſum ſitum fibrarum & tubulorum differentiam inde ortam unicam diverſæ hujus nutritionis & vegetationis eſſe cauſam. Ita contigit, ut ſambucus in ceraſo (*orange*-Kirſch) germinaret, ac inter craſſiſſimos ejus ramos adoleſceret. Ut Ribium frutex creſceret in ſalice, baccas maturas rubras præferens, ut ſolanum vulgare in eadem ſalice proveniens, ſui ſpeciem ligneſcentibus ejus ramis referret. Harum ſemina ſcil. caſu eo delata, ac intra corticum rimas abſcondita, levi terra adſperſa accedente pluvia germinare cœperant, ac radices ex ſemine

mine protrusas intra fibrarum corticum arborum scil. quibus innatæ erant, interstitia sese insinuasse, ac ex succo corticem cerasi & salicis transeunte, & per eum circulante, nutrimentum hausisse & incrementum, ut adeo succus in cerasi & salicis cortice circulans aliam plane texturam in fibris radicum & ribium, ut & solani adsumserit à priori diversum, quo ipso vegetatio harum fuit promota, aliam & diversam mixtionem & texturam sumente succo ex ceraso vel salice pressione aëris in poros & radices sambuci, ribium & solani producta & intrusa. De polypodio in corylo crescente, in quercu, in pomo, aliisque arboribus, res nota satis est, ubi & de musco ramis arborum adhærente, de plantis & musco in lapidibus crescentibus, & quorum poris, angustis licet, succum alibilem hauriunt. Dicta iconismi TAB. III. & IV. confirmant; quorum primus denotat cerasum, in quo crescit sambucus. Alter salicem exhibet, in qua crescit frutex ribis, cum baccis maturus, ut & solanum vulgare, cujus trunci lignescentem induerant duritiem, cum alias, ut in viis crescit, caulis herbaceus & mollis observatur.

(*Duisburgo August. Vind. d. 15. Mart. A. 1727. missæ.*)

OBSERVATIO LXXIII.

DN. JOH. GABR. DOPPELMAIERI.

Circa Trigonometriam Sphæricam.

EX Mathematicis & illa merito in pretio habenda est scientia, quæ Trigonometriæ nomine insignitur, & in planam sphæricamque dividitur, hac enim quivis, si Arithmetica & Geometria quoque instructus, tanquam aliis ad sublimiora Mathematum in suis fere omnibus disciplinis occurrentia evehetur. Cum verò pro his sphærica præcipuè

magnum problematum cumulum, & quidem maxime in Astronomia, Sinuum & Tangentium tantùm subsidio resolvere docent, nec vero numerum definitum, quot modis & quodcunque latus & quivis angulus obliquus tam in rectangulis quam obliquangulis Triangulis elici possit, exhibeat, interim è re omnino sit, ut sæpius Problematum operationes pro rei veritate magis stabilienda, instituantur per omnes, quot dari possunt casus, hic intimius perpensis tandem observatio notatu digna sese obtulit, nempe præsuppositis tanquam notis, in Triangulis sphæricis rectangulis unumquodque tam trium laterum, quam duorum angulorum obliquorum sex modis hinc quinque quæsita per 30. casus; in sphæricis obliquangulis autem, quodvis trium laterum & trium angulorum pluribus modis & quidem decem, hinc omnia hac quærenda per 60. casus & sic in universum omnia Problemata per hanc Doctrinam solubilia per 90. casus deduci posse, quod in Trigonometriæ sphæricæ emolumentum & veritatis indagandæ, subsidium magnum monendum esse omnino duxi.

OBSERVATIO LXXIV.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Ebrietate à clystere ex vino generoso confecto.

FAber quidam murarius, ætatis annorum 52. mense Octobris Anni 1725. tertiana febri correptus cum summa alvi suppressione, unde oportuit advocare barbitonsorem, qui clysterem injiceret, quod ut celeriter fieret, barbitonsor vinum solummodo afferri jussit, quod calefactum in ventrem intrusit, & paulo post calore in capite exorto, mox vertigo & ebrietas successit, ut multa ridicula & inconcinna loque-

loqueretur; sed lassus, & somno sepultus usque in sequentem diem obdormiit, ac copiose sudavit. Expergefactus transactorum non recordabatur; ast febris plane evanuit. Non autem tales sunt attendendi errores, siquidem possunt febres duplicare.

OBSERVATIO LXXV.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

Apoplexia ex nimio usu pulveris Tabaci.

MIles quidem Romandiolus, in præsidio existens nostræ arcis Ferrariensis, ætatis annorum 32. in abusu tabaci ita deperditus, ut dicere solitus fuerit, se potius absque pane velle vivere, quam tabaco, uncias enim tres quovis die istius pulveris absumebat, verum primo vertiginosus inde factus est, postea apoplecticus, unde mortuus absque sacramentis. Et alterius juvenis recordor, qui ex nimio usu subtilissimi pulveris, vulgo dicti *tabaco* spagnuolo, brevi cœcus factus est & paralyticus, unde postea miseram vitam duxit usque ad annum 60. quo tempore emaciatus obiit.

OBSERVATIO LXXVI.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

Surditas in gravida.

HOnestissimam feminam novi, quæ surditate afficitur, quando utero gerit, terminato autem partu sensim auditum recuperat; cum vero prægnans non est, recte omnia audit, id quod in quatuor gravidationibus ipsi evenit. Sic sacerdos fide dignus mihi narravit, se nosse uxorem cujusdam rustici, quæ quotiescunque gravida erat, non tan-

tum surditate afficiebatur, verum etiam dolore ischiadico & ulcere in crure; ast excluso partu, pristinam recuperabat sanitatem.

(*Ferraria Augustam Vind. d. 25. Maji A. 1727. missa.*)

OBSERVATIO LXXVII.
DN. D. FRANCISCI BüTTNERI.

Pannus oculi feliciter curatus.

Militis cujusdam uxor mense Julii A. 1724. Onoldi apportavit ad me filiolum suum, qui non adhuc trium annorum ætatem compleverat, cujus oculus sinister è variolis nuper perpessis panno magno satis ac periculoso obvolutus erat, adeò ut totum jam obsideret, & nullus amplius misero puerulo ex illo visus relinqueretur, quippe tunicæ adnatæ & corneæ tam intimè ac latè annexus, ut nulla prorsus pupilla conspici potuerit. Mater ideò anxia, (inprimis quia alius quidam Medicus, cujus auxilium prius imploraverat, oculum planè pro incurabili habebat,) in hoc tam ancipiti & ferè desperato casu consilium à me petivit. Ego certam quidem ejus curationem non promittens, spem tamen aliquam superesse putavi, quoniam malum non adhuc inveteratum sed recens erat, & membrana in tenerrima hac ætate nondum indurata mihi videbatur. Hinc suasi, ut ad affluxum humorum impediendum & corpus purgandum singulis septimanis pulverem laxantem ex radicibus jalappæ & iridis florent. ãã cum saccharo ad gratiam mixtum ad duos cultri cuspides puerulo porrigeret, & pro averruncando ac delendo visus diro hoste quotidie aliquoties succum recentem è caule rupto chelidonii majoris oculo instillaret; simul convenientem diætam servare jussi. Mulier hocce consilium meum

meum fidelissimè secuta, sub multis blanditiis ac promissionibus filiolum suum ad assumptionem & tolerantiam horum adegit; eoque Deo benedicente effectum, ut pannus oculi sensim sensimque diminutus fuerit, ac tandem post aliquot menses plane evanuerit, salvo prorsus ac illæso oculo.

(*Onoldo Norimbergam August. d. 18. Mart. A. 1726. missa.*

OBSERVATIO LXXVIII.

DN. D. BENEDICTI GULMANNI.

Insignis Hæmorrhoidarius.

NObile illud viscus Hepar multis antecellere prærogativis reliqua parenchymata, nemo facile mecum ibit in contrarium, considerando illius structuræ singularitatem, connexionis tam ligamentorum quam vasorum particularitatem, usus productique illius nobilitatem, quo sine cor, tanquam omnium organorum nobilissimum munus suum ne quidem feliciter absolvere potest. Exin per se elucescit, quantis & quam innumeris fontibus ærumnis illud sit subjectum, quo nobilior enim pars, eo gravior & periculosior fit suis vicinis in statu præternaturali constituta. Hic loci haud necessarium mihi videtur in causas inquirere, ex multis unicam allegare sufficiet, venam Portæ sc. in medium producens, quæ hypochondriorum inferiorumque partium Regina & Domina non immerito salutari poterit, illa nimirum bene & in statu naturali constituta, reliquæ secretiones hinc dependentes legitimè succedunt, præternaturaliter vero se gerente, quas turbas illam provocare posse neminem latet, ut proin duorum affectuum matrem foecundam ut plurimum pronuntiare non verear, *Passionis* sc. *Hystericæ*, & *Mali Hypochondriaci*, quod cum hæmorrhoidum sæpius

pius est intricatum. Ultimi hujus, affectus sc. hæmorrhoidalis, communicabo historiam, annotatu haud indignam.

Vir Nobilis, conspicuus Mercator, 40. circiter annorum, cholerico-hypochondriaci temperamenti, diætæ in juvenili ætate non adeo adstrictus, per decursum decem annorum fluxum hæmorrhoidalem jam percepit, salutariter vero & absque incommodo (in larga licet quantitate) decurrente, nullius Medici consilio opus se habere existimavit. Sicuti vero hypochondriacis familiare est, ut animi pathematibus valde sint obnoxii, hoc etiam nostro accidebat, ut præprimis cum iracundia & terrore sæpius pugnans occasionem inveniret; constitutio ipsius cholerica facile ipsi bilem movebat ob negotiorum amplitudinem, variique generis hominum consortium, terrorem vero excitabat inter alia grande incendium vicinum, proprio domicilio minas ultimas jactans, ut & vitæ periculum, quod sustinebat in itinere Francofurtensi, ubi Mœnum tempestate ventoque valde agitatum leviori navicula trajecit, hinc est factum ut ex itinere redux insignem hujus affectus perpessus fuerit paroxismum, ita ut intra spatium octodecim dierum sex mensurarum cruoris nobilissimi habuerit jacturam, non obstantibus optimis medicamentis à Domino Medico præscriptis; indefesso tamen usu illorum & continuatis pulveribus temperantibus, Nitratis & Cinnabarinis, paucis intermixtis adstringentibus cum adjuncta diæta gelatinosa, expugnatus fuit, ut nundinas Bolzanas, tunc temporis proximas adire voluerit; his feliciter absolutis, patriosque lares revisens, incidit quasi in scyllam hujus mali; negotiis enim obrutus, itinere, solisque æstu defatigatus, sanguinis turgescentiam, cardialgiam, capitis dolorem, cum mox insequente fluxu persentiscebat, medicamenta in priori paroxysmo adprobata reiterabantur, absque tamen levamine, fortiora idcirco ordinabant D.D. Medici, pilulas sc. ex extract. catech. tormentill. Cort. Cascarill. Croco Martis adstr. in super & Pulv. Stom. Birckm. quibus iterum domatus

tus fuit dirus hic affectus amissis septem mensuris sanguinis intra spatium trium septimanarum. Totus nunc emaciatus & quasi exanimatus Dn. Patiens ob tantum dispendium humoris nobilissimi, opus habuit, ut reficeretur, quod aliter fieri non poterat quam per juscula gelatinoso-alimentosa, quoniam ventriculus, uti facile judicatu, munus suum rite perfungi non potis erat, hoc modo vero sese recolligebat, appetitus, somnus, vires & calor naturalis redibant, ut negotiis suis paululum præesse potuerit, usque ad finem ultimi mensis ejusdem anni, qui erat 1720. ubi recidivam non minus funestam experiri debuit, quæ eo periculosior apparebat, cum paulo ante vix evaserit, nihilominus ejus ætas consistens, & natura extra hunc casum robusta, quæ omnia tam solida quam liquida in succum & sanguinem ipsi vertere assolet, superavit etiam hunc gravem accessum, postquam intra mensis decursum amisisset quinque mensuras balsami vitalis, & sic transegit misere hunc annum in hypocausto, suaque negotia aliis committere amicis fuit coactus. Annus insequens 1721. non minus ipsi erat fatalis, quanquam enim D.D. Medici præservationis ergo venæsectionem revulsoriam in brachio circa æquinoctia instituerint, & optima mandata adhibuerint, prohibere tamen non poterant quatuor graves paroxysmos, quorum ultimus, qui die 27. Novembr. superveniebat, animam ipsi fere eripuisset; placuit tamen Propitio Numini benedicere sequenti emulsioni ex sem. 4. frigid. maj. Papav. & ▽ Borrag. plantag. Cinnamom. Cydon. additis Corall. r. ppt. Unicorn. ver. dent. hippopotami, ⦶tro & Julep. ros. ut insignis orgasmus cicurari, & Dn. Patiens charissimæ suæ Familiæ conservari potuerit, post 23. mensurarum jacturam optimi sanguinis hoc in anno. Valetudinarius sic vixit per totum annum, viresque vix recuperare potuit, strictissima etiam observata diæta secundum omnes VI. res non naturales, & præprimis ipsi erat necessarium evitare aeris inclementiam, corporis animique commotionem, à quorum levis-

levissimo excessu statim se affici persentiscebat. Sicuti hoc Anno 1722. evenit, ubi iterum quinquies à sævo hoc symptomate exercebatur, & in eodem dispendium viginti mensurarum humoris purpurei ferebat, mirandum est sanè, hominem superare posse tam enormem profusionem sanguinis, & non recordor legisse majorem, multnm enim excedit illam hæmorrhagiam vulneris thoracici, juvenis illius studiosi, cujus *Cl. Pechlinus* mentionem facit in illius Ephemeride. Sed nihil novi, quod natura in conservatione certorum subjectorum prodigiosa & monstrosa quasi producere soleat, & dantur proprietates hominum, sine quorum notitia non facile quicquam in futurum præsagiri potest, juxta Celsum. cap. 2. p. m. 49. Nemo certè credidisset, Dominum Patientem, viribus penitus exhaustum, per unum saltem annum superstitem esse possĕ, nihilominus per DEI gratiam ad hunc usque diem vivit; post ultimum enim paroxysmum, in quo Pulvis, ex Corall. r. ppt. margaritt. ♃ro ppto, Unicorn. ver. & Croco Martis adstr. optatissimum effectum edebat) affectus sensim sensimque imminuere cœpit, ita ut Anno 1723. octo tantum mensuras, Anno 1724. totidem. A. 1725. septem. A. 1726. 4. & dimidiam amiserit.

Hoc in anno conamina aliquot & accessus est expertus, qui vero salutariter semper decurrunt, & pulveribus temperantibus, ♃tis, ♄nis & stomachicis facile obediunt. Sic DEO benedicente, talem in statum est restitutus Dn. Patiens, ut non solum negotiis suis (itineribus exceptis) præesse, verum etiam in publicum pro lubitu prodire valeat.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIX.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

Exanthemata maligna arthritidi vagæ supervenientia.

FEmina 48. annorum, constitutionis cholerico-scorbuticæ, jam per duos annos ob mensium irregularitatem & naturalem emansionem ægre se habuit. Varia medicamenta pro rerum necessitate, VSne præcedente revulsoria, fuere præscripta, modo cum, modo absque levamine. Ante aliquot septimanas corripitur Arthritide vaga scorbutica, cum quo affectu, qui nunc superiora, nunc inferiora infestabat, per 20. dies pugnavit, medicamentis vero diaphoreticis, ♁tis & præcipitantibus, cum interpositis laxantibus, liberata fuit ab eodem. Sed quæ nunc in salvo esse credebatur, morti erat proxima. Vix enim 24. horis præterlapsis observabant adstantes exanthemata in dorso, his superveniebant anxietas præcordiorum, membrorum lassitudo, diarrhœa & urinæ diabeticæ. Medicus accersitus, statim vitæ periculum prævidens adprobata præscripsit alexipharmaca, vesicatoria applicare jussit, & optima analeptica subordinavit, sed frustra. Vires enim à priori morbo jam consumtæ & tonus omnium secretionum debilitatus obsistebant, ut nullus sudor vel mador provocari, neque guttula vesicatoriorum excitari potuerit, consequenter mors naturam vincere debuerit.

OBSERVATIO LXXX.
DN. D. BENEDICTI GULLMANNI,
Hydrops Ovarii ſiniſtri.

RArioribus morbis, qui genus humanum nonnunquam affligere ſolent, non immerito annumeratur *Hydrops Ovarii.* Hunc per multos annos usque ad vitæ finem perferre debuit Virgo triginta & quod excedit annorum. Hæc alias robuſta & ſana, optimi temperamenti, in laboribus ſuis domeſticis occupata, poſt extenſionem brachiorum & aliqualem niſum in altum (ſecundum ipſius propriam relationem) ſonum l. crepitum potius audivit in abdomine, hinc perterrefacta alterationem aliqualem percepit, bene tamen noctu dormivit, & altero mane negotiis iterum ſuis conſuetis præfuit, verum elapſis aliquot diebus, ventris tumorem animadvertit, quem etiam quotidie increſcere deprehendit; varia domeſtica, ut plerumque fieri ſolet, in uſum vocat absque emolumento, tandem Medici auxilium implorat qui medicamenta reſolventia, tonica, laxantia ut & balnea ordinavit, quæ vero loco auxilii, contrarium potius relinquebant, & ventri augmentum ne hilum impediebant, ita ut ipſe cogeretur ab omnibus medicamentis deſiſtere, & quoniam virgo alias gaudebat ſanitate integra, nam menſtrua erant regularia, appetitus, ſomnus &c. vigebant, Medico ſuo valedixit, & nulla medicamina aſſumſit, præter pilulas laxantes ipſi conſuetas ob obſtructiones interdum ſupervenientes. Sic per 15. annos circumtulit hanc molem & in publicum prodiit absque notabili incommodo, licet juraſſes gravidam potius quam Virginem eam eſſe. Ultimis duobus annis ante mortem leipothymiis ſæpius fuit correpta & moles, quæ ad genua usque pendebat, difficilem reſpirationem excitavit, & in ambulatione impedivit. Ex motus defectu pejus ſeſe indies habuit

habuit, lectumque tenere ſæpius debuit tandem tuſſis ſicca & febris lenta acceſſit, quæ virginem afflictam per placidam mortem ab omni malo & mole liberavit. Sequitur

Cadaveris Anatome.

Viſui ſtatim ſe offerebat ſtupenda moles abdominis, undiquaque dura inſtar lapidis, in circumferentia duarum ulnarum. Cute remota, corpus globoſum ſeſe ſiſtabat, quod Chirurgus cum cultro Anatomico niſu ſat vehementi vix penetrare potuit, inciſione tamen facta, ichor ſeroſus, brunno-lividus absque tamen fœtore profluebat in quantitate ſex menſurarum. In illius cavitate, nihil, præter reliquiæ iſtius materiæ cum ſanguine grumoſo mixtæ, inveniebantur, in ſiniſtro latere nullum ovarium. Cætera viſcera erant ſana & naturalia. Moles exempta ponderabat 24. libras.

(*Exhibitæ d. 12. Aug. 1727.*)

OBSERVATIO LXXXI.

DN. D. CONRADI GRAFFII.

Hernia varicoſo- humoroſa ex anomalis hæmorrhoidum internarum motibus orta & ſuccedente illarum fluxu, nec non conveniente adhibita medela brevi, in Nobili quodam, quinquaginta plus minus annorum, antea hernia inteſtinali ejusdem lateris adflicto, feliciter curata.

NObilis quidam quinquaginta plus minus annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, hernia inteſtinali per aliquot annos affectus, corripitur die 19. Aprilis 1725. media nocte, cum paululum dormierit, dolore ac tumore ſcroti lateris ſiniſtri, (quod latus alias hernia inteſtinali af-

fectum) insigni, duos viri robusti pugnos æquante, cum torminibus ventris & spasticis, crurum motibus vehementibus, quibus motus febrilis cum rigore, calore ac siti intensa accedebat per noctem ac multum diem continuans, quæ omnia tandem die 20. Aprilis, horis pomeridianis fluxus alvi cruentus, per aliquot dies cum fæcum alvinarum excretione continuus, subsequutus, ex quo tempore statim omnia symptomata, tumore scroti excepto, qui tamen indolens factus, remiserunt. Chirurgus hac de caussa vocatus, malum pro hernia intestinali incarcerata agnoscens, varia ligamenta, emplastra & cataplasmata, per tres septimanas applicat, ast incassum, tumor enim persistebat idem sine ulla diminutione. Cæterum patiens viribus & appetitu valens in hypocausto sine incommodo quodam, excepto ponderis & gravitatis sensu, ambulabat.

Die 19. Maji ego accersitus tumorem & singulas circumstantias explorans, morbum pro hernia intestinali judicare vetuit tumor indolens, defectus consuetorum symptomatum, immo quod tumor fotibus calidis & aliis relaxantibus per tres hebdomadas abhibitis ne minimum quidem cessit; sed potius eundem pro hernia varicoso-humorosa, sive tumore varicoso-humoroso ex anomalis hæmorrhoidum motibus orto, judicavi, in hanc sententiam motus, quod accedente hæmorrhoidum fluxu dolores spastico - constrictorii, una cum motibus febrilibus in totum remiserunt & tumor fotibus ac emplastris emollientibus minimum cessit. Suasi hanc obrem derivandi & roborandi fine, interne rhabarb. diuretico-tonica & externe roborantia, quibus in usum tractis, brevi tumor evanuit, & æger sanitati feliciter restitutus.

Hisce edocemur, hæmorrhoidum motus irregulares, præter varia mala etiam tumores herniosos gravissime dolentes, per consensum excitare posse, quos utut illarum fluxu indolentes fiant, minime emollientibus & relaxantibus effluxum humorum majorem promoventibus, sanare decet, sed

ex-

expedit derivantibus, discutientibus & roborantibus, partibus robur & liquidis viam parare naturæ consuetam. Multum itaque juvat in praxi, quoad fieri potest, per signa cuivis malo propria, morbum cognoscere, & caussam ejus rimari curatius, quo facto medela adhiberi potest modo haud infelici.

OBSERVATIO LXXXII.

DN. D. CONRADI GRAFFII.

De

Motibus spastico-congestorio-febrilibus, ex neglecto regimine in Asthma spastico-periodicum desinentibus, in Comite quodam Illustrissimo, methodo conveniente, successu felici, sublatis.

ILLustrissimus quidam Imperii Comes, triginta circiter annorum, temperamenti sanguinei, habitus corporis succulenti & floridi, vi temperamenti ac hæreditariæ dispositionis, (cum Illustrissimus ejus Parens, cujus mores non minus quam os vultumque refert, abscessu pulmonum cum hectico-ascitico habitu pie sit defunctus) ad sanguineas & catarrhales pectoris fauciumque congestiones pronus; ante tres annos asperrima hieme, tempestate existente frigidissima, quum per aliquot dies venando corpus frigori exposuerit, motibus circa pectus, præcipue ejus latus sinistrum, congestorio-inflammatoriis cum febre continua correptus, conveniente adhibita medicina, (relicta ad tempus spastica partis adfectæ dolorifica sensatione, ex motu animi & corporis aucta, iterata vero scarificatione & venæsectione nec non acidularum Sualbacensium usu etiam penitus discussa) ad salutem reductus.

Anno 1726. Januario mense, tempestate gelida ventosa & nivea existente, traha per nivem vectus, iter Hanoviam faciens,

ciens, ibique triduum per urbem traha vehendo nec non saltando se exercens, iterum cum extremorum frigore, dolorem pectoris gravativum spasticum & anxium cum palpitatione cordis & sputo cruento experitur, qui adhibita scarificatione & decenti regimine extemplo mitior factus insuper hunc excipiebat diarrhœa per octiduum durans, quæ ultimo tantæ vehementiæ, ut horæ spatio quinquies plus minusve, cum atrocibus ventris torminibus, virium languore & tenesmo, alvum exonerare ipsi necesse fuerit. Opponebantur hisce symptomatibus transpirationem insensibilem leniter promoventia, temperantia, & roborantia successu felici, ut aliquot diebus circumactis, alvo secundum naturæ ordinem succedente, appetitu & viribus vigentibus, Deo auxiliante morbo explicitus. Quum vero intensissimum adhuc duraret frigus, Francofurtum iter instituens, faucium & tonsillarum tumore inflammatorio cum uvulæ laxitate, pectoris angustia, cordis palpitatione, dolore lateris sinistro, ex integro corripitur, quibus tamen, tumore in abscessum abeunte, spatio 14. dierum, excepta uvulæ laxitate vespertinis horis ingruente, in tantum liberatus, ut domum reverti potuerit, ubi laxante utitur & sanguinis missionem è vena pedis fieri curat. Quod vero regimen conveniens ei præscriptum neglexit & corpus pedesve frigori exposuit, tertio post venæsectionem die, circa primam noctis horam sub sensu horripilationis ac pedum frigore, asthmate gravi implicatur, cum cordis motu inæquali ac tremulo, pectoris ac lateris sinistri dolore oppressorio, uvulæ ejusque ligamentorum descensu & laxitate insigni, atque sensu dolorifico tendente, quod vernacula exprimebat: (Es drucke auf beyden Seiten den Hals, als ob was da stockte, und still stehen bleiben wollte, und wollte ihm bey dem Schlingen der Athem still stehen) quod me judice ex congestis atque ob harum partium atoniam & laxitatem paralyticam quasi impeditius circulantibus humoribus natum paroxysmus matutinis horis, quibus somnus parum reficiens & sudor

sudor accedebant, remanente aliqua præcordiorum anxietate & virium debilitate quidem remittebat, sub vesperam autem cum frigore & constrictione extremorum, tussicula, quadam raucedine, narium obstructione gravedinosa, palpebrarum laxitate, sudore faciei frigido, respiratione suspiriosa, cordis palpitatione, pectoris in specie lateris sinistri oppressione & dolore tremulo &c. iterum affligens, versus primam noctis horam gravissime, matutinis horis cum somno & sudore finiebatur. Acerrimus hic sanitatis hostis è medio ut tolleretur in usum vocabantur, revulsionis ergo, pilulæ Becherianæ correctæ, Clysteres, frictiones pediluvia, & vesicatoria, mane decoctum, Theæ in forma, ex herb. scord. flor. prim. veris, rad. pimpinellæ & sem. fœniculi parat. cum Ess. alexiph. temperata, item spiritu C. C. vel mixtura tonica; pomeridianis horis pulvis ex lap. Cancr. acido citri sat. Antim. diaph. &c. cum speciebus pro potu Theæ superius nominatis. Omnium optime, præmissis auxiliis revulsoriis, paroxysmum mitigando & arcendo, contulit mixtura tonica interno usu in decocto rheiformi usurpata, essentia pimpinellæ in gargarismate, externe collo & pectori adplicatis sacculis ex rorism. serpill. hyssop. Chamomill. origan. & floribus lavendulæ. Horum medicamentorum usu paroxysmus spatio X. dierum sublatus. Quoniam versus vesperam aquilone flante semper levis quædam observata mutatio, & lassitudines & inquietudines membrorum cum uvulæ laxitate somnum arcebant profundum & quietum, decoctum quoddam aperiens ex rad. aperientibus, Cichorei, pimpinell. sassaparill. sem. fœnicul. &c. cum mixtura tonica matutinis horis continuabatur, interposito usu pilular. Becher. non omissis pediluviis & scarificatione, quibus tandem colophonem imponebat laxans rhabarbarinum cum manna atque Illustrissimus Patiens acidulis postero tempore utendo Seltensibus, cum morbo in gratiam rediens, jam optima fruitur valetudine.

Ex

Ex adductis adparet quantum aëris injuria in subjectis plethoricis ex hæreditario vitio partium solidarum, ad motus spasticos & constrictorios versus partem quandam ex natura debilem, pronioribus, valeat, & qua ratione & methodo sanitas Deo clementissime annuente vindicanda, cui vitæ & sanitatis Auctori sint laudes in infinitum.

(*Giessa Augustam Vind. d. 18. Sept. A. 1727. missa.*)

OBSERVATIO LXXXIII.

DN. D. JOHANNIS ADAMI LIMPRECHTI.

De

Modo extraordinarium conciliandi somnum fluviatili Astaco, qui Latinis autore Gesnero, Cancer perperam, Germanis Fluskrebs vocatur.

JOnstonum in Histor. Natural. de Exanguib. aquat. libr. 2. Tit. 1. p. m. 12. ex Aristot. annotasse: *Crustata ad morem aquatilium dormire,* legi; postea ruricolam quendam narrare audivi: Astaco fluviatili posse induci somnum, ut ita dicam artificialem sequenti modo, extraordinario quidem, facile tamen imitabili. Hujus relationis veritatem cum ego ipse expertus fuerim, cum Curiosis communicare eam non inconveniens existimavi.

Crustatum hoc caudatum mensæ imponatur in extremitatem frontis, quæ acuta & aspera veluti aculeus eminet, ita, ut corpus ejus insistat etiam superficiei chelarum, quarum denticulatæ forcipes reliquo corpori prætentæ & ejus cornua longa in tenuissimos cirros desinentia ad latera utrinque extenta sint. Hoc modo positum, lateribus convexæ caudæ,

dæ, ubi illa inſeritur maximo operculo cruſtato, quod vulgus naſum appellat, ne ſe extollat, digitis ſiniſtræ manus, pollice & indice, teneatur firmiſſime, dum manus dextræ medius à convexitate ſummarum, in quantum per curvaturam fieri licet, caudæ tabellarum ſquamatim ſeſe excipientium, ad regionem usque prominentium oculorum corneorum recta linea deſcendendo, blande ducatur tamdiu, donec animal huic actioni omni conatu reſiſtens, tandem ita remulceatur, ut demiſſis verſus pedes pinnis, in extremitate caudæ conſtitutis, immobile in hac poſitura permaneat.

Noli autem Tibi perſuadere alto illud ſomno jam eſſe ſepultum, ſermunculus enim, imo levis aura efficiet, ut, inſtar hominis inquietati præter omnem ſpem atque expectationem, pedem unum alterumve movere denuo incipit, ſtatim vero, ut digito tuo gratæ palpationis deſcenſum in caudæ tabellis renovabis, ſomnum iterum recuperabit & tandem denique ſonum ſtertentis edet, quem auribus tuis propius admotis accuratè obſervabis.

Hæc docent cum grano ſalis accipienda eſſe verba Jonſtoni c. l. p. 12. quando de cruſtatis ſcribit: *Nullum ſonum vel vocem emittunt.* Stertentem ſi vis excitare aſtacum, digito menſam, cui impoſitus eſt, pulſa, mox partem caudæ ſuæ curvatam eriget, paulo poſt ipſe collabaſcet, deinde pedibus ſe committet & motum ſuum retrogradum ſalvus atque incolumis repetet.

(*Berolino Auguſtam Vind. d. 7. Oct. 1727. miſſa.*)

SCHOLION.

Similia propemodum leguntur in *Annalibus Phyſico-Medicis Nat. Curioſorum Vratislavienſium Tentam. VII. Trimeſtr. hyemalis A. 1719. Artic. II. §. 3. p. 103.*

OBSERVATIO LXXXIV.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De

Rara deglutitionis difficilis causa.

FOemina 62. agens annum, per octo jam annos difficultate deglutiendi laborat, quæ in dies crescit, adeo ut etiam tota marcescat. Causa hujus mali est epiglottis, ossis instar indurata.

OBSERVATIO LXXXV.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De

Insolito sudore colliquativo.

VIrgo 26. annorum sanguineo-melancholici temperamenti vitam sedentariam agens, mensium obstructione pertinaci per 9. menses laboravit, ex qua cardialgia maxima, usque ad intercurrens non raro animi deliquium est affecta, cum sudore nocturno colliquativo, qui mox à media nocte, aut quando præter modum paulo & consuetudinem corpus commovet, incipiebat, & circa scrobiculum saltem cordis se exserebat, ex qua regione stillicidii ad instar sudor copiosissime effluebat, quem simul febris quædam lenta, circa vespertinum tempus augmentam capiens comitabatur. Auxilio fuerunt repetita laxantia, venæsectio in pede instituta, mensium fluxum ordinarium restituentia, tonicis dehinc refrigerantibus & roborantibus, junctis præsertim Spir. nitri dul-

dulcis cum sale volatil. oleos. Sylvii & quandoque essentia ambræ, quam ferre poterat, mixto.

OBSERVATIO LXXXVI.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De *Frequenti & insolita ac diuturna sternutatione ex calcis vivæ vapore.*

Calcis vivæ subtilissimam acrem & corrosivam indolem partibus nervosis admodum inimicam atque altius se insinuantem sat multæ hinc inde observationes testantur, quæ varios spasmos atque constrictiones aliaque ejusmodi pessima symptomata in capite, pectore, alibique notarunt, ut apoplexiam, vertiginem, catarrhum, suffocationem, phthisin, anginam, angustiam præcordiorum, vomitum, vigilias involuntarias, febres lentas &c. uti legere licet præsertim apud *Hippocratem lib. III. epid. ægrot. II. Dioscoridem lib. V. c. 91. & lib. VI. cap. 29. Tulpium lib. III. cap. 4. Ramazzinum de morbis artif. cap. 21.* aliosque plures. De calcis vivæ vapore insolitum alias symptoma in mercenario quodam juvene 23. annorum notavi, qui calci vivæ aquam infudit, ex quo præcordiorum angustia, tussi & sternutatione violenta atque frequentissima tentabatur, quæ per 12. horas sine intermissione fere durabat, adeo ut summe exinde debilitatus esset, & quoties abhinc in sole ambulat aut corpus fortius & ad sudorem usque commovet, sternutatio ad aliquot horas redit, adeo ut solem & labores fortiores, quos mercenarii alias tractare solent, vitare & relinquere coactus fuerit, & sub tecto & hypocausto, lanam carminando & fila trahendo victum quærere.

OBSERVATIO LXXXVII.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

Cæcitas ex calculo.

ANno superiori in Carolinis thermis virum quadragenario majorem offendi, cui ex perpeſſis renalis calculi doloribus ſævisſimis cœcitas contracta eſt. In oculis nulla nota ejusdem apparet, guttam ſerenam adeſſe dixeris, ex conſtrictionibus in abdomine ex motu calculi renalis per conſenſum & communicationem nervorum & per eam delata conſtrictione ad nervos usque opticos eosque ſic peſſime conſtrictos. Quod vitium nullo modo potuit curari, licet innumera per integrum fere annum adhibuerit, ultimum tandem refugium & auxilium à thermis Carolinis, ſed fruſtra quæſivit, quem triſtem eventum ipſi ſtatim prædixi, hoc tamen remedium haud relictum & inexpertum volebat.

OBSERVATIO LXXXVIII.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De

Viſus depravatione in infante ex matre.

PHantaſiam affectus animi, terrorem præſertim, notas & vitia embryonibus imprimere notisſimum eſt. Ex ejusmodi affectuum cenſu, memorabilis admodum ea obſervatio eſt, quam jam proponam.

Infans recens natus fœminini ſexus oculos rubore ſuffuſos tumidos & clauſos per 3. fere menſes monſtrabat. ex quo quan-

quandoque in obscuro loco collocatus eos quidem aperiebat, in illuminatum vero, aut sole aut candelis, deportata oculi mox magis intumescunt & rubent, copiosas lacrymas fundunt, clauduntur ejulatuque dolores indicat, in obscurum iterum locum reposita dicta phænomena leniuntur. Adhibita sunt interne temperantia ex pulvere Marchionis, cum cinnabaris & nitri pauca quantitate non omissis interdum laxantibus; quam externa ex discutientibus & lenientibus commixta ex lacte materno, pomo cocto cum sacchar/o canto, croco, flor. sambuci lacti incoct. cum pauxillo camphoræ, ex quibus quandoque quidem melius se habuit, functio tamen visus ex asse redingrari vix potuit. Vixit misere sic affectus infans per 2. annos quibus elapsis ex dentitione difficili & epilepsia exstinctus est. Ex marito, & ancilla cognoscere licuit hanc noxam, hunc oculorum affectum sine dubio ex matre in infantem gestationis tempore esse impressum, quoniam percepi matrem gravidam æstivo tempore quotidie & sæpius adeoque nimium speculum radiis solis obversis adspexisse. Ex quo haud dubitanter affirmo nimium splendorem speculi & solis eorumque radios reflexos phantasiamque matris gravidæ in formatione fœtus ipsi quoque malam oculorum conformationem inducere potuisse.

OBSERVATIO LXXXIX.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De

Noxa ex purgantium superadditione.

PEssimum est purgantibus purgantia superaddere, si priora assumta non operentur. Etenim intestina non semper idonea ad motum hunc suscipiendum, & humores non semper sunt in motu & satis præparati, quod exemplo

quodam cognovi in viro quinquagenario majori temperamento ſanguineo-melancholico prædito, qui ab empirico pulverem purgantem accepit devorandum, nullo vero exactis tribus horis ſubſequente effectu, eundem pulverem reiteravit, ex quo ſummis præcordiorum anxietatibus, palpitatione cordis, doloribus ventris, ructibus continuis cum animi deliquio ad inſtar cholicæ ſiccæ peſſime periculoſiſſimeque eſt affectus, ſolo decocto malvæ affatim hauſto reſtitutus, omnia enim reliqua pharmaca ex pharmacopolio petita aut petenda reſpuebat atque prohibebat.

(*Lipſia Norimbergam M. Octobr. A. 1727. miſſa.*)

OBSERVATIO XC.
DN. D. WOLFG. HENRICI SCHREY.
Mors à polypo cordis magno.

DIe 29. Auguſt. 1726. juvenis quidam adulter hic in cuſtodia moriebatur, cujus pes dexter ab adulteræ marito ſuſpicionis furore tacto tres ſeptimanas ante gladio erat perfoſſus. Ingreſſus vulneris ſupra genu trium digitorum transverſalium altitudine, in progreſſu Faſciæ latæ & Poplitæi muſculi conſpiciebatur, quod vulnus per corpora muſculorum femoris aſſurgens in latere interno circa regionem mediam lividi & ſartorii muſculi egrediebatur. Licet vulnus optime curatum quilibet ſpectatorum ab extra ſtatim judicaret, totum tamen corpus ad genuinam mortis cauſam indagandam ſectioni ſubjiciebatur. In abdominis quidem pelvi inteſtinum cœcum & colon præternaturaliter peritonæo adhærebant atque in thoracis ſiniſtra cavitate pulmo circa mediaſtinum pleuræ accretus reſpirationis difficultatem in vivente diſſecto obſervatam manifeſte indicabat, ſed utramque circumſtantiam pro mortis cauſa allegare erat inſufficiens; ſic in demortuo me pulſum tardiorem & ſpirituum languorem

rem ægrotante adhuc obſervaſſe in mentem incidit, & ſtagnatione, ſanguinis in cadavere hinc & inde, præprimis circa thoracis vaſa conſpicuæ præſentis Polypi ſuſpicionem adauxerunt, quem etiam in cordis ventriculo ſiniſtro circa valvulas mitrales firmiter accretum & per cordis auriculam ſiniſtram ad pollicis latitudinem extenſum rite deprehendi, qui vero altera ex parte ad ſpectantium omnium admirationem in cavitate ſuperiore dicti ſiniſtri cordis ventriculi per Aortam ejusque curvaturam ſurgens cum deſcendente Arteria magna inferiora petiit, hinc ſubclavias præteriens finem tandem invenit ubi Aorta in cœliacos abit ramos, ex quo colligendum Polypi longitudinem ad ulnam, craſſitiem vero ad digitum medium acceſſiſſe.

Figura hujus monſtroſæ excreſcentiæ poſtquam hoſpitio fuit exempta, ob longitudinem, craſſitiem, lævem ſuperficiem & circularem rotunditatem ſerpentem majore tamen & inæquali capite ob proceſſum ad cordis ſiniſtram auriculam repræſentabat; tamen hinc & inde pedes vel potius vaſa in glabra ſuperficie occurrebant pro adhæſione nimirum & nutritione damnoſi hujus Polypi. Subſtantia ejus non adeo firma dubium mihi propemodum movit, an judicando Polypum à ſtagnantis ſanguinis gelatina rite diſtinxerim? ſed, & calor in parte ſuperiore pallide rubeſcens, in inferiore nigricans, & fibris longitudinalibus contextum corpus tenui membrana tectum me recte judicaſſe comprobavit; tamen non ita diu Polypum hunc duraſſe arbitror, quia & mollior ſubſtantia contradixit, & nullus in toto corpore tumor aut humor hydropicus obſervatus fuit. Interim cauſam lethalitatis abſolutæ ordinariam non à vulnere, ſed monſtroſo cordis Polypo ortam conſentiens Medicorum ſententia confirmat. Curioſum hoc obſervatum calamo delineari curaſſem, niſi ad judicis mandatum cadaver jamjam putreſcens ſtatim poſt ſectionem ſepultum curioſitati tempus denegaſſet delineandi.

(*Delitio Auguſt. Vind. d. 13. Oct. A. 1727. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XCI.

D. D. HERMANNI WERNERI ENGELBERTI de WESTHOVEN.

De

Rara, & varietate colorum distincta, ex India allata Ave, tribus gaudente pedibus.

BEne *Anaxandrites* apud *Athenæum Dipnosophist. l. 5. c. 27.* ex versione latina *Georgii Franck de Franckenau* τȣ̃ πολυμαθεςάτȣ *Satyr. Medic. p. 606.*

- - *spargere, inquit, in vulgus decet,*
Quicquid novitatem quandam habere cernitur.

Hac etiam de caussa liber parum à laboriosissima, qua ob multitudinem adversa valetudine correptorum huc usque distentus fui, praxi medica sequentem cum Illustrissima Naturæ Curiosorum Academia communico observationem. Mense Februario anni æræ Christianæ 1727. Amstelodami in Spectatissimi, atque Expertissimi Domini *Thomæ Nöllen*, Fautoris & Amici mei omni honore ac caritate complectendi nova officina pharmaceutica ad aureum Angelum *op de Reguliers Breestraet* sita conspexi ex India allatam raram nec non variam plumæ versicoloris avem ut *Propertii versu 32. l. 3. eleg. 13.* utar. Hæc albo, nigro, rubro, luteoque insignita colore, & tribus prædita erat pedibus, uno nempe dextro, ac duobus sinistris perfecte constitutis. Præcipue autem singulari ideo afficiebar admiratione, quod ne ullius quidem unguis defectum animadvertere potuerim.

OBSER-

OBSERVATIO XCII.

D.D. HERMANNI WERNERI ENGELBERTI de WESTHOVEN.

De *Vitulo maculoso trecentorum ferme ponderum, à nativitate oculorum luminibus orbo, nec caudam, nec perforatum anum habente.*

INcrebrescente fama Amstelodami cerni posse monstrum, ut *Maronis Musa l. 3. Æneid. v. 658.* canit,

- - *Informe, ingens, cui lumen ademptum:*

Candaulis illud apud *Herodotum Clio, primo inscripto libro, c. 8.* mihi incidit; τὰ ὦτα τυγχάνει ἀνθρώποισιν ἔοντα ἀπιςότερα τῶν ὀφθαλμῶν. Interim venit etiam in mentem antiquus *Phædri l. 3. fab. 10. vers. 49* senarius:

Nil spernat auris, nec tamen credat statim.

Præterea revocavi in memoriam verba *Sennerti de Consens. & Dissens. Chym. c. 3. p. 27.* non ab hominis auctoritate, & nomine, sed rei evidentia veritas pendet, Pitcarniique in solut. problem. de inventor. p. 92. auctoritati apud medicos nullus debet esse locus. Ut igitur omni liberarer dubitatione, pontem, Ecclesiæ Evangelico-Lutheranæ veteri vicinum adivi, mense Martio anni reparatæ per Christum salutis 1727. ibique naviculam inveni, quam quum conscendissem, monstrum vidi albis ac rubris notatum maculis vituli trecentarum fere librarum die 26. præterlapsi ultimi Novembris cœcis oculis nati, & nulla gaudentis cauda, imperforatumque habentis anum. Quæras hinc forte; an sic non cacare potuit? Sane. At quum fœmineum sexum repræsentaret, lotium, & stercus, per vulvam urgente necessitate reddidit æque, ac vacca ista *Pririnthi* ceu *Aristoteles l. 4. de generat. animal. c. 4.* scri-

ſcribit, olim exiſtens, cujus anus quum clauſus eſſet, excrementa ſicca in flatus convertebantur à natura, & per urinam excernebantur. Similium ferme exemplorum in ipſo genere humano contingentium, mentionem etiam faciunt *Borellus obſervat. rarior. cent. 1. n. 77. Schenckius obſervat. l. 3 fol. 419. Benivenius de abdit. c. 86. Mercurialis l. 1. de morb. puer. c. 9. Jo. Bapt. Denis dans ſes Conferences p. 131.* aliique. Paucis addo, monſtrum illud ad exſaturandos ſpectatorum oculos ex linteo confectis varii coloris laqueis, buxo diverſisque perpetuo virentibus herbis exornatum fuiſſe.

(*Hamma Weſtphal. Auguſtam Vind. Jan. A. 1728. miſſa.*)

OBSERVATIO XCIII.

DN. D. JOH. FRIDERICI BAUERI.

De

Opii mirabili efficacia.

QUod gladius in manu furioſi, id Opium eſt artis imperito. Quotidiana proh dolor! corroborat experientia, quod opiata, cum ab imperita manu propinantur, ſæpius ægrotantium detrimentum accelerent. Contra ſi opiata rite ac circumſpecte adhibentur, præ mille aliis ſeſe commendant, dum non ſolum dolores commulcent, ſed humores circulantes etiam promovent, ita ut propterea ab Experientiſſimis *Ettmüllero & Wedelio* virtus diaphoretica iis tribuatur.

Quoties in mea praxi ægrotantibus opiata exhibui, toties ſum expertus, quod eo largius ſudarint, quo profundius dormiverunt. Sed reliquæ humorum excretiones per pectus videlicet & alvum ab opio non juvantur, potius reprimuntur, quod præter experientiam confirmant *Thomſon Diſſertat. Med. V. Propoſit. 6. & Ephemerid. Nat. Cur. A. IX. & X. Dec. I.*

Licet

Licet αὐτοψία hoc confirmet, tamen contrarium vidi in muliere ſeptuagenaria, in qua opium neque expectorationem, nec alvi lubricitatem impedivit. Mulier hæc à viginti & pluribus annis contumaciſſimis doloribus hyſtericis vexabatur, ita ut contra eos omnis generis remedia ab Experientiſſimis noſtræ civitatis Medicis fruſtra in uſum vocaverit. Tandem quidam Medicus ſuaſit, ut mane quotidie ſpiritum ardentem opiatum, loco vini ardentis, cui erat aſſueta, hauriret, quem ita parare juſſit ut corticum aurantiorum Mj. Opii correcti ℥ß. infunderet ſpiritus vini ℔ß. & quotidie ℥j. potaret. Hoc potu per viginti annos continuato à prædictis doloribus non ſolum liberata ſed ad quævis ſuſcipienda negotia domeſtica multo alacrior & robuſtior reddita eſt. Incidit tandem hæc mulier in orthopnœam, ubi à quodam Medico potus opiatus interdicitur, & alia præſcribuntur remedia bechica. Sed multum defuit, ut vel ullum ægrota habuerit levamen, ut potius morbi ſtatus multo deterior fuerit factus, quare præſcriptorum remediorum pertæſa, meam operam efflagitat, hac adjecta precatione, ut hauſtum ſuum aſſuetum permitterem, cum in hoc potu unice reconvaleſcentiæ ſpem collocaverit, Aſt virium defectus & muci abundantia plane contrarium ſuadebant; interim cum alia præſcripta remedia invite ab ægra adhiberentur, opiatum potum iterum permittebam, quo vix permiſſo, ægram in meliori ſtatu inveniebam, dum mucus copioſe exſpuebatur, alvus, quæ extra opii uſum erat obſtructa, lubrica fiebat, & indies malum imminuebatur, ita ut intra breve tempus fuerit reſtituta.

SCHOLION.

MIrum omnino eſt, quod opium ſingularem & ſuæ naturæ prorſus contrarium edere queat effectum, dum omnes Doctores conſentiunt, quod ab Opiatis ſpirituum intercipiatur influxus, ita ut quævis ſecretionis organa ab ope-

 ratio-

rationibns suis abstrahant. Demonstravit *Celeb. beat. Wedelius L. de Medicamentorum facultatibus. L. II. Sect. II. cap. 13.* & alibi opio virtutem inesse aphrodisiacam, quod pariter confirmant *Ephemerid. Nat. Curiosor. Dec. I & II. Observat. 69.* ubi traditur, quod orientales populi opii usu spiritus excitent, quo tam in Veneris, quam Martis bello animosiores fiant. Si ergo opium cum analeptico adhibetur, spiritus excitat, quemadmodum videmus quod si cum vino generoso sumitur homines garruli & jocosi fiant. Hoc ex fundamento *Schræerus Tr. de Opio*, opiata in quovis fere morbo cum remediis specificis mixta commendat. Quod si ergo ad nostrum recurramus exemplum, hanc mihi concipio causam, quod opium aurantiorum corticibus adjectum, partim spiritus roboret, partim eorum dissolutionem impediat, ita ut in colica flatulenta non minus, quam in orthopnœa, ad organa roboranda idoneum esse possit. Denique consuetudinem hic etiam alteram esse naturam, Turcarum & Persarum docent exempla, ubi notum, quod loco potus generosi opium hauriant, quo ad pugnas animosiores reddantur.


OBSERVATIO XCIV.

DN. D. JOANNI FRIDERICI BAUERI.

Hernia umbilicalis prægrandis Chirurgorum ignorantia pro tumore cystico habita.

VOcabar ante aliquot annos ab incola quodam oppidi propinqui *Rheda* dicti in ditione Illustris DN. de FRIESEN siti, ut ægram ipsius uxorem visitarem, & de morbi statu meum judicium ferrem. Cum advenirem, ægra triginta circiter annorum in sella sedens tremula voce conquerebatur de abdominis stupenda excrescentia, quam sine omni reconvalescentiæ spe à multis annis gestasset, &summa appe-


BRITISH
NATURAL HISTORY


ad Obs XCIV.
pag. 205

appetitus proſtratio, nauſea, anheloſa reſpiratio, cardialgia & recurrentes acerbiſſimi dolores comitarentur. Cauſam hujus mali ægra ultimo laborioſo partus negotio adſcribebat, dum in regione umbilicali doloroſam crepaturam obſervavit, à quo tempore tumor ſenſim ſenſimque increvit. Cum ergo hæc mulier tumorem hunc indies increſcentem obſervaverit, variorum Chirurgorum imploravit medelam, qui vero unanimiter ſunt faſſi, tumorem hunc eſſe exſtirpandum, quam ob cauſam, varia applicarunt cauſtica ut aperiretur. Ocularis inſpectio meam ſuſpicionem, quod Chirurgi ex craſſa ignorantia herniam umbilicalem pro tumore venditaverint, magis confirmabat; ingens enim & ſtupenda moles, quæ extra abdomen ad genua fere propendebat, ſolo attactu dijudicabatur, dum peritonæi fiſſura, quæ ab ipſa ſterni cartilaginis enſiformis extremitate incipiebat, & flatuum incarceratorum fluctuatio in ipſa abdominis excreſcentia, ſola manuum adplicatione percipiebantur. De cætero hæc expanſio non aliter ſe repræſentabat, quam abſceſſus jam ad maturitatem tendens, cum cutis utrobique erat rubra tumefacta, glabra atque nitida, umbilicus vero inferiora verſus retractus, ad pugnæ magnitudinem accedebat, & putredine ac inflammatione erat corruptus, quæ cuncta ſymptomata ab inepta butyri Antimonii & Mercurii ſublimati applicatione dependerunt.

SCHOLIUM.

SIcuti in cunctis reliquis corporis humani affectibus ita etiam in dijudicanda hernia umbilicali ſigna diagnoſtica neceſſario requiruntur. Signa conſiſtunt in expanſione regionis umbilicalis, umbilici prominentia & peritonæi fiſſura, quæ digitorum adplicatione facile poſſunt determinari. Ne vero Medicus aut Chirurgus uno vel altero allegato ſigno contentus, hallucinetur, neceſſarium eſt, ut inſimul in cau-

ſam occaſionalem inquirat, quo certior de morbi eſſentia fiat. De cætero ſigna indicantia non fugitivo oculo ſunt conſideranda, cum facile diverſus morbus eadem facie incedens, pro hoc haberi queat, quare recenſita ſigna conjunctim morbum clariorem reddere debent. Qui regionis umbilicalis expanſionem herniam ſufficienter indicare putant, unius erroris cum illis participes fiunt, qui herniam umbilicalem pro hydrope aut tumore cyſtico venditant. Notum enim eſt, ab extravaſata aqua regionem umbilicalem una cum ventre interdum adeo extendi, ut cum hernia umbilicali quoad formam externam egregie conveniat, quemadmodum hinc & inde ejusmodi hydropis ſaccati diverſa in Ephemeridibus leguntur exempla. Tumorem cyſticum porro abdomen adeo monſtroſe extendere, ut tumor ad genua usque pendulus deprehendatur, *Ephemerides* pariter confirmant *Dec. II. A. VII. p 470.* Quamvis autem abdomen hoc pacto extendatur, nihilominus tamen umbilicus optimum contraindicans ſignum præbet, dum in hoc morbo loco ſuo naturali adeo manifeſte non egreditur, ita, ut ille, qui hunc affectum cum illo confundit ſuæ ignorantiæ luculentum edat argumentum. Signum ab umbilico deſumtum quando videlicet prominet vel ſede ſua naturali egreditur, multo certius herniam indicit; impoſſibile enim eſt, umbilicum, cum adeo arcte cum peritonæo cohæreat, ſine ipſius raptura adeo enormiter ad dimidiæ ulnæ ſpatium, ſicuti in adjecta effigie videre licet, limites ſuas transgredi poſſe. Omnem denique abſolvit paginam tertium ſignum nimirum peritonæi fiſſura, quæ licet ab initio admodum tenuis adhuc ſit, ab extra tamen digitorum ope dijudicari poteſt. Nunquam enim herniam umbilicalem ſine peritonæi ruptura mihi concipere poſſum, dum hujus membranæ ſubſtantia mere nervoſa manifeſtam ejusmodi extenſionem non patitur, quippe quæ ſolummodo muſculoſis partibus competit. Hæc allegata ſigna, ſi in ægrotante ſunt, nec Medicum nec Chirurgum fallere poſſunt, ita ut nullo

modo

modo Chirurgo condonandum ſit, ſi adeo impudenter ferro & igne in corpus humanum graſſatur, & ſigna morbum indicantia plane negligit, ſicuti fecerunt Chirurgi, qui in noſtro caſu herniam pro tumore habuerunt, & ſine dubio miſeram mulierem interfeciſſent, quam tamen, Deo benedicente, intra ſex ſeptimanas ita reſtitui, ut faſcia circumligata ſuis conſuetis negotiis ex voto fungi potuerit. Tanta eſt hujus gentis audacia! hinc illæ lacrimæ. Vid. Fig. in TAB. IV.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Miſeranda ſane fuit illius mulieris conditio, eo magis, quo minus ipſa occultavit aut neglexit tumorem, malum ſonticum, ſed libere inſpiciendum atque curandum Chirurgis obtulit, quorum propterea in dijudicando atque tractando commiſſus error pernicioſus excuſari nullo modo poteſt. Vix majores autem ac frequentiores in foro Medico *fraudes* concipi exiſtimo, quam *circa ventris muliebris tumorem*, non ſolum callide diſſimilando graviditatem, illicitæ Veneris effectum pœnitendum, ſed aliud quicquam illi prætendendo; cujusmodi malitiæ ſuſpectas ideo, ut *ventrem* à peritis perſonis *inſpiciendum* præbeant, merito, vel vi adigit prudens magiſtratus, nulla ratione habita prætextus nimii pudoris, forte pridem clam devorati, ſæpiuſcule vero hallucinantur obſtetrices ipſique Medici, non ſatis cauti, etiam apud feminas in matrimonio viventes, atque matronas, modo hydropem pro graviditate, modo hanc pro illo tumoris cauſſam falſo aſſerentes. Verum de his plura hic diſſerere nihil attinet. Rariora forte ſunt exempla mulierum, *quæ*, præter imprægnationis, in emolumentum quoddam ſuum ſimulatæ caſum, *morboſos ſibi ventris tumores arte confinxerunt*, ad eliciendam à miſericordibus credulisque ſpectatoribus ſtipem. Hujusmodi tamen *fraudulenta vetula*, quamvis poſt mortem demum ſuam *Argentorati* deprehenſa eſt menſe Februar. A. 1728. Hæc ubi adhuc

adhuc in juventute sua, ob ventrem iutumescentem, prægnationis in suspicionem venisset, progressu temporis hinc liberata, continuando prius spectaculum & molestiam tumoris nefario artificio sensim exaggerando in suum commodum, universæ propemodum civitati non solum misericordiam movit, sed etiam per integros 39. annos ita imposuit, ut etiam Chirurgi ac Medici quidam, admiratione maxima tam stupendi tumoris affecti, quodnam ille monstrum in se contineret scire aliquando desiderantes, vix potuerint expectare obitum vetulæ. Hic vero cum tandem evenisset, nihil prodidit præter sepositam in cubiculo sarcinam sive saccum, inveteratis linteaminibus ac pannis fartum, quem dolosa mulier adeo apposite noverat ventri suo alligare, ut stupendum tumorem istum, quem prætextu pudoris, sine periculo vitæ aut mentis alienationis, per inspectionem neutiquam violandi occultavit, per tot annos mentiretur. Totam historiam, cum Apologia quadam Medicorum Argentinensium, erudito schediasmate complexus est Vir Excellentissimus Dn. D. *Jo. Bæclerus.* Nobis autem licitum erit, divulgatam in publicum imaginem vetulæ fraudulentæ, proximo loco ab ista neutiquam simulate tumida, sed mirum quantum herniosa femina, repræsentare, saltem ut contraria juxta se posita magis elucescant. Vid. Tab. V. Fig. 1.

(M. B. V.)

OBSERVATIO XCV.

DN. D. JOHANNIS FRIDERICI BAUERI.

Caries ossium in malo Ischiadico.

Miles gregarius nostræ civitatis Joh. Georg Kutzscher, annos triginta natus, dolores ischiadicos in latere sinistro

TAB. V. ad Obs. XCIV.
pag. 208.

Fig. 1.



ad Obs. XCVII. pag. 218.

Fig. 2




BRITISH
HISTORY

ſtro ſentiebat, quibus in dies increſcentibus, ambulatio primo moleſtior reddita, brevi autem poſt plane impedita eſt. Poſtquam contra hoc malum varia ſed ſine ſucceſſu remedia adhibuit domeſtica, curru demum ſe vehendum curavit ad famoſum quendam agyrtam ruſticum, qui ſubluxationem oſſium pronuncians, non ſolum ſuo more ſatis ruſtico repoſitionem tentavit, verum etiam medicamenta tam externa, quam interna porrexit. Tantum autem abfuit, ut ægrotus vel ullum repererit levamen, ut potius doloribus auctis, & accedente in affecta regione tumore, neque pedibus inſiſtere neque ſedere potuerit. Hæc cum morbi eſſet facies, menſe Octobri à Collegio noſtræ civitatis Eleemoſynario æger Dn.D. Heinichen demandabatur curæ, qui tum externis, tum internis remediis ad humoris diſcuſſionem dolorisque mitigationem intendebat, ſed fruſtra. Intumeſcentia enim indies reddebatur major & dolor atrocior. Qua de re mutato conſilio, ad ſuppurationem promovendam omnes intendebat nervos, ſed omnia in caſſum, doloris enim vehementiæ ſe adjungebant reſpirandi difficultas, agrypnia, delirium.

Interim tumor eo præſertim loco, ubi os femoris cum ſuo cohæret acetabulo in molem accreſcebat non ſolum immenſam, ſed etiam duram ac ſcirrhoſam, usque dum paucos ante mortem dies in quibusdam locis ad tactum mollioribus, maculæ ſubrubræ oborirentur. Verum cum ſumma jam virium proſtratio omnesque mortis imminentis adeſſent prodromi, inciſio merito intermittebatur. Poſt mortem, quæ menſe Decembri ſequebatur, ſectione in loco affecto inſtituta, partes carnoſæ undique ſcirrhoſæ apparebant, quæ varias cavitates & ſinus efformantes, permagnam aquæ ichoroſæ quantitatem fundebant. Hiſce remotis innumera oſſium fragmenta, albedinem naturalem adhuc ſervantia, muſculis ſcirrhoſis quaſi intertexta occurrebant, oſſa enim innominata corroſa & in ſquamulas reſoluta erant, nec quicquam

præter cartilaginem, acetabulum alias investientem, & adhuc caput ossis femoris recipientem, intactam observavimus.

SCHOLION.

QUodsi omnes practicorum codices evolvas, reperies cujuscunque arthritidi causam esse serum acre pro sua acrimoniæ insitæ differentia plus vel minus dolores & symptomata augens. Cuncta ergo symptomata imprimis vero dolorifica sensatio tanto magis augentur, quanto acrioribus spiculis serum illud constat, ita, ut in propatulo sit, cur non solum articulationes, sed vicinæ etiam partes in consensum rapiantur, dum videlicet caustica acrimonia partes tendinosas, musculosas & nervosas cuspidibus suis arrodit & lancinat. Quo mordacior ergo hæc acrimonia est, eo difficilior etiam est medicatio imprimis quando malum est inveteratum. Hocce casu, ubi ipsa ossa corrosa fuerunt, malum penitus fuit incurabile; ita ut mirum non sit, quod sæpius in curandis hujus generis morbis & Medicorum & ægrotorum patientia fatigetur, quis enim ab extra causam hariolari potest? & licet per certa indicantia in apricum proferatur, vereor ne utrobique oleum & opera perdantur.

(Lipsia Augustam Vind. d. 10. Jan. A. 1728. missa)

OBSERVATIO XCVI.

DN. D. ANDREÆ ELIÆ BüCHNERI.

Infans ore clauso & concreto natus.

CIrca finem Mensis Octobris prioris anni 1727. Primipara quædam rustica, 22. annorum, in pago Marsdorff, ditionis *Königsfeldensis*, propè *Colditium in Circulo*

culo Lipsiensi sito, puerulum bellum sanumque fausto enixa est partu, cui nihil prorsus quacunque ex parte deficiebat, nisi quod extima oris labia firmissime concreta & quasi perfectè coalita fuerint. Parentes ob improvisum tale accidens nimium perterriti & anxii, consilia prius cum obstetrice conferebant, hæcque diversimode, violentis inprimis distorsionibus (pro more suo rusticano,) clausam istam aperire tentabat portam, sed irrito prorsus conatu. Hinc ad balneatorem quendam haud ita procul, in vico *Pœnig* commorantem, occurrunt, ejusque consilium & auxilium efflagitant, qui etiam, aliis commodioribus instrumentis destitutus, sola novacula erroneam hanc concretionem, mediante subtili incisione, aufert, atque applicato postmodum unguento digestivo, vulneratas istas partes intra quatriduum feliciter iterum consolidat, ut nunc iste infans perfecte valeat, sugat & nutriatur.

SCHOLION.

RES equidem nec adeo mira, nec admodum rara est, prodire in lucem infantes clausis naribus, auribus, ano, pene, aliisque vel ad nutrimentorum ingestionem, vel ad excrementorum egestionem necessariis ac destinatis locis, ut adeo non immeritò coctam toties cramben nunc ad nauseam recoquere videar, dum similis farinæ historiam; ab Amico quodam rerum naturalium maximè curioso mihi communicatam, itidem in medium profero; ast, placuit ad minimum eam ob causam brevissimis eam recensere, quoniam, etiamsi nullæ prorsus aliæ nobis suppeterent rationes, pro refutatione sententiæ inter Veteres quondam decantatissimæ, de *solitaria nutritione fœtus per os,* hæc ipsa tamen observatio iis pariter ac omnibus reliquis, qui speciosis hisce traditionibus, Autoritatis præjudicio forsitan capti, mordicus adhæserunt, contrarium facillimo utique negotio demonstrare valeret. Prioribus enim seculis in Scholis tam Philosophorum quam Medicorum com-

munem quasi extitisse, & ab omnibus ferè propositam & propugnatam fuisse novimus opinionem istam, quod fœtus alimentum, pro corpusculi sui nutritione & augmentatione necessarium ore accipiat ex matris utero; quin imò constat etiam, quod omnibus ferè illorum temporum eruditis usque adeò placuit atque ab iis tanta cum aviditate excepta fuerit ridicula ista assertio, ut citius Herculi clavam, quam ipsis ejusdem patrocinium excusseris. Ex antiquissimis verò prima, uti quidem videtur, ejusdem fundamenta posuit *Democritus*, ingens & celebris ille Philosophus, quem *SENECA Lib. VII. Natural. Quæst. cap. 3.* subtilissimum omnium Antiquorum, & *HIPPOCRATES, in Epist. ad Democr.* ἄριστον φύσιος καὶ κόσμου ἑρμηνευτὴν, *optimum Naturæ atque mundi Interpretem*, appellare non sunt veriti: Hic enim, ejusque in multis æmulus *EPICURUS*, testante hoc imprimis *PLUTARCHO, de Placit. Philosoph. Lib. V. cap. 16.* affirmarunt, *fœtum in utero per os ali, quonim statim atque natus est ad mammas fertur*; sique *SORANO EPHESIO in Lib. de Utero* credendum est, approbavit quoque & ulterius illustravit hanc sententiam *DIOCLES CARYSTIUS* Medicus Darii Hystaspis tempore præcipue clarus, dum asseruit, dari Naturæ providentia in lateribus cavitatum uteri cotyledones & carunculas quasdam, seu mammis similes excrescentias, latas quidem ad fundamentum, parvas autem ad extremum, ut earum suctione fœtus nutriatur & simul præmeditetur, se papillas mammarum attrahere. Nec desunt Autores, qui ipsi etiam *HIPPOCRATI* similem affingere opinionem non erubuerunt, atque ex iis, quæ in *Lib. de Carnibus* §. *VIII.* extant, quod nimirum puer in utero comprimens labra, ex utero matris sugat, & tum alimentum, tum spiritum intro trahat, suspicantur ipsum talia à Democrito didicisse & assumsisse, sed sine omni causa. Dubitant enim merito Recentiores Medicorum, an hujus atque quorundam aliorum librorum Autor genuinus sit Hippocrates, & notissimæ jamjam sunt ipsorum desuper dissensiones; confirmant

insu-

insuper etiam hoc alia ejusdem Autoris loca ab hoc prorsus discrepantia, dum in *Lib. de Nat. pueri* §. 35. it. *de Octim. partu* §. 4. & alibi, expresse asseruit, *quod fœtus ex matris utero per umbilicum accipiat alimentum*, sicque tacitè quasi demonstravit, priora illa non sua, sed aliorum esse; quemadmodum etiam ea ab Hippocratis dignitate prorsus aliena & non nisi ab aliquo rerum ad rem medicam pertinentium imperito addita fuisse, non ineptè judicant, *Andr.* LAURENTIUS & *Jo.* MARINELLUS, aut excusanda & alio prorsus modo explicanda esse putarunt PROSPER MARTIANUS *in Not. ad cit. loc. ex Lib. de Carn. p. 39. & 40.* GUIL. HARVEUS *in Exercit. de generat. animal. Exercit. LVIII.* & CONR. SEGERUS *in Diss. Anatom. de Hippocratis Orthodoxia in doctrina de Nutritione fœtus humani in utero Sect. I. cap. 2. & Sect. II. cap. VIII.* §. 10. ut adeo in eo sensu, quo ab his Autoribus sumitur doctrina ista Hippocratica, cum placito Democratico prorsus non conveniat, quippe quod multa utique continet, quæ nec sensus, nec ratio approbant, dum nullæ unquam in utero observatæ sunt hujus generis excrescentiæ, nulla etiam fœtus cum utero ipsum ambiente συμφυσις, nisi per extrema vasorum umbilicalium, apparet, ob intercedentes tenues illas membranas fœtum ab utero separantes, ut ore illum nunquam attingere, nedum suctione vel attractione quicquam alimenti inde obtinere queat; & hinc etiam factum est, ut ex posteris nemo amplius huic sentenriæ subscripserit, quin potius ipsa successivè interietit & cum suis Patronis planè desierit, è contra verò alia, priori tamen non valdè absimilis, successerit ejusque in locum surrogata fuerit, qua perhibetur, fœtum primis generationis diebus atque mensibus humore quodam tenuiori chyloso per uterum destillante, ac per membranas ipsum ambientes transudante, haud aliter nutriri, ac semina vegetabilium, terræ commissa, succos per corticem imbibunt, sicque tunc fœtum vivere tantum vitam plantæ, abhinc vero, ubi corpus ejusdem magis increvit atque invaluit, circa quartum

nimirum præter propter mensem, necessarium pro nutritione sua alimentum ab ipso per os adsumi, sicque partes illius in dies magis magisque confortari, ut tandem absolutis novem ab imprægnatione mensibus, ob defectum sufficientis nutrimenti, exitum moliri, ipsamque matrem ad partum stimulare cogatur. Ast, quoniam hæc ipsa quoque sententia præter difficultates plures & maximas, quibus ferè oppressa erat, insimul dissensum non minorem Autorum & Fautorum suorum exhibuit, atque rixas haud leves inter ipsos peperit, hinc ex Recentioribus itidem quoque perpauci eam amplexi sunt. Alii enim, quos inter inprimis *Joan. Claudius de la Courvee, Vesulanus, Anton. Deusingius, Prosper Martianus* & *Georg. Segerus*, eminent, chylum ex ventriculo & intestinis matris exceptum quin ipsum etiam lac in mamis earundem genitum, per singularia quædam vasa lactea ad uterum deferri & per internam hujus membranam, quasi per chartam emporeticam, filtrationis modo, depluere, indeque porro partem ejus alimentarem, tenuiorem & spirituosiorem, sanguini permixtam, per venas umbilicales ad fœtum fluere, reliquam vero lacteam & aquosam portionem per tubulos alios peculiares sensim in chorion destillare, & per hoc porro, tanquam per setaceum, aut pannum delicatissimum, intra amnion transire, ibique fœtum tandem id, quod pinguissimum est, & instar olei aquæ supernatat, sugendo attrahere ac in alimentum suum convertere, autumant, quod tamen pro futili prorsus & nullius momenti, omnique probatione destituto asserto, cum Illustri *CONRINGIO*, merito reputamus. Alii porro, quorum agmen imprimis *Guil. HARVEUS* ducit, album lentumque quendam humorem in placenta uterina stagnare & colligi, postmodumque ab extremis vasorum umbilicalium orificiis, ex cellulis sive acetabulis hujus partis, absorberi sicque ad ipsum corpus fœtus successive deferri, existimant, ut illud inde debite nutriatur & augeatur; ast, licet per crebram observationem & experientiam satis confirmata ea esse existimet præfatus Autor, tamen *à Nicolao HOBOKENO*,

NO, aliisque pluribus ſolertioribus Anatomicis, non ſine prægnanti rationum pondere, ſtatim in totum fere improbata atque rejecta ſunt. Alii tandem, quorum partes ſpeciatim *Anton.* *EVERARDI* agit, materiam ex qua fœtui augmentum accedit, eandem eſſe contendunt cum illa, ex qua prima ejusdem formatio fieri ſolet, nimirum ſuccum quendam ovorum albumini non abſimilem, ſanguini vero prorſus diſſimilem, in ventriculo matris ejusque glandulis meſaraicis præparatum indeque per *ductum chyliferum Bilſianum* & ramos ſexti paris nervorum, quaquaverſum in totum corpus omnesque ejus partes, & conſequenter etiam ad uterum, diſperſum, ibidem ultro depuratum & poſtmodum per placentam & chorii ac amnii poros ad fœtum ipſum delatum, qui translationibus iſtis puriſſimus & ſubtiliſſimus redditus, dein à fœtu ore adſumeretur, deglutiretur, & ulterius concoctus partibus ejusdem diſtribueretur, eodem prorſus modo, quo in adultorum corporibus fieri ſoleret. Et hæc ſententia quaſi filia videtur decantatiſſimæ illius, quæ etiam adhuc dum inter Anglos viget, *de ſucco nutritio nervorum*, quam primo *Thom.* *HOBBESIUS Lib. de Homine Cap. I. §. 2. & Guil. HARVEUS Exercit. de generat. anim. LX.* breviter, poſtmodum vero prolixius *Gualt. CHARLETON Exercit. de Oeconom. anim. I. & X. ac Franc. GLISSONIUS in Anat. Hepatis cap. XLV. pag. 371. ſqq.* propoſuerunt, vix tamen adeo inſignem inter noſtrates aſſenſum impetrarunt; quale quid itidem quoque prioribus accidit Autoribus, licet illi in confirmationem ſuæ ſententiæ addiderint obſervationes, de fœtibus humanis trimeſtribus & quadrimeſtribus, ventriculum & inteſtina tenuia chylo diſtenta, craſſiora vero ſtercore liquidiore flaveſcente, ſive ita dicto *Meconio*, repleta, exhibentibus. Poſſunt enim & ſuccus chyloſus & excrementa illa flaveſcentia, intra inteſtinorum canales colligi, licet nihil prorſus per os adſumatur, quia glandulæ inteſtinales continuo fundunt lympham ſuam, cujus recrementa dein ad iſtam *Meconii* productionem jam ſatis ſufficiunt,

coque

eoque ipso aperte evincunt, quod falso pro χυλώσεως seu primæ coctionis excremento reputetur fœda & fœtida ista materia præprimis cum non dum satis exacte demonstratum videatur, quod liquor iste intra amnion contentus sit proprie lympha particulis ejusmodi nutritiis turgida & consequenter ad talem actum nutritionis satis apta atque disposita.

Sic ergo ad minimum hæc, una cum reliquis ejusdem farinæ observationibus illorum inprimis sententiam ferit, imò plane dejicit, qui *solo* isto liquore, per os ad ventriculum fœtus delato, hujus corpus nutriri & augeri statuunt, quoniam, licet hac ratione nutritio talis in totum ferè abolita fuerit, infantes tamen semper perfecti ac vivi exciterunt, quod alias impossibile prorsus esset, ni forsitan Fautores hujus hypotheseos, in ejusmodi casibus extraordinariis, vel ad nares confugiant, atque simili ferè modo, quo *D. ANEL,* vinum per puncta lacrymalia injectum ad stomachum derivare voluit, suppositum istum chylosum & lymphaticum humorem ex naribus per ordinarium meatum ad palatum transire tandemque in ventriculum descendere, asserant, quod tamen nunquam satis probare & demonstrare poterunt; vel cum Philosopho *Crotoniate, ALCMÆONE,* corpus fœtus rarum ac spongiosum, ad instar spongiæ porosæ crebrisque foraminibus perviæ, humorem omni ex parte imbibentis, pariter quoque ex venis & corpore uteri sanguinem omnem haurire & attrahere statuant, quod vero, tanquam rationi & experientiæ penitus contrarium, solus embryonis in utero situs & defectus cohærentiæ immediatæ ejusdem cum interna uteri superficie, exactè satis refellunt. Manet itaque hac ratione inconcussa veritas illius asserti, quod fœtus succum suum nutritium, quamdiu intra uterum conclusus est, vel *soli sanguini,* mediante placenta uterina, per venam umbilicalem allato, debeat, vel *per os & umbilium conjunctim* obtineat, ita tamen, ut sanguis per vasa umbilicalia affluens, *primarium*, humor autem amnii chylosus *secundarium* tantum ejusdem nutrimentum constituat: priori ha-

ri harum sententiarum equidem nulla fere obstant dubia, vel saltem levissima, & hinc etiam plurimi celeberrimorum Medicorum eam amplecti haud dubitarunt; posteriorem autem adhuc difficultates quædam haud adeo leves premunt, quæ tamen facillimo negotio forsan removeri possent, si modo fortuna plures tales suppeditaret observationes, quales bis Celeb. *HEISTERUS* obtinuit in fœtu vaccino, ut ita per experientiam & quasi ad oculum pateret, liquorem illum amnii revera per fauces & œsophagum ad ventriculum intrare fœtumque sic per os perfectè nutriri.

OBSERVATIO XCVII.

DN. D. ANDREÆ ELIÆ BüCHNERI.

De

Fœtu masculino bicorporeo, circa abdomen concreto.

NAturam seu Animam nostram in subtilissimo & arcano illo generationis actu sæpè ac diversimodè ab ordinariis ejusdem legibus recedere, & varia ludicra pariter ac monstrosa vel simpliciter struere, vel corporibus jamjam structis affingere, omnium dubiorum victrix & jam olim per innumera exempla corroborata Experientia abunde satis demonstrat. Non placet jam, pro ulteriori hujus thematis confirmatione, omnia, quæ passim in scriptis celeberrimorum Medicorum extant, depravatæ imaginationis exempla adducere, sed sufficiet monstrosos tantum duorum capitum & duorum corporum fœtus, *bicipites* alias & *bicorporeos* dictos, allegasse, de quibus itidem multæ hactenus, in Ephemeridibus Academiæ nostræ, non minus utiles quam curiosæ, suppeditatæ prostant observationes, quarum numero propterea in præsentiarum etiam accensere volui fœtum bicorporeum

vivum, priori Anno 1727. d. 15. Septembr. in Pago Nicolaus-reuth, sub Præfectura Voigtstädt, haud ita procul ab *Artera*, (vulgo Artern,) civitate Comitatus Mansfeldensis, sito, ab uxore Martin Tolckens, Rustici, cum insigni difficultate & summis, fereque intolerabilibus, cruciatibus, prognatum. Hic equidem in inferiori corporis parte (ut ex adjecta figura optime patet,) nihil plane ab ordine naturali alienum demonstrabat: pedes enim duo & membrum genitale unicum, masculini sexus, rite conformatum, ibidem conspectui sese dabant; abdomen verò ordinariam suam dimensionem & crassitiem à funiculo umbilicali, qui itidem simplex erat, usque ad ilia paulo magis exsuperabat, forsitan ob duplicata in eodem latitantia viscera, quoniam exinde, & quidem statim supra umbilicum, duo distincta emergebant corpora, cum quatuor brachiis, duplici pectore & capite, in quibus omnia pariter satis accurata & legitime proportionata erant, nihilque præternaturale ultro observabatur, nisi quod in pectora istius filii, qui dextrum occupabat latus, quique simul præ altero paulo robustior & crassior apparebat, duæ ex costis spuriis paulo magis prominerent, idque fortasse ob violentiam sub partu ab obstetrice rudiori perpessam. Vixerunt hi duo infantes per viginti quatuor horas, & sacri baptismatis fonte purgati, simulque alter *Johannes*, alter vero *Christianus* vocati sunt; dehinc vero sub vesperam alterius diei ambo iterum obierunt, & quidem non simultaneè atque conjunctim, sed partitis vicibus, dum robustior prius animam efflavit, & elapso postmodum semiquadrante horulæ alter demum expiravit. Scrutationem Anatomicam & præparationem sceleti parentes perterriti non permiserunt, licet ipsis solertes quidam Naturæ ruspatores hac de re statim certiores facti, pro facilitando hoc negotio, aliquot thaleros obtulerint. Incertum igitur est, an hic fœtus ibidem quoad interna sese assimilaverit puellis istis concretis, prioribus Seculis & quidem A. 1552. Oxoniæ & A. 1652. juxta observationem *RIOLANI*, Lutetiæ natis aut etiam puerulis ventre tantum infe-

riore

riore junctis & notante *AUGUSTINO PINCETII* Anno 1617. in agro Reipublicæ Genuensis editis, quoad externa enim præsens hic noster cum illis perquam exactè convenire videtur. Conf. TAB. V. Fig. 2.

(*Erfordia Augustam Vindel. d. 15. Jan. A. 1728. missa.*

OBSERVATIO XCVIII.

DN. D. JOHANNIS SALTZMANNI.

Obstipum caput cum ossis occipitis & superiorum colli vertebrarum carie conjunctum.

JUvenis rusticus ex Helvetia oriundus, 20. circiter annorum, robusto alias corpore præditus, & labori duriori, qui ejusmodi hominibus familiaris esse solet, assuetus, ab aliquo tempore dolorem capitis gravativum, eumque insignem passus est, narium hæmorrhagia notabili subsequente. Paulo post musculos capitis atque colli, præ aliis clino-sterno-mastoideos multum tensos & caput rigidum prorsus immobile sibi esse querebatur, & intuentibus quibusvis facile patebat. Xenodochio, quod Colmariæ, nobili Superioris Alsatiæ oppido, est illatus interrogatusque annon ictum in hisce partibus receperit, vel ab alto delapsus fuerit, aut num meminerit, se onus quoddam gravius capite unquam gestasse? id negando respondit. Quare Chirurgus dicti Nosocomii, ut dictarum partium tensioni mederetur, præmissis universalibus olea, cataplasmata & emplastra emollientia applicuit. Cum vero hæc per aliquod tempus adhibita exoptatum effectum non edidissent, huc venit, & postquam in Nosocomium urbis delatus fuerat Chirurgus ordinarius, Dn. le Maire, artis suæ peritissimus re probe examinata, cogitare cœpit, annon forte colli vertebræ subluxatio subesset, cui suspicioni assensum postea præbuerunt

 alii,

alii, qui ægrum capite obstipo affectum viderunt. Et sane statum hunc p. n. ab una parte suadebat stupor, qui compressioni medullæ spinalis adscribendus esse videbatur, & sensus imminutio in extremitatibus inferioribus notabilior quam superioribus, quibus objecta, quæ tangebat, se vix percipere fatebatur. Ab altera vero parte subluxationem aut saltem luxationem dissuadebat symptomatum graviorum, quæ cum ejusmodi malo conjuncta esse solent, absentia. Remediis internis pariter ac potissimum externis, quæ ars suppeditat, per unum vel alterum mensem adhibitis tandem convulsionibus gravissimis correptus obiit, postquam circiter 10. horis ante obitum atrocissimos eosque continuos ejulatus ediderat, & tres vel quatuor libras sanguinis sinceri per nares effuderat. Examinato post mortem cadavere prima colli vertebra pollicem latum majorem à secunda distans observabatur, non vero loco suo mota, nisi quod sursum secesserit. inter musculos rectos æque ac obliquos caput extendentes materia crassa & inspissata ejusdem fere consistentiæ, qualis in tumoribus steatomatosis reperiri ordinarie solet, non fœtens hospitabatur, quæ & pinguedinem ex parte occupavit. Ligamentum posticam duarum superiorum vertebrarum partem connectens justo laxius erat, à cujus latere utrinque tumor conspiciebatur, à simili materia steatomatosa productus in sinistra paulo major quam in dextra parte, magnitudinis pariter ac figuræ oblongo-rotundæ ovarium muliebre fere referens, membranaque firma investitus, quæ vel ipsum ligamentum vertebras dictas colligans erat, vel saltem ab eo enata fuerat. Supra memorata materia non modo interstitium inter primam & secundam vertebram ordinario majus explebat, sed & interius inter vertebras & duram matrem, quæ medullam spinalem cingit, stagnabat in dextro latere tenuior & magis liquida quam in sinistro, in hoc vero copiosior quam in illo, cui serum acre hinc inde circumfusum erat. Ob secessum primæ colli vertebræ à secunda hujus apophysis

odon-

odontoides illam vix attingebat & ligamentum dictam apophysin cum osse occipitis connectens ruptum erat. Ablato cranio notabilis serosi humoris, pauco sanguine tincti, copia sub dura matre solito tenuiore latitans conspiciebatur, qua & cerebrum inferius potissimum prope protuberantiam annularem & cerebellum multum irrigatum erat, hisce partibus colorem pallidiorem conciliantis. Plexus choroides mucida velut Substantia repletus & in arteriis æque ac venis non parum collapsis sanguis valde serosus continebatur. In ventriculis vero cerebri anterioribus, qui alias præ reliquis partibus ejusmodi humore inundantur, parum serositatis fluctuabat. Quod vero notatu dignissimum esse videtur, est, quod materia supra dicta vel tenuior vel etiam multum inspissata non modo hinc inde stagnaverit, sed & acrior reddita partibus solidioribus cariem induxerit. In osse quippe occipitis mox ante magnum ejus foramen notabilis cavitas apparebat & inæqualis, præterque duram matrem os ita exesum erat, ut nonnisi amella inferior superfuerit, quæ pariter perforata huic humori p. n. exitum è cranii cavitate & descensum & vertebrarum cavum concessit, qui ibidem non obscuriora acredinis suæ indicic reliquit, nam & primæ colli vertebræ processus obliqui dexter magis quam sinister & apophysis odontoides secundæ & corpora tum hujus (quod tuberculum potius quam corpus dici meretur) tum illius antica pariter ac postica sede carie correpta & non leviter corrupta fuerant, tertia ab hac labe non omnino immuni existente. Ante aliquot annos similem hic casum habuimus in infante 8. annorum, cui caput, dum viveret, pariter obstipum fuerat, post mortem non modo os occipitis à latere utriusque condyli, sed & colli dorsique vertebrarum corpora à simili fere causa carie correpta erant. Illarum suprema à dicto osse occipitis separata duo cochlearia & amplius humoris serosi paululum flavescentis prosiliebant, sed adeo acris, ut veluti lixivium quoddam fortius digitos ab at-

tactu corrugarit. Cutis præterea in dorso non solum rubicundo sed & livido colore, uti in ejusmodi casibus fieri assolet, conspicua erat.

OBSERVATIO XCIX.

DN. D. JOHANNIS SALTZMANNI.

Exostosis seu Excrescentia Cranii osseo-spongiosa.

FAber Serrarius 43. circiter annorum, temperamenti sanguineo-melancholici & habitus macilenti, Bacchoque non modice litans An. 1723. mens. Jun. dolore pectoris gravativo & vomendi conatibus subito corripitur, gravativo capitis dolore & horrore totius corporis paulo post superveniente, quæ symptomata ab assumto vomitorio & V. S. in pede administrata evanuere, ita ut laboribus suis satis bene defungi denuo valuerit. In quo statu etiam per integrum anni spatium permansit, donec anni insequentis mense Julio rixis cum uxore obortis, iraque gravi percitus simili cephalalgia & repetito vomitu bilioso affligeretur, quæ à remediorum usu rursus cessarunt. Postea victu ex necessitate inordinato uti coactus & de fide uxoris cum aliis commercium habentis non injustam fovens suspicionem & ipse vitam improbam agere cœpit, & non solum Baccho, uti antea jam solebat, strenue litavit sed & illicitæ & clandestinæ Veneri se dedit, à qua gonorrhœam & penis exulcerationem cum inflammatione conjunctam sibi contraxit, id ex intempestivo pudore, quem antea quidem exuerat, à Medico celavit, & malum à variis absque discrimine adhibitis auxit. Tandem Chirurgi ope, quam implorare coactus fuerat, utcunque pristinæ sanitati restitutus est. Et ita per trimestre tempus satis bene se habuit opificio suo vacans remque domesticam gerens, nisi quod consuetum aliis vigorem in actionibus suis haud monstraverit. Quo præterlapso

lapso aliquoties cephalalgia gravissima ex improviso correptus est, tertia vice ab incude recedens subito vertiginosus in terram procidit nomen Jesu ingemiscens.

Domestici accurrentes & totum quantum rigidum frigidumque invenientes Dn. D. von Lindern forte fortuna prætereuntis auxilium implorarunt, qui ægrum sensibus privatum cum frigore extremorum absque tamen stertore videns venam ilico secari, spiritumque excitantem naribus admoveri & clysterem acriorem applicari jussit, à quibus adhibitis intra 6. horarum spatium excitatus ad se rediit, atque voce liberiore edita, quis eum expergefecerit quæsivit. Diebus insequentibus melius se habuit. De cætero de deglutiendi difficultate & virgæ circa glandem ardore conquestus est, è quibus uti & aliis symptomatibus haud obscure suspicatus est prædictus Medicus, ægrum lue venerea infectum esse, huicque cephalalgiam aliquoties recurrentem deberi; quare mercurialibus in auxilium vocatis ipsum curæ salivatoriæ cum euphoria subjecit, à qua pristinæ, uti quidem videbatur, sanitati restitutus à dictis symptomatibus immunis vixit usque ad medium mens. Martii 1727. ubi à porrecto in alienis ædibus poculo & epoto mox tormina in abdomine gravia sensit, & paucis horis interjectis convulsionibus tentatus fatis cessit. Quia vero assumti veneni suspicio non levis erat, jussu Inclyti Magistratus hujus urbis cadaver cultro anatomico subjectum est, eum in finem, ut viscerum interiorum status examinaretur, & quoniam in sinistra capitis sede tumor non levis facile apparebat, remota simul ejus integumenta sunt, quo facto exostosis seu excrescentia osseo-spongiosa ab osse bregmatis sinistro duobus digitis transversis à latere suturæ sagittalis enata oculis se sistebat, anterius super coronalem suturam ad os frontis sese extendens, inferius vero versus mendosam seu spuriam suturam, quæ dictum os Syncipitis cum illo temporum committit, exporrecta, os temporale non omnino attigit & superiore sui sede magis quam inferna protuberans, quæ exostosis pericranii lamellas & simul musculum

lum crotaphitem non parum elevavit. Cranio Serra diſſecto & remoto in interna ejus facie ſimilis exoſtoſis raro ſpectaculo conſpiciebatur. Hæc interior ab externa pluribus diſcrepabat, erat quippe 1) major & longius latiusque ſe extendens. 2) Magis rotunda & hemisphærium exactius figura referens quam externa, cujus circumferentia pariter ac pars elevata, magis inæqualis extiterat. 3) Subſtantia ejus oſſeo-ſpongioſa paulo mollior erat fibris oſſeis tenerioribus conſtans & plura eaque majora interſtitia intus in ſinu ſuo fovens, lamina tenuiſſima extus munita. 4) Inferius magis quam ſuperna facie protuberabat, cum è contrario exterior ſupra magis quam infra elevata erat. Conjectu facile eſt, qua vi dura mater cerebrumque ipſum ab hoc tumore oſſeo compreſſum, unde illius vaſa eadem veſtigia, quæ alias oſſi bregmatis coſtas folii ficus repræſentantia imprimunt, in dicto tumore reliquerunt, à qua compreſſione ea, quæ in hoc ſubjecto obſervata fuere ſymptomata, levi negotio explicantur.

TAB. VI. Fig. 1.

a a a a. Exoſtoſis, quæ a tabula cranii externa excrevit.
b b. Ejus longitudo ab oſſe occipitis ad os frontis ſe extendens, quæ pedis Regii Pariſini 3. digitorum 5. linearum eſt.
c c. Latitudo 2 digitos 10. lineas æquans.
d. Os frontis.
e e. Os Syncipitis ſiniſtri lateris.
f f. Sutura Sagittalis.
g g. Sutura Coronalis.
h h. Pars Suturæ Lambdoideæ.
i i i. Subſtanria oſſeo-ſpongioſa denudata, quia lamella oſſea cum pericranio ſeceſſit.

TAB. VI.

Observ. XCIX
pag. 224.

Fig. 1

Fig. 2



TAB. VI. Fig 2.

aaaa. Tumor osseo-spongiosus è tabula cranii interna enatus.
bb. Longitudo ejus 3. digitorum & sex linearum.
cc. Latitudo 3. digit. 1½. lineæ,
ddd. Sulci, quos arteria duræ matris tumori impressit.
eeee. Substantia osseo-spongiosa denudata, quia lamella illam cooperiens cum dura matre ablata fuit. Crassities seu protuberantia utriusque tumoris una cum cranio erat 1. digiti 8. linearum.

OBSERVATIO C.

DN. D. JOHANNIS SALTZMANNI.

Tumor capitis à carne fungosa productus & cum carie cranii notabili conjunctus.

CAsum præcedenti prorsus contrarium haud ita pridem hic quoque loci habuimus, uti enim in illo ossis bregmatis solito major excrescentia, ita in hoc defectus p. n. eodem prorsus in loco observatus fuit. Matronæ nobilis prosapiæ 54. annorum, temperamenti cholerici & valde activi ab ictu, quem à lapide dum caput in terram inclinatum elevare voluit, in suturam coronalem sinistri lateris, adeoque tum in os bregmatis tum etiam frontis receperat, levis contusio in dicto loco oborta est, quæ brevi rursus evanuit. Integro anno post parvus quidam tumor aliquatenus durus in eodem ictus loco sese offerebat, quem quia indolens erat, per integrum annum gestavit præter quod Chirurgi opem imploraverit. Interea tumor lupiam referens excrevit in magnitudinem ovo gallinaceo æqualem, & qui antea indolens erat, dolorem satis exquisitum & acutum ægræ excitavit, non vero

continuum, neque diu continuantem ſed per intervalla redeuntem. Quare ſuaſu & hortatu, neſcio cujus, laminam plumbeam ſibi applicari juſſit, à quo tempore tumor ab illa non parum compreſſus baſin latiorem nactus eſt, ſimul etiam dolores non modo notabiliter aucti ſunt, ſed & quotiescunque caput in terram reclinabat, lancinantes erant cum vertigine & ſtupore capitis conjuncti, talique ſenſu ſe manifeſtabant ac ſi aër inibi incarceratus & compreſſus eſſet exitumque quæreret, quæ ſymptomata mox ceſſarunt, quamprimum caput ſurſum iterum elevabat. Idem tumor, quod notandum, verſus plenilunium notabiliter creſcebat. Aegrota inde perterrita Chirurgum accerſi juſſit, qui remedia fundentia & reſolventia quidem per aliquod tempus adhibuit, non prætermiſſis internis à Medico ordinario, Ven. Facultatis noſtræ Seniore *Dn. D. Scheid* præſcriptis; his vero nihil proficientibus & ſymptomatibus in dies invaleſcentibus Anno 1727. d. 25. menſ. Maji præparato prius corpore inciſio inſtituta eſt, qua facta parum materiæ purulentæ ex aperto tumore effluxit, contentæ in folliculo ſeu cyſtide è duriore membrana conflata & proculdubio à pericranio enata; os carie correptum & corruptum declarabat tum hiatus ſat magnus, per quem caro fungoſa protuberavit, tum etiam oſſis inæqualitas. Dura mater eo in loco, ubi fungus aditum concedebat, digitis vel inſtrumento tacta ſenſu exquiſito deſtituebatur. Ob teneriorem ſubjecti conſtitutionem, ne operatio in longum nimis protraheretur, doloresque nimii excitarentur, exigua folliculi & carnis fungoſæ portio, quæ muſculo temporali ſubjacebat, relicta eſt, in ſequenti curatione abſumenda. De cætero ægra pro magnitudine morbi ſatis bene ſe habuit præter pallorem & colorem lividum, quem vultus nunquam non præ ſe ferebat. Febris aberat, ſuppuratio ex voto ſuccedebat, ſomnus erat ſatis tranquillus ad diem 3. usque menſis Aprilis, quo ſternutatione quinquies vel ſexies oborta caput absque notabili tamen dolore concutie-

cutiebatur. Tandem vomitu bilioſo, qui toto morbi decurſu illam defatigaverat, invaleſcente, & viribus ſenſim decreſcentibus iisdem ſymptomatibus, quæ phreniticis familiaria eſſe ſolent, diem ſupremum obiit. Poſtquam fatis ceſſerat cupido inceſſit omnes, quibus ſtatus hic p. n. rarior cognitus erat, progreſſum dictæ ſubſtantiæ fungoſæ & ſimul cariei paulo accuratius examinandi. Quare â Generoſo Dn. Marito, ut copia ſibi daretur, caput aperiendi ejusque interiora perluſtrandi petierunt, quo gratioſe annuente cranium rite remotum carie correptum & corruptum inveniebatur, utraque ejus tabula in latere ſiniſtro exeſa, interna magis quam externa, hiatu inſigni & fere ovali relicto, magnitudine ovum gallinaceum pene referente, cujus major portio, duas fere tertias ejus partes formans, & rotundior in oſſe frontis, minor vero & magis acuminata in oſſe ſyncipitis erat, ſutura coronali illius lateris oras foraminis ita diſtinguente. Dura mater in plicas corrugata & velut calloſa obſervata fuit, e qua caro fungoſa enata eique firmiſſime adnata eſſe videbatur, inter duram matrem & cranium latius expanſa atque multum compreſſa, foramini etiam firmiter impacta & adhærens ejus inæqualitates profunde ſubiit, unde dictum cranium cum vi avellendum erat, tumorque ſitum ſuum nullatenus mutare poterat.

Ictus, quem generoſa illa femina receperat, impetum fecit non modo in externam, ſed & internam cranii tabulam, unde læſio illarum æque ac vaſorum ſubſtantiæ oſſeo-ſpongioſæ ſeu diploë, nec non duræ matris procul dubio ſecuta eſt, qua facta tum ſanguinis circulatio impedita, tum liquor hic extravaſatus carni fungoſæ anſam dedit atque occaſionem, nec minus humores hic ſtagnantes & acrimoniam concipientes os cranii corripuerunt; & quia inter hoc & duram matrem incarcerati erant, tabulæ internæ labem magis, quam externæ, affricuerunt. Iidem duram matrem incraſſarunt, eidemque callum velut induxerunt. Foramen in oſſe frontis ob declivem cerebri ſitum & materiam fungoſam antrorſum gravitantem majus erat. Eandem pro-

culdubio causam agnoscit sensus, ac si aër exitum cum aliquali sono quæreret, quotiescunque ægra caput in terram inclinabat, cerebrum quippe tumorem, quem compressit, paululum extrorsum propellebat, quamvis aliquid quoque aëris post factam tumoris incisionem interstitium cranium inter & duram matrem interjectum subiisse, huncque effectum produxisse non inficias irem.

TAB. VII. Fig. 1.

aaaa. Hiatus cranii, qualis in tabula interna occurrebat.
bb. Ejus longitudo ab osse bregmatis versus os frontis tendens & pedis Parisini 2. digitos 3. lineas æquans.
cc. Latitudo maxima ad Sulcum cranii, dd. cui processus falciformis adhæret, vergens adque 1. digitum & 11. lineas accedens.
ee. Sutura coronalis utrinque ad oras foraminis desinens, in medio deficiens.
fff. Portiones tabulæ externæ una cum parte diploë à carie relictæ.
ggggg. Vestigia cariei ultra oras tabulæ internæ excurrentia.
hhhhh. Sulci ossibus Syncipitis ordinarie à pulsu arteriæ duræ matris impressi & costas folii ficus referentes.

TAB. VII. Fig. 2.

aaaa. Hiatus in tabula cranii externa conspicuus.
bb. Longitudo ejus maxima 2. digitos & lineam 1½. ped. Paris. æquans.
cc. Latitudo, quæ 1. digiti 4½. linearum est.
dd. Sutura coronalis.
ee. Sutura Sagittalis.
ffff. Vestigia cariei ultra tabulæ externæ oras exporrecta.

TAB. VII

Observ. C. pag 228.

Fig. 1.

Fig. 2



OBSERVATIO CI.

DN. D. JOHANNIS SALTZMANNI.

De

Luxatione ossis femoris & plenario capituli defectu.

IN Dissertatione Academica Anno 1723. hic habita asserere conatus fui, luxationem ossis femoris à causa externa violenta productam rariorem esse, colli vero fracturam frequentius contingere. Illam factu difficilem esse stabilitum ivi 1,) ex articuli, quo dictum os femoris cum illo coxendicis committitur, natura & conditione, in quo cavitas partim ab ipso osse partim à margine cartilagineo efformata valde profunda existit. 2.) à valida ligamentorum constitutione, quorum unum circulare seu orbiculare è peripheria acetabuli enatum cervicem arcte amplectitur, totumque capitulum in sinu suo firmiter detinet; alterum teres seu rotundum tendineo-cartilagineum, lataque basi è sede laterali emergens crassum est & simul breve, adeoque subito & velut in momento multum extendi nequit, quin potius rumpatur præprimis quia luxatio incompleta, qua capitulum margini insistit, conceptu difficilis est. 3.) à musculorum tum numero tum robore; vix enim alio in loco quam in hoc ipso validiores occurrunt, nempe tres Glutaei, Triceps, Pectineus seu Lividus, Psoas, Iliacus, duo Vasti, Rectus, Fascia lata &c. qui os femoris partim movent & in situ firmiter detinent, partim eidem accumbunt, adeoque impediunt, quo minus vis externa magnum in articulationem impetum facere valeat.

Hæc vero, quæ pro luxatione impedienda paucis in medium protuli, pro colli fractura pariter militare largior, si vis agens parti femoris supernæ, non item si inferiori applicetur. Interim non id egi, ut inficias irem, ejusmodi luxatio-

 nem,

nem, maxime deorſum & introrſum fieri poſſe, quia 1.) ligamentum teres ibidem propius margini eſt. 2.) Margo ſinus illo in loco minus elevatus. 3.) Oſſea ſubſtantia plane deficit. 4.) Muſculi validiſſimi in parte ſuperna & externa locati ſunt. vid. *Dn. Petit. tr. de oſſ. morb. l.* 1. *c.* 12. Neque illam, quæ ſurſum & extrorſum contingit, pro impoſſibili venditavi, quin potius aſſerui, experientia illam comprobari, quam & obſervatione ex *Actorum Berolinenſ. Vol. X. obſ.* 7. allegata confirmavi. Id tantum volui, luxationem oſſis femoris, quæ à cauſa externa violenta generatur (nam quæ ab interna dependet, & humorum affluxui ad articulum debetur, frequentius contingere novi) cum ligamenti teretis ruptura conjunctam eſſe & perrarum recte appellari, collique fracturam in ætate provectis frequentiorem exiſtere. Hoc ſequentibus rationibus adſtruere allaboravi, quarum 1. deſumta eſt à textura colli oſſeo-ſpongioſa & cavernoſa extus nonniſi tenui quadam lamina texta, quæ occurſui violento non æque ac ligamenta & muſculi reſiſtere valet. 2. ab ejusdem cervicis ſitu ac poſitura, quæ valde obliqua eſt, & ſi linea oſſis femoris continuatur & alia verſus capitulum transverſim ducitur, poſt duabus, quæ prioribus parallelæ ſint, parallelogramma conficitur, lineam diagonalem, utut non ad ἀκρίβειαν mathematicam deſcribit. Quod ſi jam vis agens inferiori oſſis extremo, uti plerumque fit, applicatur, è legibus mechanicis patet, illam per totam femoris longitudinem continuari, adeoque maximum impetum facere in Trochanterem majorem ſeu initium cervicis, cui capitulum inſiſtit, & quia hoc capitulum utpote ſinui oſſis coxendicis profunde immerſum ob hujus reſiſtentiam ſurſum pergere nequit, vis illa agens vel omnem vel ſaltem maximam virtutem in collum exerit. Unde mirum non eſt, trochanterem majorem à cervice, vel etiam hanc à capitulo divelli, adeoque fracturam nunc propius nunc vero longinquius à dicto capitulo produci. 3. Ratio deprompta eſt à claudicatione

tione post tentatam etiam repositionem, & absolutam, uti creditur, curam plerumque se manifestante, quæ continui solutionem magis quam luxationem subfuisse non obscure indicat. Incurvatura quippe, qua os in cervicem abit, in causa est, quo minus extrema à se invicem separata ob musculorum in diversa trahentium nisum & actionem in situ debite conservari possint. Unde, præter antiquissimos nonnullos in cit. Dissert. allegatos, *Ambr. Pareus* veluti rarum quoddam & inauditum recenset, matronam ab ejusmodi fractura sine subsequente claudicatione restitutam fuisse, conf. Fabric. *Hild. Cent. V. obs 86.* 4. A repositionis difficultate, quod nempe articulus pro luxato venditatus vel admodum difficulter reponatur, vel etiam & quidem plus una vice repositus creditus nunc sponte nunc levissima accedente causa rursus excidat. Equidem me non latet, idem quoque fieri, si Subjectum lacertosum fuerit, si luxatio inveterata, si etiam mala in utero contracta & capitulo minus respondens acetabuli conformatio, si denique supercilii fractura simul adfuerit, sæpius vero nihil horum subest, & restitutionis difficultas nonnisi à fractura dependet, quæ incassum tentatur, nisi extrema ossis fracti antea coaluerint, cui vitio non occurritur, quia in luxationis curatione Chirurgus unice acquiescit. Denique in asserti mei patrocinium adduxi Cel. *Frid. Ruysch. Thes. Anat. V. Tab. 2. Thes. VIII pag. 61. Thes. IX p. 29. & 57.* qui etiam *à Borstio* Chirurgo Batavo se accepisse refert, eum octies aperuisse anuum claudicantium cadavera, & semper invenisse ossa in collo fuisse fracta, & ne ullum quidem exarticulatum, item *Joh. Jac. Ravium orat. de Method. Anat.* disc. & doc. *W. Cheselden Anat. Corp. Hum. Lib. I. & Lib. IV. p. 70. Erndl. Itiner. Angl. & Batav. p. 86.* qui omnes contendunt, fracturam colli ossis femoris frequentius contingere, & sæpius accidisse in iis, in quibus femur laxatum fuisse à peritissimis credebatur. Quod vero hic potissimum annotari meretur, est, quod supra laudatus *Ruyschius Thes. Anat. VIII. p. 61.* memorat, se observasse

in

in cadavere vetulæ post mortem cultro Anatomico subjectæ dicti ossis collum in totum defecisse, & in nihilum adeo redactum fuisse, ut, quemadmodum ille loquitur, ne hilum quidem ejus remanserit, idque Tab. III. Fig. 1. icone illustrat. Cum vero similis haud ita pridem casus sese mihi obtulerit, eum paucis hìc recensere liceat. Vetula Nosocomii urbis, quod hic est, à longo tempore alumna ante plures annos à casu ab alto, pedem dextrum 4. digitis transversis breviorem sinistro habuit, genu illius lateris & pollice introrsum spectante. Præter quod claudicabat, musculi glutæi præ illis lateris oppositi multum protuberabant, æque ac major ossis femoris trochanter iisdem subjectus, unde conjectu facile erat, illud à sede sua naturali secessisse & in locum extraordinarium nempe sursum & extrorsum delapsum esse. Tentata fuit ossis in sedem naturalem repositio, quæ ex voto & Chirurgi atque etiam ægræ non successit. Quare incommodum hoc utpote non valde grave per totam vitam ferre quam dolores, quos in prima operatione passa est, denuo sustinere maluit. Post mortem cultro anatomico subjecta illa est, atque cute, adipe, musculo membranoso seu fascia lata in loco protuberantiæ juxta artem incisis, lympha inspissata gelatinam referens superne inter duos musculos glutæos minores hospitabatur, & paulo inferius cervicem ossis femoris partesque adjacentes cooperiebat, qua remota caput dicti ossis ordinarie cingens membrana seu capsula in conspectum venit, hac pariter dissecta nullum prorsus vestigium epiphyseos seu capituli, quod cervici insistere solet, reperiebatur, solo collo relicto, quod circa extremitatem, à qua capitulum secesserat, satis asperum erat & inæquale, ligamentum teres ruptum etiam in acetabuli cavitate nullum sui vestigium reliquerat. Idem collum in externa ossis Ilii sede duobus digitis transversis supra dictum acetabulum foveam seu sinum notabilem, eumque ovalem impressit, supercilio utut superficiali præditum, novamque adeo & extraordinariam articulationem

nem efformavit. Acetabulum cavitate minus profunda, quam ordinaria esse solet, conspicuum erat, supercilium non rotundum sed potius triangulare superius in acutum marginem desinens, inferius latius, cartilago è supercilio enasci solita fere omnino deficiebat, id quod non levem suspicionem præbet à vi externa luxationem producente capitulum à collo secessisse, simul vero etiam dicti acetabuli marginem maxime superius fractum fuisse, qui postea iterum coalescens figuram hanc triangularem & extraordinariam induit. In Historia modo recensita duo phænomena mihi conceptu & explicatu difficilia esse videntur, quorum primum est, qui factum, ut extremum colli à capitulo separatum & ossi ilio externo per plures annos insistens à motu utut non magno, satis tamen frequenti, qui in vetula illa superfuit, non magis lævigatum & attritum fuerit, idque eo magis miror, quo certius est, non modo dictum extremum inæquale & asperum ea parte, qua epiphysi adhæserat, uti solet, fuisse, sed & faciem ossis ilii, in qua sinum quendam formaverat, nulla cartilagine munitam adeoque non lævem extitisse. Jam autem è Mechanicis patet, quod quo minus lævigata corpora super se invicem mota sunt, eo majorem à motu attritum fieri. Aliqualem factum fuisse inde concludo, quia idem extremum in circumferentia sua marginem reliquo collo prominentiorem ostendit. Alterum, cujus ratio fere dari nequit, est, quorsum devenerit epiphysis, quæ à cervice secesserat; illam ob ligamentorum renisum in sinu ossis coxendicis restitasse, uti quandoque fit, haud obscure colligitur, ob secessum vero colli & progressum in os ilium attritus, quo comminui & consumi alias potuisset, locum hic minime habet, & si quis contendat, illam postea à liquore articulari accumulato & inspissato è cavitate expulsam esse, ejus saltem vestigia alio in loco fuissent reperta. Asserenti denique, quæ aliis conjecturis verosimilior esse videtur, lympham inspissatam, quæ prope articulum hospitabatur, acriorem redditam, hoc capitulum utpote osseo-spongiosum corrosisse & consum-

ſumſiſſe, objicitur, & quæritur cur non & partes vicinas easque molliores illa pariter corripuerit? Quare hujus æque ac illius phænomeni ætiologiam iis, quibus ſubactum magis judicium eſt & uberior rerum experientia, dijudicandam relinquo.

OBSERVATIO CII.

DN. D. JOHANNIS SALTZMANNI.

Paralyſis ab inſolita medullæ ſpinalis exareſcentia.

ANNO 1725. menſe Majo in Noſcomium Regium, quod hic Argentorati eſt, delatus eſt miles quidam legionis equeſtris 24. annorum, doloribus rheumaticis tum humeri utriusque tum ſpinæ dorſi prægreſſis, Paralyſi extremitatum inferiorum correptus, ſimulque urinæ ſuppreſſione & alvi conſtipatione laborans. Hinc per aliquot dies catheter ipſi applicabatur eum in finem, ut urinæ exitus pateret. Paulo poſt malo in contrarium verſo lotium involuntarie exiit. Inſuper in regione lumbari infra coſtas ſpurias utrinque, absque tamen ſenſibili dolore, ſi rhevmaticum, qui hic fere terminabatur, excipias, conſtrictionem percepit abdomen chordæ aut circuli inſtar ambientem quam excepit ſtupor femoris atque tibiæ dextræ cum paralyſi junctus, qui in latus quoque ſiniſtrum tranſiit cum febre & ſudore inſigni ſtipatus, à quo tamen nullum prorſus levamen ſenſit uti etiam ſenſus partium inferiorum adeo abolitus erat, ut à clyſtere plus una vice applicato nullum prorſus perciperet. Quæ ſymptomata per 6. circiter, ſeptimanas duravere, præter quod medicamentis tam externis quam etiam internis malum hoc mitigari, multo minus tolli potuerit, quin potius gangræna utrique femori ſuperveniente, & omnibus in caſſum adhibitis æger fatis ceſſerit,

rit. Cadavere præsentibus Experientissimis supra memorati Nosocomii Dn. Medicis ordinariis à *Dn. le Maire* aperto intestina collapsa reperiebantur, præ aliis colon in medio atque circa finem; è contrario ejus initium 4. vel 5. pollicum longitudine multum dilatatum vesicam veluti referebat. Præter quod vesicula fellea bilem paucam fusco-nigricantem in sinu aluerat, hæpar ordinario pallidius, & lien solito major colore atro conspiciebatur; musculi psoas sphacelati atque veluti putrefacti, & ligamenta, quæ lumborum vertebras colligare invicem debent, haud parum relaxata observabantur. Postquam prima lumborum vertebra ab ultima dorsi separata fuerat, medulla oblongata bene se habuit, præter quod paulo magis quam superius turgebat, inter secundam vero & tertiam vertebram ejusdem medullæ substantia ordinario plus rubicunda, nec non tota quanta flaccida & exsucca reperiebatur, omnique nutrimento privata, & adeo collapsa, ut interius posticæ vertebræ parti, qua apophyses spinatæ annexæ alias sunt, veluti agglutinata, inque cavo ejus notabile spatium à dicta medulla relictum fuerit.

Paucis hebdomadibus post miles legionis pedestris, cui Seren. *Princeps Du Pont* præest, quadragesimo ætatis anno eodem morbo confectus interiit, iisdem quoque Symptomatibus initio morbi & toto ipsius decursu correptus, nisi quod affectus paralyticus paulo fortior erat, & cubitum etiam occupaverat. Viscera abdominis eodem modo sese habebant, pariter medulla oblongata, quæ in cavo ultimæ dorsi vertebræ bene nutrita & humore perfusa conspiciebatur. Inter primam vero & secundam lumborum vertebram medulla pariter omni succo nutritio aliove humore destituta eodem prorsus modo, quo in priore casu exsucca plane apparuit; atque ita se offerebat in omnibus lumborum vertebris, quæ ut dictæ medullæ status in oculos magis incurreret, distractæ sunt. Cerebri substantia firma erat, & consistentiæ paulo durioris, ventriculi nihil serositatis in sinu suo alebant, glan-

dulæ plexus choroidis, qui totus quantus exſiccatus pariter erat, collapſæ & vix conſpicuæ. E contrario è capite à colli vertebris ſeparato multum lymphæ ſeu ſeri inſtar aquæ limpidi effluxit. Cauſam horum affectuum proximam medullæ ſpinalis deſiccationem fuiſſe, inſpectio ocularis manifeſte docuit, adeo ut nullum hac de re dubium ſuperſit. Uti etiam conjectu facile eſt, influxus ſucci nervei defectum tanquam cauſam remotiorem accuſandum hic eſſe. Qua vero de cauſa hic ſuccus defecerit paucis explicandum. Nullum corpus heterogeneum exterius medullam comprimens e. g. vertebra loco mota &c. neque aliud hunc affectum producens αυτοψία Anatomica monſtravit, quin potius, quia ſupra illam partem, quæ præt. n. ita conſtituta erat, paulo magis quam alibi turgere viſa eſt medulla, non obſcurum obſtructionis indicium inde deſumi poteſt, qualem circa nervorum origines ſæpius fieri inculcat. *Jo. de Muralto E. N. C. Dec. II. Ann. 8. Obſ. 9.* ubi & prolixum cauſarum, à quibus paralyſis ſubinde oritur, catalogum nexuit. A qua effectum utique eſt, ut ſæpius allegatus ſuccus præcluſo aditu & denegato influxu partes inferiores irrigare, iisque ſenſum pariter ac motum conciliare haud potuerit. Unde etiam factum, ut in ſuperiore medullæ parte idem ſuccus paulo majore in copia ſtagnarit, & remoto à reliquo trunco capite effluxerit. Cur vero cerebri ventriculi à ſeroſitatibus vacui fuerint, non æque patet. Sed quod maximam conſiderationem meretur, eſt, quod p. n. hic medullæ ſpinalis ſtatus ſeu exſiccatio non ſenſim ſenſimque, ſed velut ex abrupto contigerit, ita quidem ut illa ejus portio, quæ in ultimæ dorſi vertebræ cavo continebatur, ſucculenta, quæ vero in primo vel ſecundo lumborum ſpondylo iſti proxime continua erat, tota quanta exſucca fuerit & flaccida.

Poſita hac medullæ ſpinalis notabili obſtructione, & deficiente ſucci nervei influxu extremitatum inferiorum paralyſis, urinæ ſuppreſſio, alvi conſtipatio, femoris & tibiæ

ſtupor

stupor atque superveniens gangræna facile inde deducuntur. Tonum quippe partium maxime musculosarum à nervorum tensione provenire & vi contrarii hac labefactata illum vigere neutiquam posse constat; Sic & quia partes inferiores, sive extremitates fuerint, sive viscera in cavitate, quam pelvim vocant, locata, ab inferiore medullæ spinalis sede, & speciatim à lumbaribus & illis ossis sacri nervos suos accipiunt, dictas partes hoc morbo præ aliis correptas esse facile concipitur. Quippe non solum musculi pedem moventes inde affecti, id quod Psoas putrefactio atque sideratio post mortem reperta satis clare ostendit, sed & tunicæ intestini recti musculosæ, & illius vesicæ, Anatomicis depulsor urinæ dictæ actio læsa fuit, unde factum, ut neque illa fæces alvinas eliminare, neque hæc urinam expellere potis esset, quare alvi constipatio æque ac urinæ suppressio non potuit non supervenire. Neque motus tantum, sed & sensus maxima ex parte periit, unde nullus plane à clystere applicato perceptus. Porro malum in fundo vesicæ non substitit, sed ulterius pergens musculum colli, sphincterem vocatum in consensum traxit, hinc eo pariter relaxato lotium in cavo hoc viscere retineri non potuit, sed præter voluntatem subinde exstillavit donec tandem influxu succi nervei in utrumque femur plane impedito gangræna seu mors partialis supervenerit. Quin & ipsa ligamenta, quæ vertebras lumbares inter se colligant, ab eadem caussa relaxata fuisse avtopsia post mortem docuit. Quod vero in regione lumbari infra costas spurias constrictionem absque tamen dolore æger sensit, ac si chorda vel ligamento quodam circulari abdomen constringeretur, inde ortum esse videtur, quod circa finem vertebrarum dorsalium obstructio magis quam alibi fuerit, aut saltem eo in loco natales suos habuerit, unde factum ut supra allegatus succus nerveus ulterius pergere non valens hoc in loco veluti stagnarit, & ad latera se diffundens majori in copia in nervos dorsales inferiores penetrarit, ibique sensum illum tensivum

ſivum & veluti conſtrictorium excitaverit, tali modo perceptum, qualem hi nervi decurſum circa hypochondria, nempe ſegmentum circuli deſcribentem & abdomen veluti cingulum ambientem habent. Inteſtina collapſa erant ob eorundem tonum inſigniter labefactatum, præ aliis colon ita ſe exhibebat, quia in illo reliquis ampliore hæc ſubſidentia manifeſtius apparuit. Quod vero idem circa initium valde dilatatum veſicam veluti referebat, flatibus adſcribendum eſſe cenſeo, qui ſurſum propulſi & ultra valvulam coli progredi non valentes hoc inteſtinum atonia laborans ita diſtendebant. Dolores rhevmaticos, qui paralyſin præceſſerunt, quod attinet, illi natales ſuos pravæ humorum in partibus affectis ſtagnantium diatheſi procul dubio debuerunt, à qua p. n. ſucci nervei diſpoſitio non inepte forſan derivatur. Præeuntem hac in re habeo *Rich. Mortonum* qui *Proleg. Pyretolog.* à vitiata liquorum craſi ſpirituoſas ſimul affici varieque alterari probatum ivit.

(*Argentorato Auguſtam Vind. d. 21. Jan. 1723 miſſa.*)

OBSERVATIO CIII.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Coſtarum à ſterno ſeparatarum coalitus novus, Coli in inteſtinum rectum prolapſus.

COſtas carie exeſas à cartilaginibus ſterni ſeparatas in Scorbuticis adhuc viventibus attactus, & in demortuis non paucis viſus aliquoties docuit: ſemel autem ſeparatas de novo coaluiſſe rarius obſervatum fuit. Decubuit ante aliquot annos in Noſocomio militari Miles gregarius ex febre continua cum dolore notabili in regione connexionis

xionis costarum cum sterno, cujus cartilagines costis eminentiores apparebant, & à costis divulsæ mediante tactu dignoscebantur: & quamvis remittente febre dolor prædictus minui costæque sterno rursus jungi videretur, languor tamen totius corporis cum anorexia remanebant, donec accedente abdominis tumore dolorifico, post 6. hebdomadum decubitum mors miseræ vitæ finem imponeret. Examinatum culto anatomico cadaver costas cum sterno ope cartilaginum de novo superaccrescentium consolidatas monstravit, relictis tamen hinc inde pristinæ cariei levioribus vestigiis. Pulmones solito flaccidiores erant, pericardium sero turgidum: vasa cordis majora polypis crassis, longis, duriusculis infarcta. Ex abdomine inciso serum turbidum quasi pure mixtum copiosum effluebat. Ventriculus conspiciebatur flatibus valde distentus omentum inflammatum, reliqua viscera sic satis sana videbantur. Notabilis autem Coli in intestinum rectum prolapsus seu devolutio ad spithamæ longitudinem observabatur.

OBSERVATIO CIV.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Scorbutici Ulcera sinuosa varia.

INfensissimum illum maris accolis hostem Scorbutum partibus corporis humani fluidis æque ac solidis & inter has duris pariter & mollibus minime parcere plurimæ Practicorum observationes docent, quibus sequentem addere placet, Militis scilicet Norvagi, qui Medico æque ac Chirurgo Nosodochii militaris per 9. mensium spatium non parum negotii facessit. Ex febre continua admodum debilis & ex tibiarum exulceratione scorbutica valde miser in principio decubuit. Durante adhuc febre circa claviculam dextram, ubi

sterno

ſterno jungitur, tuberculum apparuit abſceſſum minitans, quod ruptum in fiſtuloſum ulcus intra ſternum & claviculam in cavitatem thoracis penetrans evaſit. Similis tumor ſucceſſu temporis ſe monſtravit in ſummitate femoris dextri verſus perinæum, in abſceſſum ſinuoſum pariter degenerans. Subinde convaleſcere viſus æger brevi poſt in priſtinum morbum relapſus, tandem ſumme languidus & emaciatus, vix oſſibus hærens, diem obiit ſupremum.

In Cadaveris examine ſtatim in conſpectum prodiit ſternum in parte ſuperiori trium digitorum latitudine carie exeſum, clavicula utraque inprimis autem dextra plane carioſa cum adjacentibus ſinuoſis ulceribus. Abſceſſus femoris ad inteſtinum rectum usque penetrabat, pluribus ſinubus conſtans gangræna tactis. Pulmonum lobi à pleura vix ſeparabiles, ſiniſter flaccidus, dexter ichore & ſanguine atro infarctus.

Hepar ponderoſum, durum diaphragmati & peritonæo firmiſſime coalitum, æque ac lien, veſicula fellis inanis reperiebatur. Glandulæ meſenterii duræ, inflammatæ, nonnullæ abſceſſum minitantes: inteſtina, rectum præcipue & colon gangrænæ proxima; renes flaccidi & pallidi conſpiciebantur.

OBSERVATIO CV.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Cachecticus cum carie ulceroſa brachii, manus & genu.

ANtecedentis obſervationis effatum & hæc quæ ſequitur, confirmare poteſt. Miles alius ulcere manus & brachii ſiniſtri magno ſinuoſo gangrænam minitante, à priori Chirurgo male tractato per 3. menſes jam afflictus Noſocomio adſcriptus ibidem miſeram vitam per trimeſtre, tuſſi

& ca-

& cachexia vexatus. Vix elapſa à morte hora diſſectum cadaver contra ſententiam eorum, qui polyporum cordis exiſtentiam in viventibus negant, in hujus Cordis vaſis non levia horum indicia conſpiciebantur. Utraque thoracis cavitas ſero multo repleta, pulmo dextri lateris ſero & ſanguine turgidus, duriuſculus, viciniæ ubique fere connexus, pericardium à copia ſeri diſtentum, viſcera vero abdominis ſic ſatis ſana videbantur, niſi quod glandulæ omnes magnæ induratæque erant, inprimis ubi venæ cavæ adjacebant. Brachium ſiniſtrum ichore turgidum, oſſa carpi cum radio & ulna carioſa: circa genu in capite oſſis tibiæ profunda caries, profundus quoque circa axillam ſiniſtram ſinus reperiebantur.

OBSERVATIO CVI.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Parotides exulceratæ cum Vomicis pulmonum & Meſenterii.

GLandularum colli indurationes ſæpiſſime partium internarum ſimiles infarctus & abſceſſus latentes indicare ſectio cadaverum non ſemel docuit. Intravit ſub finem Noſocomium miles gregarius, poſtquam per 4. menſes jam tumore parotidum & glandularum colli lateris ſiniſtri duro, magno, exulcerato & ſinuoſo laboraſſet, ibique per 4. menſes adhuc decubuit. Hujus cadaver diſſectum videnda præbuit ſequentia.

Ab aure ſiniſtra per totum collum ad claviculam usque exporrectos tumores ulceratos ſubſtantia ſebacea notabiles: in cavitate thoracis ſerum copioſum, pulmones variis in locis pleuræ adnatos ac tuberculis plurimis immaturis ſimili materia ſebacea indurata infarctis repletos: in abdomine veſiculam fellis inanem, flaccidam, hepar fuſcum, duriuſculum, lienem

putrilaginosum, pancreas induratum, glandulas mesenterii crassas, abscessibus immaturis non adeo parvis refertas.

OBSERVATIO CVII.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Empyema cum sanguine intra pericardium extravasato.

MIles febre continua cum dolore lateris punctorio, pulsu forti, asthmate & tussi laborans, aucta indies respirandi difficultate & impotentia decubitus in latere sinistro, post 14. dierum decubitum in Nosocomio fatis cessit. Cadavere aperto ex cavitate thoracis dextra incredibilis fere copia puris crassi ad flavedinem vergentis pondere 7. librarum effluxit, pulmone ejusdem lateris ultra medietatem consumto, oppositi lateris lobo penitus inflammato. Pericardium plusquam sedecim uncias sanguinis extravasati includebat. Cordis substantia lamellis quasi ex sanguine congrumato progenitis circumdabatur, in ventriculis cordis polyposæ concretiones non exiguæ abscondebantur. In abdomine præter hepar & intestina tenuia inflammata nil extraordinarii observabatur.

OBSERVATIO CVIII.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Lienteria ex abscessu Mesenterii magno.

LAnguidus ex Lienteria diuturna Miles sub initium mensis Aprilis Nosodochium petit, sed auctis usque & usque abdominis circa umbilicum torminibus & perseverante alvi fluxu, quam primum cibum vel potum assumeret, remediis quibuscunque incassum adhibitis summe emaciatus ineunte

te Junio moritur. In hujus cadavere præter pulmonis lobum dextrum viciniæ adnatum & copioſo ſero turgidum, lienem marcidum & veſiculam fellis inanem notabilis reperiebat, Abſceſſus ſteatomatoſus pugni virilis magnitudinem ſuperans, durus, compactus in parte poſtica meſenterii, ubi vertebris lumbaribus annectitur ſitus, vaſa majora illius loci circumdans, induratione reliquarum meſenterii glandularum comitatus. Simile quid in caſu ſequenti occurrit.

Per 4. circiter menſes in Noſodochio decubuit miles de ventriculi & abdominis doloribus valde moleſtis cum aſthmate, tuſſi & facie cachectica conqueſtus, quibus malis tandem diarrhæa letalis accedens finem impoſuit. Examinatum à morte cadaver monſtravit Pulmonis lobum ſiniſtrum dorſum verſus inflammatum, dextrum ſemiputridum ac vicinis partibus adnatum: peritonæum ab inteſtinis & omento, quæ plurimis abſceſſibus ſteamatoſis ſcatebant, vix ſeparabile, ſimilia tabernacula in meſenterio & liene, qui ſemiputris intus quoque talia ſtigmata flava exhibebat: inteſtina omnia ſibi invicem valde connexa: omentum in iſtiusmodi tubercula craſſa fere mutatum: hepar coloris obſcuri, veſicam urinariam tribus circiter libris urinæ valde diſtentam.

OBSERVATIO CIX.

DN. D. HIERONYMI LAUBII.

Aortæ oſſeſcentia in ſene Apoplectico.

NAuta ſexagenario major, ſtatura brevis, habitu corporis obeſus, aſthmate ſcorbutico gravi cum tuſſi, oculis rubentibus & genis ex fuſco purpureis afflictus, è claſſe Regia ad Noſocomium menſe Decembri mittitur, ibique per totam fere hiemem decumbens aſthmate, tuſſi ac maculis faciei deformibus pene liberatus ſuam à ſervitio nautico dimiſſio-

nem ob senii infirmitatem expectans, ac reditum in patriam meditatus subito Apoplexia corripitur & eadem vespera moritur. Altera à morte die cadaver dissectum faciem cœruleo ad atrum vergente colore tinctam & inflatam externe monstravit. Cerebro denudato, vasa plexus choroidei turgidula & ventriculus cerebri quartus sanguine nigerrimo repletus subitaneæ mortis causam detexerunt: pulmones præterea & venæ subclaviæ sanguine tumentes, cor pinguedine occultatum reperiebatur, Sanguis in auricula sinistra, ubique tamen fluidus inveniebatur. Aortæ initium ad primum attactum cartilagineum propius examinatum supra valvulas semilunares interius frustula vel lamellas osseas conspiciendas & tangendas præbuit.

(*Hafniæ August. Vind. d. 14. Februar. A. 1728. missa.*)

OBSERVATIO CX.

DN. D. JOHANNIS CHRISTIANI KUNDMANNI.

Gemmæ quædam figuratæ.

IN fingendis statuis & lapidibus scalpendis ars, cum naturæ manus auxiliatrices commodavit, sæpenumero artificiosissima pulcherrimaque orbi exhibuit opera: Ut ego *Berolini* & inprimis *Saltzthalii* prope *Guelferbytum* nudas quasdam statuas me videre memini, ubi venas cœruleas sanguinem per corpus diffundentes tam affabre in candido marmore artifex expresserat, ut naturales easque paululum eminentes sic satis accurate imitarentur. Inter rariora promtuarii mei rerum naturalium numero, insigne opus naturæ & artis in Christo cruci affixo, ex murice maximo Americano elaboratum; ubi totum corpus albidum, pectus vero ex lineolis in circulum

ductis


ductis rubrum & quasi flagellis & virgis cæsum apparet, brachia & crura itidem paululum superius rubent, quæ umbram indicant clavisque adamantibus ornatis ligno firmantur, quod pluribus descripsi, *in Collectione Vratislaviensi eventuum Physico-Medicorum Tentam. XX. An. 1722. Mens. Majo Class. IV. Art. X. pag. 499. seqq. it. in Promptuario meo rerum naturalium & artificialium Sect. IV. Class. I. Art. I. p. 303.*

Græci pariter & Romani jam suo tempore, summa industria ac arte, Onychas ex stratis diversicoloribus constantes, & alias quoque gemmas opere cælato ita scalpere studebant, ut, quæ plerumque in illis videbantur capita, colore essent diverso ab areà, in qua exstabant. Talium ego aliquot quibus libet possum ostendere à lentis magnitudine usque ad latitudinem duorum pollicum in quibus neque ars neque pulchritudo desideratur. Magnum autem Onychem, ubi leo luculenta scalptus cælatura equum dilaniat, qui colore aureo, area autem prasino comparet, possidet hic loci *Illustriss. Comes de Hatzfeld*, & Sardonyx maxima in qua figuræ rubræ, area vero alba est, festum Bacchi repræsentans, descr. & delin. *in Actis Erudit. Lipsiensibus An. 1728. Mens. Januar. Tab. I. pag. 6.*

Sed in majori adhuc pretio sunt habendi lapides illi, in quibus natura sola, ut dicunt, quid effigiavit. In marmoribus & silicibus pulcherrima hujus generis dantur exempla. *Ulysses Aldrovandus in Museo metallico Lib. IV. p 446.* lapillum cum accurata effigie avis describit; itemque *pag. 528.* tres silices, in quarum una crux, gladius & virga, in reliquis duabus crux cum Insignibus Burgundicis est expressa, & *pag. 726.* usque ad *pag. 729.* delineare plures pergit ac describere, in quibus varii generis animalia hominesque fuerunt efformati. Et hos quidem lapides sequuntur marmora, in quibus imago Johannis Baptistæ, *pag. 757.* monachi, *pag. 758.* Christi crucifixi conspicitur; quibus usque ad *pag. 763.* variæ adhuc figuræ animalium sunt adjunctæ. *Kircherus in mundo subter. Tom II. Lib. VIII. Sect. sol. 31. seqq.* imagines Mariæ aliasque in marmoribus

repræsentat sicut *& Miscell. Natur. Curios. Dec. I. An. 1. Obs. CXII. pag. 263.* in Schol. de lapidibus singulari modo figuratis agunt. *Libavius Tract. de Bituminibus Schol. ad Cap. XXXV. pag. 703. Jonstonus in Thaumatograph. Sect. IV. Cap. XVII. Eras. Francisci in Ost-und West-Ind. Lust-Garten pag. 163. Mylius in memorabil. Saxon. subterr. fol. 47. 50. 74. seqq. Hermannus in Maslographia Tab. XIII. pag. 227. Valentini in Mus. Museor. Helvvigius in Lithographia Angerburgic. Cl. II. Sect. I. pag. 54. Tab. VI. it. XI. Petr. Janichius in Meletematibus Thorunensibus Tom. I. pag. 77. seq. & complures alii* non pauca hujus rei exempla subministrant. Ut marmora Florentina in quibus arces turritæ varii generis aliaque palatia sunt effigiata *(vid. Wormius in Mus. pag. 44.)* & Dendritas ejusdem loci s. Veronenses *(vid. Ferrand. Imperatus Hist. Natural. Lib. XXIV. p. 578.)* sicco pede prætereamus.

Verum autem verò, quod ad gemmas attinet, cum non æque facile, ac lapides præcedentes penetrationem admittant, atque ab effluviis & succis minerabilibus colorem ducere, variasque figuras exhibere possunt, rarior sane illarum est ratio. Equidem jam ex antiquissima temporum memoria scriptis *(vid. Plinius Hist. Natural. Lib. XXXVII.)* laudatur annulus, quem Rex *Pyrrhus* digito gestavit, ubi in Achate novem Musæ tam eleganter effigiatæ fuisse dicuntur, ut suum quæque insigne habuerit, & Apollo cum cithara in medio conspici potuerit; quem verò *Kircherus in mundo subter. Tom. II. Lib. VIII. fol. 41.* arte factum esse contendit. Quemadmodum paucis ab hinc annis in Relationibus publicis multa jactabantur de Achate Bipontino, in quo tres coronæ Sveciæ sub nube comparuerunt, quasi à natura sic fuissent efformatæ, cum verò tota res accuratius lustraretur, isthæc omnia per artem fuisse facta deprehensum est. *(vid. Valentini Musei Museor. Part. II. Cap. VIII. §. 1. pag. 53.)* In quo quidem genere etiam viri harum artium, periti mihi confirmaverunt, Achatæ & Chalcedonio, modo uterque esset purus & careret fibris, quaslibet velle se im-


TAB. X.
Observ. CX. pag. 247

imprimere figuras adeo ſcite, ut nemo fictas eas eſſe ſit intellecturus. Uti & de pretioſiſſima patera ex Achate, quæ Viennæ aſſervatur, cui nomen & officium JESU CHRISTI Salvatoris inſcriptum eſt, (*Vid. Lambecius Tom. I. Biblioth. Vindebonenſ. it. Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. 1. Obſ. CXII. pag. 263.*) jam non amplius usque adeo præciſe negatur, naturam ab arte adjutam fuiſſe.

Hæc ut præmitterem, anſam dederunt pauculæ collectæ gemmæ à natura figuratæ, quas æquiparare poſſum cum illis, quæ ab *Anshelmo Boëtio in Hiſt. Gem. & Lapid. Cap. XXXVII. it. Cap. XCV, & CIII.* deſcripta, vel ab *Ulyſſ. Aldrovando in Muſ. Metall. pag. 107. ſeqq. Joh. de Laët de Gemm. & Lapid. Lib. 1. cap. XVII. pag. 66. Bohusl. Balbino in Miſcell. Hiſtor. Regn. Bohemiæ Lib. I. Cap. VI. pag. 22. it. pag. 87. Joh. Dan. Geiero de montibus conchiferis Tract. 1. §. 14. pag. 15. Frid. Lachmundo Oryctogr. Hildesheimenſ. in Præfat. Hier. Velſchius Obſ. Phyſ. Medic. Hecatoſt. 1. Obſ. XXII. pag. 27. & 34. it. Obſ. XLII. pag. 57. Joh. Eberh. Rumphio in Amboin. Rarit. Kam. pag. 289. Mich. Bernh. Valentini in Muſ. Muſeor. Part. II. Cap. VIII. pag. 51. ſeqq. Caſp. Gotthold Jentſch Diſſ. de Gemmis p. 19. ſeqq. aliisque* delineatæ fuerunt ac deſcriptæ. At certe hoc affirmare non dubito, maximam partem eas ex gemmis Sileſiaſticis, Bohemicis Hungaricisque ductu meo eſſe expolitas atque lævigatas, adeoque tanto minus dubitandum, quin à ſola, ut vocant, ludente natura dependeant. Sic in TAB. VIII.

Num. 1. 2. 3. 4. 5. ſunt candidi Achatæ in quibus nigræ fuſcæque arbuſculæ & frutices ſubjiciuntur oculis, quales *Rumphius in Gazoph. Rar. Amb. Tab. LV. pag. 287.* delineavit deſcripſitque, præterquam quod *Num. 5.* quiddam ſingulare præ ſe fert: Gemma eſt ſublutea, vel, ut alias vocatur, Cerachates, ubi natura Carduum nigrum floribus croceis tam ſcite expreſſit, ut non facile quis ſimilem alibi ſit reperturus; it. *Num. 4.* ubi arbuſculæ, velut in tabula campi aut agri depicti fieri ſolet, pulcherrimo proſpectu oculis intuentium ſeſe per umbras ſubducunt.

ducunt. Et omnino Dendrachatarum aliarumque gemmarum in quibus apparent arbusculæ, singularis est ratio; namque Italus doctissimus, *Imperatus* (Hist. Nat. Lib. XXIV. pag. 578.) per calcinationem illas exurendo è lapidibus prorsus delevit; & hic *Vratislaviæ* Medicus longe celeberrimus Dn. D. *Schultzius* testatur, nigras arbusculas, cum radendo ipsas inde extraxisset, prunisque candentibus injecisset, fumum visibilem atque odorem bituminosum sparsisse; ex quo collegerunt, illas non aliunde nasci, nisi è succo quodam subterraneo bituminoso pariter ac sulphureo, qui lapides hosce molliores ita penetret, ut ejusmodi figuræ denique conspici possint, (*conf. Miscell. Natur. Curios. Dec. III. An. V. & VI. in append.* In gemmis ob insignem duritiem locum non habet ista penetratio; hinc & arbusculæ, (ut egomet ipse hujus rei experimentum feci,) nullo modo exinde deleri possunt.

Num. 6. Est albus Achates in quo caput Romanum flavi coloris laureatum pulcherrima forma conspicitur; sicut

Num 7. In Sarda sublutea, caput, quod hic æri est incisum comparet.

Ex Num. 8. nudum fingere æthiopen licet, qui dorso nescio quid gestat, à parte vero antica fasciculum tabaci convoluti tenet; lapis est albus, at effigies in eo tam atra, quam carbo.

Num. 9. est Cardites vel Jaspis candior ubi cor sanguinei coloris, ab utroque latere cernitur.

Num. 10. Est Sarda eximiæ magnitudinis, duabus, alba scilicet & nigra, insignita lineis juxta sese invicem in accuratam rotunditatem ductis, quasi circino essent descriptæ. (*conf. Georg. Agricolam de Natura fossil. Libr. VI. Cap. XXVI. p. 612.*

Num. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Sunt Onyches coloris cornei, albis nigrisque maculis rotundis & circulis notati, quales *Joh. de Laët. de Gem. & Lapid. Lib. I. Cap. XVIII. pag. 68. & 69. it. Ul. Aldrovandus in Mus. Metall. Lib. IV. Tab. I. & II. p. 918.* delineavit atque descripsit.

Num.

Num. 26 Eſt Jaſpis multicolor, in qua faſcia lutea, ſive faſcia repens tam ſupra quam infra habens fimbriam nigram, ſitum venarum metallicarum in terra demonſtrat.

Num. 27. Cepitæ (alias Tuinſteen) apud *Rumphium* admodum ſimilis videtur. *vid. ejusd. Gazoph. Rar. Amboin. Lib. III. cap. XLIV. Tab. LVI.*

Num. 28. Eſt albus Chalcedonius pellucidus pulcherrimo quadrato, lineis coloris lactei deſcripto, ornatus *Conf. Georg. Agricolæ Tract. de natur. foſſil. Lib. V. Cap. pag. 532.*

Num. 29. Eſt Sardonyx coloris cornei, in quo alternatim rubro luteoque colore translucentes ſtriæ conſpiciuntur, & quaſi bicolor tentorium egregiè repræſentant, in medio cujus pertica rubra cœruleo globo eſt ornata.

Num. 30. 31. Sunt Jaſpides roſei coloris, albis faſciis & lineis ita diſtinctæ, ut partem propugnaculi ſatis accurate referant.

Num 32. 33. Eſt Sardonyx coloris ex rubro albicantis, diſtinctus lineis albis perquam ſubtilibus, quæ ab una parte pentagonum ab altera hexagonum formant.

Num. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43 Sardonyches ſunt inuſitatæ pulchritudinis, in quibus vel caſtella integra, vel ſaltim partes propugnaculorum cum lineis circum & contra vallum ductis, per albas, rubras & luteas lineas exhibentur.

Num. 44. Eſt lapis pellucidus, isque admodum ſpecioſus cum flexuris coloris herbei profundius impreſſis, quem ideo Scolopendritem appellamus, quod ad ſimilitudinem accedit ejus, quem *Joh. de Laët de Gem. & Lap. Lib. II. Cap. XXVIII. pag. 176.* ita appellavit deſcripſitque.

Num. 45. Ex his habeo cineream & ſubviridem valde duram Jaſpidem cum nigra cruce, haud abſimilem illi, quæ delineata eſt *in Joh. Laëtii l. c. Lib. I. Cap. XXII. pag. 81. conf. Miſcell. Nat. Curioſ. An. 1. Dec. 1. Obſ. CXVI. p. 270.*

Num. 46. Hujusmodi Aſtroitarum poſſideo diverſos, qui vero nonniſi magnitudine quantum ad ſtellulas attinet inter ſe differunt : cum igitur illi admodum ſint ſpecioſi, eosque *Anſ. Boëtius de Boot in Hiſt. Gem. & Lapid. Lib. II. Cap. CXLV. pag. 297.* inter gemmas retulerit, & mox quoque copioſè deſcripſerit delineaveritque, locum ipſis hic denegare non potui.

Num. 47. Ad ſpeciem præcedentium omnino accedit, præterquam quod ſtellarum loco roſæ inibi conſpiciantur, cujus generis & aliquot ego monſtrare poſſum in quibus roſæ ſunt admodum parvæ *vid. Joh. de Laët. in libro ſæpe citato de Gem. & Lap. Lib. II. Cap. 1. p. 97.*

Num. 48. Eſt lapis pellucidus coloris cornei cum macula alba totum pervadente, qui ejusdem generis hexagonum repræſentat.

Num. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. Sunt Chalcedonii pellucidi, ubi lineæ albæ & cinereæ admodum ſubtiles alternatim poſitæ caſtella referunt, quales *Ul. Aldrovandus Muſ. Met. Lib. IV. pag. 920.* & ſæpè laudatus *Rumphius in* Gazoph. *Rar. Amboin. Tab. LVI. Lit. A. B. C. D. E. F. pag. 288.* delineavit atque deſcripſit.

Num. 57. Eſt Jaſpis albidi coloris cum circulo & area in medio purpurea.

Num. 58. Eſt Sarda Perſica pulchrè rubens, in qua lineæ albæ figuram hic delineatam exhibent.

At enimverò omnes hoſce lapides longiſſime ſuperant ſequentes V. gemmæ memoratu digniſſimæ : Prior eſt Chalcedonius glaucinus eximiæ magnitudinis, ubi lineis albis nigrisque in uno latere figura, qualis *num. 58.* in altero, qualis 59. cernitur.

Num. 60. Eſt Onyx cornei coloris elegantiſſima faſciis lineisque albis, fuſcis & aureis ita circumducta ut propugnaculum efforment.

Num.

Num. 61. Eſt Achates albus cum muſco corallino rubro immenſo, qualem deſcr. *Georg. Baglivus Oper. Diſſ. V. § 8. pag. m 501.* & delineavit *Ulyſſ. Aldrovandus in Muſ. Metall. Lib. IV. Tab. I. num. 2. p. 908.*

Num. 62. Eſt Cochlear ex Achate albo, quod hic loci *Generoſ. Dn. à* Löwenſtädt, poſſidet, in qua aranea vividiſſimo rubore eſt effigiata, cujusmodi etiam *Dn. D. Spenerus* Berolini poſſedit (*vid. Catalogus poſt mortem ipſius typis impreſſus pag 29.*) Sicut & *Dn. Rumphius* album deſcripſit Achatem, propè urbem Surattam in montibus Indiæ Orientalis, ubi ſpeciatim vocatur Indoſtan, inventum, in quo muſca, pice nigrior, ſimili ratione fuit conſpecta. (*vid. Gazophyl. Rar. Amboin. Lib. III. pag. 287.*)

SCHOLION.

OCcaſione gemmarum antedictarum figuratarum non poſſum non cum benevolo lectore communicare gemmas varias, cum figuris Ægyptiorum hieroglyphicis, quæ in *Mumia Gothana*, à Dn. Chriſtiano Herzogio, Pharmacopœo Aulico & Orphanotrophii Gothani inventæ & in Mumiographia Medica Germanico primum mox & Gallico idiomate deſcriptæ ſunt. Genuinam ſc. & minus adulteratam Mumiam deſiderans, A. 1715. magnis licet ſumptibus eandem ex Ægypto per Angliam & Hamburgum obtinuit, ſed absque capite & cruribus. Mumia hæc 1¾. uln. longa, unguibus in digitis manuum & pedum inauratis gaudens, ſexus ſequioris erat, quales genuinæ (quibus maritorum cineres in urna appoſiti junguntur) utplurimum ſunt. Sub brachiis ultra LXX. inveniebantur gemmæ variarum figurarum raræ non minus quam curioſæ. Sperans ergo fore ut & capitis & crurium ſimul particeps fieret, nepotem ſuum, *Dn. Vockerod*, J. U. Cand. in quamplurima Emporia ad aromatarios, quos Materialiſtas vocant, ablegavit, nullus dubitans & in ca-

 pite

pite similes gemmas se inventurum esse. Gissam nostram transiens meumque de mumia hac judicium desiderans gemmas inventas & arculæ inclusas insimul ostendebat, cum delineatione, descriptione & pondere illarum, quæ è seq. Schemate & TAB. IX. observari poterunt.

JUDICIUM
De
GEMMIS IN MUMIA GENUINA GOTHANA INVENTIS,


à Gemmariis quibusdam impertitum.

Num.	*Figura.*	*Substantia.*	*Pondus.*
1	Isis	Lapis Lazuli rarissimus.	xi. gran.
2	Isis	Idem.	9. gran.
3	Isis	Idem.	19. gran.
4	Horus	Lapis Nephriticus ex optimis.	26. gran.
5	Harpocrates	Vitrum factit. opt. & ignotum.	30. gr. c. dimid.
6	Idem	Idem.	22. gran.
7	Canopus	Species Jaspidis.	17. gran.
8	Apis	Jaspis subviridis cum striis rubris.	32. gran.
9	Idem	Jaspis.	15. gran.
10	Idem	Jaspis alb. nig. punctis præditus.	30. gran.
11	Idem	Jaspis rarissimus ex viridi niger.	25. gran.
12	Idem.	Factitium quid ut videtur.	26. gran.
13	Similiter	Jaspis nigricans.	44. gran.
14	Similiter	Lapis Nephriticus.	12. gran.
15	Similiter	Lapis nigricans.	16. gran.
16	Similiter	Lapis Laz. intersp. punctis aureis.	12. gran.

Num.

TAB. VIIII.
Obs. CX Schol. p. 252.

Imagines Hieroglyphicæ, in Mumia Aegypt. repertæ.



Num.	*Figura.*	*Subſtantia.*	*Pondus.*
17	Similiter	Jaſpis ex viridi niger pretioſiſſ.	34. gran.
18	Similiter	Jaſpis punctis albis & nigris.	26. gran.
19	Similiter	Marmor alb. ſ. alabaſt. durius.	22. gran.
20	Rana	Viridiſſ. jaſpis, pretioſiſſimus.	20. gran.
21	Rana	Lapis nephriticus.	17. gran.
22	Oſyris	Marmor nigrigans.	53. gran.
23	Oſyris	Lapis nephriticus.	35 .gran.
24	Similiter	Jaſpis non infimæ ſortis.	29. gran.
25	Similiter	Lap. Laz. optim. ex Armenia.	24. gran.
26	Similiter	Jaſpis nigr., cum flammula auri puri rariſſ.	46. gran.
27	Tabula vacua	Lap. nephriticus.	22. gran.
28	Similiter	Jaſpis è viridi nigricans rariſſ.	32. gran.
29	Amulet. piſciforme	Jaſpis nigricans purus.	60. gran.
30	Similiter	Marmor albicans.	21. gran.
31	Am. piſcifor.	Marmor ex viridi nigricans.	37. gran.
32	Amulet. aliud	Marmor albicans.	32. gran.
33	Tabula	Jaſpis ex viridi nigricans.	19. gran.
34	Vas Niloticũ	Lapis lazuli.	11. gr. $\frac{1}{2}$.
35	Spatha	Marmor nigricans.	17. gran.
36	Similiter	Similiter.	49. gran.
37	Vas Niloticũ	Jaſpis ex viridi nigricans.	22. gran.
38	Similiter	Lapis nephriticus.	28. gran.
39	Vas Niloticũ	Jaſpis ex viridi niger.	21. gran.
40	Columna Iſid.	Lap. lazuli c. ſtriis ær.	16. gran.
41	Col. Iſiaca	Marm. nigr. ſed pretioſum.	27$\frac{1}{2}$. gr.
42	Similiter	Jaſpis ex fuſco nigricans.	11. gran.
43	Similiter	Factitium quid, uti num. 5. 6.	30. gran.
44	Similiter	Lap. Lazuli.	18. gran.
45	Altare	Jaſp. nig. pur. uti num. 26.	27. gran.
46	Altare	Marm. nigricans.	15. gr. $\frac{1}{2}$.

Num.	*Figura.*	*Substantia.*	*Pondus.*
47	Amul. piscif.	Onyx pretios.	16. gran.
48	Sceptrum	Lap. serpentinus rariss. sort.	26. gran.
49	Similiter	Achates virid. opt. & pretios.	16. gran.
50	Similiter	Marmor ex viridi nigr.	13. gran.
51	Pyramis	Jaspis genuinus nobilis.	16. gran.
52	Vas Nilot.	Factit. uti n. 5. & 6.	15. gran.
53	Similiter	Similiter.	12. gran.
54	Rhombus	Jaspis ex viridi niger.	20. gran.
55	Similiter	Lap. nephriticus.	31. gr. ½.
56	Similiter	Lap. Lazuli sine punctis.	18. gr. c. d.
57	Rhombus	Lap. nephrit. omnium optimus.	11. gran.
58	Vas Nilot.	Marmor albicans & solidiss.	17. gran.
59	Similiter	Lap. lazuli cum striis.	15. gran.
60	Scipio parv.	Jaspis nigricans.	8. gran.
61	Similiter	Factitium vitrum } uti num 5.	6½. gr.
62	Similiter	Similiter } uti num 5.	3. gran.
63	Similiter	Marmor nigricans.	4. gran.
64	Similiter	Lap. lazuli.	6. gran.
65	Similiter	Similiter.	5. gran.
66	Similiter	Jaspis nigricans.	6. gran.
67	Globulus	Marmor nigricans.	6. gran.
68	Globulus	Jaspis nigricans.	6. gran.
69	Similiter	Lapis lazuli.	6. gran.
70	Similiter	Granatus Orientalis.	3. gran.
71	Similiter	Factit. ut num. 5. & 6.	7. gran.
72	Similiter	Lapis Lazuli.	6. gran.
73	Instrumentū pro Mumiis præparandis.	Jaspis.	3½. lod. gr. 40.

M. B. Valentini.

OBSER-

OBSERVATIO CXI.

DN. D. JOHANNIS CHRISTIANI KUNDMANNI.

Liquor vulnerarius Dippelii.

COnſolidationem eſſe artificioſiſſimum opus Naturæ, conſtat: cum verò ea re fides auctoritasque quam plurimorum Medicaſtrorum propius ad labem eſſet perventura, dum & ipſis jam jam ruſticis notum ſit, quod apoſtemata ſponte matureſcant, ſæpenumero ſponte aperiantur & vulnus ſponte coaleſcat; perſuadere vulgo cœperunt, herbæ alicujus ope vel balſamo vulnerario plane ſingulari carnem diſſectam in olla rurſus conglutinari aut ſi quis amputata & abſciſſa membra, inprimis naſos, in pane ſaltim calente, uti *Antonius Molinettus* de patre ſuo gloriatur, adſervaret, eadem rurſus adglutinari poſſe (*vid. Henrici à Mœnichen Obſervationes Medicæ*, annexæ, *Mich. Lyſeri Obſervation: Anatomic. p. 207.*) *Caſpar Tagliacotius Medicus Italus* integrum conſcripſit librum (ſub Tit. *Chirurgia nova de narium, aurium labiorumque defectu per inſitionem cutis ex humero arte hactenus omnibus ignota, ſarciendo Francof. 1590. 8vo.*) Si quis naſum, labia, aures & neſcio quid, infeſto quodam caſu, amiſiſſet, qua ratione dum ipſemet, vel etiam alius quispiam ſuo ex brachio, humero vel aliunde particulam aliquam carnis excidi pateretur, eandem parti læſæ ſive mutilatæ adfigere, & poſtea in formam auris, naſi ac oris, aut cujuscunque alius membri ſcindendo effingere poſſit. Alio tempore Londinum in aulam Anglicanam venit Gallus quidam, cui nomen erat *Rabele;* hic multa magnifice jactavit de aqua quadam vulneraria; cumque illius ope aliquot coronatorum millia eſſet lucratus, Galliam repetiit. In benignis iſtius rei æſti-

æſtimatoribus fuit *Dux Rupertus* qui *Dn. D. Bechero* partem inteſtini oſtendit inflatam, & in utraque extremitate filo obligatam : eadem hac inteſtini pars, quantum extendebatur longitudine, habebat inciſionem, & rurſus conſanuerat, hac quidem occaſione : Dux ille præſentibus aliquot Medicis, porculum vivum aperuerat, ſecueratque, atque *Rabelii* aqua vulneraria adſperſerat rurſusque conſanaverat : deinde anno interjecto, ubi porculus erat factus adultior, eundem iterum, præſentibus Medicis mactari juſſit, & tum illud inteſtinum in ſtatu ſupra deſcripto fuit inventum, quod Dux ad rei confirmationem aſſervat. *(vid. Joach. Bechers Närriſche Weish. und vveiſe Narrh. p. m. 58.)* itemque alia varii generis animalia transfoderunt, & nil niſi aquam illam vulnerariam ſiphonis ope vulneribus inſtillarunt, quo facto illa ſtatim fuerunt ſanata. *Thiers de Marconnay* Med. Doct. & Pract. Metenſis in libro, cui titulus : *Nouvelles decouvertes en Medicine tres utiles pour le ſervice du Roy & du public. (qui Pariſiis An. 1724. in 12mo prod.)* Lib. VI. mira etiam de ſale ſuo ſympathetico venditat, quod intra XXIV. horas omnia vulnera recentia, etiam per ſe & abſolute lethalia, curat, ſi tantum calor vel ignis naturalis ante vulnerationem, per hoc auctus fuerit. *(vid. Obſervatio mea in Collect. Vratisl. Eventuum Phyſico-Medico Tentam. XXVI. An. 1723. Claſſ. V. Art. VII. p. 678.)* ut alias miras hiſtorias taceamus,

Quod ad Liquorem vulnerarium *Dippelianum* attinet, ille ante XX. an. innotuit, cui ab initio idem omnino effectus, qui ſupra aquæ *Rabelii* & ſali ſympathetico *de Marconnay* fuit tributus. Hujus quidem liquoris *Dippelius* paulo ante, quam ob varia ſcripta, ſub nomine *Chriſtiani Democriti* edita, Berolini in cuſtodiam daretur, Dn. Lic. *Joh. Sam. Carolo*, qui illo ipſo tempore itineri Halam ſuſcipiendo accinctus erat, unam fere unciam dono dederat : cum ergo in itinere ipſi deeſſet occaſio ejus liquoris experimentum faciendi, illius efficaciam prima vice Halæ, & quidem in Muſeo meo, in cane, cujus ca-

put

put clavo grandiori erat transverberaturus, experiri in animum induxerat. Ego igitur ſubjectum tale, ſcil. canem, comparabam, & res ipſa quoque ita fuiſſet peracta, niſi Dominus Prof. & Conſ. Aul. celeber. *Joh. Frid. Hoffmannus*, hoc inſtituto cognito rogaſſet, ut iſtud experimentum in ædibus ſuis tentaretur: id quod ſequenti modo factum eſt: Per ipſum canis cujusdam caput medium, à ſummo usque per palatum (ut ſanguis ex ſententia *Hoffmanni*, profluere commodius poſſet) clavus uncinatus ſat grandis transadigebatur, & liquoris vulnerarii tantum, quantum immitti poterat, ſiphonis ope cerebro inſtillabatur: quo facto canis ſic ſatis vegetum ſe præbebat, atque juſculi etiam paululum ſorbebat, niſi quod gravis tremor in eo conſpiceretur & tactu ſentiretur. Ego canem ita affectum in domicilium meum curabam deportandum, ubi ſpatio duarum fere horarum poſt operationem elapſo, humor ſalivoſus ex ore ipſius promanabat, repetito aliquoties vomitu inſequente: per noctem plane quietus jacebat, poſtridiè verò in circulo, lentis admodum paſſibus, demiſſo in terram capite, per aliquot horas continuas circumſpatiari incipiebat, & hunc quidem circulum adeo accurate obſervabat, ut raro unum paſſum amplius, quam priori vice, cum ad primum rediiſſet locum, confeciſſe deprehenderetur: tertio die nihil erat reſiduum, præter aliquam pedum debilitatem, quæ vero die ſequenti prorſus diſceſſerat, uti appetentia cibi omnino redierat. Dn. D. *Stahlio Conſil. nunc Aul. & Archiatr. Reg. Boruſſiæ* celeber. qui & ipſe experiendi hujus liquoris vulnerarii erat cupidus; drachmam unam ejusdem conciliabam. Is clavum per canis cujusdam caput, inter oculos & aures transadigebat; unde canis quidem iſte alterutro oculo cœcus, ſurdus aure alterutra, & toto illo latere quaſi paralyticus evadebat, nihilo tamen ſecius in vivis remanebat. Cum ergo hic ipſe liquor in vulneribus recentibus etiam ſingulare quiddam efficere diceretur; at nuſpiam initio inveniri haberique poſſet; iſtud deinceps Halæ apud ſutorem, qui eum ab

homine illo ob Enthusiasmum notissimo, alias opificii calcarii studioso, transmissum acceperat, venale prostabat, ita ut semiuncia duobus veniret Imperialibus. Sueci tunc temporis in Saxoniam ingressi, de hoc liquore aliquid inaudiverant; hinc illud ipsum præcipuo quodam studio quærebant, atque Chirurgi castrenses præsente Rege Alt-Ranstadii varia ejus instituebant experimenta, in equis bobusque, quorum carni ingentia incidebant vulnera, liquorem istum infundebant, adeoque brevi tempore ea rursus consanabant. Interim occasionem nactus erat *Dippelius* elabendi ex custodia, atque in Belgium se recipiendi. Commorabatur autem tum temporis cum An. 1708. essem Amstelodani in eadem urbe apud Medicum quendam. Ibi quanquam incognitus latere mallet, tamen non solum nanciscebar occasionem conversandi cum illo, sed & ipse, cum in sermone mentionem hujus liquoris ego injecissem non admodum tergiversabatur, quo minus præparationem ejus & compositionem sequenti ratione mecum communicaret.

℞. Herb. Nummular.
Chærefol.
Fol. Betonic.
Plantagin.
Querc.
Aristoloch. rot. āā. Mij.
Sanicul.
Verbasci.
Sedi maj.
Crassul.
Vincæ pervincæ,
Herb. Pimpinell. albæ āā. Miij.
Flor. Millefol. Mij.
Succ. expr. add. Spir. vin. āā. it. Sal. Gemmæ Mj. destil.

Vratis-

Vratislaviam redux illud ob defectum herbarum virentium non statim conficere poteram, sed rem in proximum Ver differre cogebar; quo adventante, non modo sine cunctatione liquorem illum ipsum præparabam, verum etiam cum esset confectum, odore, sapore ac effectu simile esse *Dippeliano* deprehendebam, atque in uno eodemque subjecto aliquoties non adeo longis temporum intervallis à se disjunctis virtutem ejus experiebar; quin & postremo idem experimentum, præsente Dn. D. *Samuele Grassio* Sac. Rom. Imp. Acad. Nat. Curios. Adjuncto & hujus loci nunc Proto-Physico Celeber. ut & insuper adhuc aliis Medicinæ Doctoribus & Chirurgis inspectantibus, instituebam. Eodem fere tempore in Novellis Hamburgensibus nunciabatur, hujusmodi experimentum à nonnemine, qui ex Belgio venisset, præsente *Duce Marlborugio* factum esse per singularem aquam vulnerariam, quæ simul omnes læsiones, imo & intestinorum scissuras, præter cordis & vesicæ vulnera, perfectè & celeriter sanare dicebatur. Hæc res igitur, cum ceu inaudita ab universo fœderato Germanorum exercitu maxima exciperetur admiratione, quin & copiis Gallorum innotesceret, ac denique ad ipsum Regem deferretur, hic pro compositione 150000. ducatorum offerebat, & illam tamen pro tanta summa obtinere nequibat, etiamsi nihil aliud esset, quam liquor Dippelianus supra memoratus.

Eques Franciscus Josephus Burrhus Nobilis Mediolanensis, notissimus ille Medicus & Chymicus, aliquanto ante Romæ majora adhuc venditabat, scilicet, se non solum membra à corpore separata rursus adfigere & consolidare, sed vel ipsos incidere oculos ut humores effluerent eosdemque artis suæ beneficio in locum debitum refundere, aut etiam oculos omnino ex capite eruere, ipsosque cavis antea liquore certo ablutis, elutisque inserere denuo posse: & tum futurum esse affirmabat, ut tales homines multo acutius, quam antea, cer-

nerent, ac omnes etiam defectus morbique oculorum una tollerentur.

Ecquis non existimet, qui facta dictave isthæc obiter intuetur, quin his ipsis nostra de consolidatione sententia uno quasi ictu concidat? Verum hæc omnia, quemadmodum spero, pro me potius, quam contra me militabunt, evincentque: quoniam *Rabelius* propter imposturas suas Lutetiæ Parisiorum in arce, quam Bastillam vocant, carceri inclusus, atque jam in Anglia quoque de ipsius medicina secus judicatum fuit, *(vid. Joach. Becheri Narrisch. Weish. u. vveise Narrh. pag. 58.)* *Burrhus* in Castro St. Angeli Romæ ob dubiam mentis sanitatem fuit custodiendus, nec ulla rei venditæ edidit specimina *(vid. Sam. Sorbierius dans la Relation d'un Voyage d'Angleterre p. 55.* ubi disertè impostoribus & circumforaneis *Burrhum* accenset, nec aliter de eo sentit, *Pet. Balius Dict. Historiq. & Critiq. p. 631.)* quod posterius & de *Tagliacotii* arte intelligendum est. D. D. verò Prof. *Hoffmannus* idem vino Rhenano, quod liquore *Dippeliano* præstitit: *(vid. Phil. Hartsoeckeri Svite des conjectures Physiques & Act. Erud. Lips. A. 1709. mens. Febr. pag. 86)* Rem omnem ad ventosa redire mendacia, aut alia medicaminum confusaneorum illinimenta tantummodo impedire curationem, nec levem moram, quin & damnum afferre.

(Vratislavia Augustam Vind. d. 4. Apr. A. 1728. missa.)

OBSER-

OBSERVATIO CXII.

DN.D. CHRISTIANI ADAMI LIMPRECHTI.

Singulare & diuturnum virium deficiendarum prognosticum.

VIr quidam quinquagesimo quarto ætatis suæ anno, temperamenti cholerico-sanguinei, cui mittuntur utensilia quædam, in quorum numero ea non invenit quæ firmissimè sibi persuasus fuerat se inventurum, unde ex subitanea animi alteratione apoplectico corripitur affectu amissisque & sensu & motu in terram concidit, fulmine quasi tactus, post exiguum tamen temporis spatium, videtur ipsi ex longinquis locis percipere clamorem filiolæ suæ natu minimæ annum ætatis quintum agentis, quæ de moribundo parente magna vociferatione conqueritur. Hoc modo à profundo, ut æger ipse postea referebat, somno excitatur in hæc verba erumpens: Nondum mortuus sum. Surgere quidem omnibus viribus nititur, sed cum propriæ non sufficiunt, alienis adstantium erigendus venit, erectus autem solus stare nequit, adjutus ab aliis, usu cruris sinistri se destitutum sentit, quod ipsi apparet longius, ita, ut illud à reliquo corpore ipsi attrahendum fuerit. Postquam Paraplegia ista ultra tres menses laborasset, gratia divina idoneis medicamentis ægrotus pristinæ sanitati restitutus, per viginti annos subsequentes ne minima quidem ad affectum hunc accedentia sensit incommoda, variis licet aliis morbis hactenus vexatus fuerit.

Cæterum, dum morbus enarratus ægrum lecto affigit de nullo alio symptomate conquestus est, statim autem ac lectus, ex quacunque etiam causa id fieret ei relinquendus esset, magnam ad lipothymiam sensit inclinationem, cui hoc peculiare

 culiare

culiare ſignum præceſſit prognoſticum: Frigus quoddam in naſi apice notatur reliquis naſi partibus naturalem calorem retinentibus, quod non tam ipſe, quam adſtantes, manus ſuas ad extremitatem naſi ægrotantis applicantes, medio æſtatis tempore ſenſerunt, & quod bene notandum, frigus illud in iſto ſene jam ultra ſeptuaginta annorum ſemper ad hoc præcedit levem virium defectum ex nimia meditatione ortum, quocunque anni tempore, mox tamen ceſſat, quando à nimio mentis labore abſtinet.

OBSERVATIO CXIII.

DN. D. CHRISTIANI HENRICI ERNDTELII.

Dens ex medio Palati emergens.

QUi Dentium noſtrorum naturam & uſum paulo accuratius conſiderat, fateri certe neceſſe habet, hos inter partes humani corporis ſolidas ſingularem prærogativam habere. Mirum eſt, ex omnibus oſſibus, quæ in toto animali Regno hactenus nota ſunt, nullum inveniri, quod dentibus humanis duritie & ſoliditate præferendum ſit: an Manati & Tiburonum piſcium oſſa aurium petroſa penitus his æquiparanda, adhuc in quæſtione poſitum eſſe exiſtimo. Non obſtante hac ipſa duritie, ſemina dentium vel primordia in infantibus, ſtatim ac uterum maternum deſeruere, adſunt, & poſtea non minus ac reliquæ corporis partes ſolidæ, venis, arteriis, nervulis inſtructi nutriuntur & accreſcunt.

De ſubſtantia horum, poſt *Malpighium*, nemo fortaſſis curioſius & accuratius commentatus eſt hactenus *Dominico Gagliardo Medico Romano, in Anatomia oſſium novis inventis illuſtrata, Parte I. cap. 2.* Primordia autem quod attinet, præeunte

Ker-

Kerkringio & laudato jam *Malpighio* nemo fortaſſis accuratius de illis egit, *Joh. Jac. Ravvio*; Anatomico & Chirurgo Celeberrimo, Præceptore quondam meo, dum Amſtelodami anno hujus Seculi ſexto hæſi, in peculiari *Diſſertatione*, *quam de Dentium generatione*, ante hos viginti amplius annos, edidit, in eademque fuſius explicavit, quod dentium ſemina, in alveolis maxillarum adhuc imperfectis in fœtu, gingivis obtecta hæreant, & tot quidem ſemina, quot unquam in homine per omnem ætatem prorumpunt dentes: hæc in fœtu recens nato, ablatis gingivis, ad oculum non ſemel demonſtravit curioſis ſpectatoribus. Continet autem unusquisque fœtus, qui completum numerum dentium aliquando habiturus eſt, quinquaginta duo dentium ſemina: præter triginta duos enim, quos homo perfectus habet dentes, viginti numero in duplo inveniuntur dentium veſtigia. Naturâ enim ſic conſtitutum eſt, ut octo inciſores, quatuor Canini, & octo molares, circa quintum, ſextum, ſeptimum vel decimum ætatis annum cadant, reſtituendi iterum per hactenus latentes ſub prioribus, lactearios. Cadere autem neceſſe habent priores, quatenus illorum ſubſtantia, à quinto ad decimum annum, ad perfectionem abſolutam pervenit, & durior longe ac compactior eſt, quam Maxillarum ſubſtantia, quæ augetur interim ac creſcit, conſequenter alveolos ſimul, in longum, latum & profundum explicat, qui ita explicati dentem priorem non amplectuntur amplius, ſed cadere ſinunt: præterea juvant hunc dentium caſum memorati jam ſecundarii dentes, trudendo quaſi & expellendo jam prius formatos. Stupenda hæc ſunt de dentium generatione, & vix fidem inventura, niſi per repetitas curioſorum Obſervationes confimata fuiſſent aliquoties.

Non minus autem miranda, quæ recentiores Phyſiologi & Anatomici de dentium uſu annotarunt: quis crederet, ſcalpellorum, piſtillorum & lapidum Molarium quaſi officinam in ore noſtro latere? Dentium enim alii ad inciſionem cibo-

ciborum facti sunt acuti, scalpellis incisoriis non absimiles; alii his utrinque adjuncti, atterendis cibis utiles ideoque rotundi, instrumentis illis similes, quibus lapicidæ ad marmora cotesque effringendos utuntur, Molares autem latiori capite & inæqualiter quasi asperos videmus, ad comminuenda molendaque cibaria destinatos. Et per hæc ipsa instrumenta efficitur illa ciborum præparatio, quam Masticationem vocamus, & quam tanti jure meritoque fecerunt Arabes, ut animam suam male odisse dixerint, qui eam neglexerit.

Quo magis autem æstimandus est usus harum partium, eo plus etiam curandum, ut partim conserventur, partim resarciantur damna, ex male constitutis his emergentia. Insigne etiam in hoc passu, præsenti ætate, fecit Ars Asclepiadea augmentum. Non enim novum est, ut cætera taceamus, casu & infortunio vel morbo elapsos dentes, vel per artefactos ex Ebore aut Dente Hippopotami formatos, vel per alienos dentes aliis hominibus extractos, restituere. Quod Parisiis non infrequenter peragere certos operatores Chirurgos ferunt, qui ære conducto aliquo homine sano, extrahunt dentem sanum, ipsumque cruentum, illi, qui opus habet, inserunt, de quo jam suo tempore *Ambrosius Paræus*, ast non Avtoptes, mentionem facit, sequentibus verbis: compertum „habeo ab homine fide digno, visam sibi primæ nobilitatis „mulierem, quæ in avulsi dentis locum, alium sibi sanum, pe„dissequæ cuidam suæ eodem tempore exemptum, extemplo „substitui & inseri jussit, qui temporis progressu, se velut actis „radicibus, obfirmaverit, sic ut in ipsum indolenter ut in re„liquos, manderet. Sed ut dixi, de hac re nihil præter audi„tum habeo. *Chirurg. Lib. 16. cap. 26.*

Quæ de eadem hac re in *M. N. C. nostris, Dec. III. Ann. 6. & 7. obs. 220.* annotata sunt, & an firment, an vero destruant, monstrosam hanc Curtorum Chirurgiam, adducere nequeo, propter bibliothecæ defectum, ita ut locum allegatum inspicere non licuerit. Quæcunque autem de egregiis illis Artistis

cir-

circumferantur, magnâ cum circumſpectione de tali artificio judicandum, nec temerè omnia, quæ referuntur, pro veritate aſſumenda eſſe exiſtimo. Mihi quidem ita videtur, non facilè dentem, licet recentiſſimè extractum, alteri dente orbato inſeri poſſe, ita ut radices agat & firmiter ſtet, niſi ille in cujus locum venire debet, extemplo & eodem quaſi momento eximeretur, ita, ut recens extractus in recens inflictum vulnus poſſit intrudi, & hoc modo fortaſſis fieri poſſet, ut alveolus ſanguine calens, felicius aſſumeret alterum etiam ſanguine recenti adhuc ſtillantem, & quaſi coaleſcendo firmaret: ubi tamen accurate etiam talis eligendus eſſet dens, qui & ætate & magnitudine & formâ externâ cum eximendô reſpondeat, neque uſus alius inde emergeret, quàm quod pro dente carioſô e.g. vacillante, immaniùs dolente, aut alio modo corruptô, evulsô, alius ſurrogari poſſit, ſi occaſio tunc cum alieno recenter evellendo, ſub poſitis jam circumſtantiis, faveret.

Sed miſſam hanc controverſiam facio, & ad dentium generationem, naturam & numerum rediens, rariſſimum aliquod ſpectaculum mihi in mentem revoco, quod de dente ſuperfluo, anno 1718. menſe Auguſtô, Rawæ in Poloniâ Majori, dum locum hunc cum Aulâ Regiâ tranſirem, videre licuit. Cum enim curioſitatis ergo ibi viſitarem Collegium P. P. S. Jeſu, quod ex lapidibus extructum cum adjacente hortô poſſident ſatis egregium, rogatus à Patre Rectore, Socium quendam hujus Collegii, *P. Jacobum Banacki*, annum ætatis tunc circiter vigeſimum quartum agentem, robuſtum ſatis & de cæterô ſanum, floridum, inviſi, qui multum à dente ſupra linguam extraordinario modo ſibi excreto incommodi pati querebatur, & an ipſe ſine periculo extrahi poſſit, ſciſcitavit: examinavi locum & vidi, quod merè ex medio Palati prömineret ille dens, (ita, ut ſi quis Palati ſpatium ſub circuli formâ ſibi conciperet, dens ille centrum repræſentaret) ad Inciſorum modum formatus, elegans, ſoliditate & nitore,

quoad eminentem & visibilem partem verè lapideus, præterea adeò firmiter alveolo suo proprio impactus, ut omni modo mobilitatem tentanti digitis applicatis, resisteret. Miratus inusitatum hoc spectaculum, rogavi, ut me de Ortu hujus dentis certiorem faceret, simulque referret, an unquam doluerit? an in Loquela, vel inter manducandum ipsum impediret? & an unquam pro abbreviatione ejus aliquid tentaverit? ad quas propositiones mihi postea sequens propriis suis verbis conceptum in scriptô dedit responsum:

„ 1.) Anno ætatis 22. dens prædictus erupit; initium „ ejus tale erat: videbatur mihi, non sine stupore, ac si den- „ tibus frustulum carnis in palato attrivissem; pendebat enim „ seu potius spectabatur frustulum quasi abscissæ cutis:

„ 2.) Dente ipsô postea nunquam dolui; nam nec ille va- „ cillabat; adeo enim firmas posuit radices, ut si moveatur „ aliquô instrumentô vel digito, tota contremiscat superfi- „ cies:

„ 3.) Loquelam sæpius impedit, præcipuè ubi dicendum „ est in vehementi, ac præsertim, si contingat, illius acumine „ ac inclinatione (aliquantùm enim curvus est) linguam il- „ laqueari. Comestioni etiam quandoque obicem ponit, præ- „ sertim cum pustulas facit in superficie oris, quod mihi est „ molestissimum, præter hoc quod arrodat linguam & vul- „ neret:

„ 4.) Tentavi aliquoties rasuram cum limâ ferreâ, sed „ frustra: nullum enim sui reliquit vestigium, quamvis reli- „ qui ordinarii dentes idem reliquerint, insuper tota palati „ superficies contremiscebat cum dolore, dum hunc mo- „ dum attentarem.

Jacobus Banacki, S. J.

His probè expensis consului, ut valdoperè sibi caveret de extractione hujus dentis, utpote quæ non sine periculo effringendæ palati osseæ compagis, indeque metuendo fistuloso &

ſo & incurabili hujus loci ulcere, effici unquàm poſſet: tutius eſſe remedium in limâ poſitum, de quô expertum operatorem chirurgum conſulere deberet; ſi enim durum ſatis & bene fabrefactum tale inſtrumentum applicaretur circumſpectè, nullum eſſe dubium, quin ſæpius reiterando limationem, aliquantum imminui poſſet prominens dentis ſuperficies & ſubſtantia. Reliqua omnia remedia periculoſa fore, vel ad minimum fruſtranea: nam quod de forcipe, quo mediante juſto magis prominentes dentes decerpendi ſint, Autores quidam monent Chirurgi, etiam non ſecurè ubique imitandum eſſe, exiſtimarem.

De cætero inveni poſtea, annotaſſe autores Practicos nonnullos, quod per dentes ejusmodi prominentes & linguam ferientes, aliquando tumores periculoſi vel ipſe Cancer in linguâ genitus fuerit. De quo tamen ſciendum, quod non quævis glanduloſarum partium læſio ad Cancrum producendum ſufficiat. Cancer enim ſingulariſſimam humorum dyſcraſiam & peculiarem glandularum ſtructuræ corruptionem præſupponit, quæ per immenſam Dei Creatoris noſtri indulgentiam, inter aliquot millenos homines, vix apud unum invenitur. Legimus quidem apud *Diemerbræckium Anatom. Lib. IX. cap. 10.* quod ex radice Inciſoris ſuperioris maxillæ excreverit alius verſus palatum dens, ea longitudine, ut linguam perforaverit, aſt ſine Cancri, quantum quidem adhuc memini, mentione. De dente autem ex medio palati excreto, præter *Plinium Lib. XI. Hiſt. Nat. cap. 37.* fortaſſis nullus, niſi *Euſtachius Lib. de dentibus cap. 29.* obſervationes reliquit: cujus alterius locum autem, propter allegatam jam Autorum penuriam, ipſe inſpicere & examinare non potui. *Plinius* autem generaliſſime ſaltem, ſequentibus verbis, hujus prodigii meminit: *eſt exemplum dentis homini & in palatô geniti:* l. a.

(*Warſovia Auguſtam Vind. d. 12. Aug. 1727. miſſa.*)

OBSERVATIO CXIV.

D. JOH. ANDREÆ PIZLERI.

De

Variolis anomalis.

PUella 19. hebdomadum variolis benignis corripiebatur ante 15. dies, omnia bene processura & intra 5. dies finita fore parentibus spospondi, quod etiam ita factum, sed simul cum variolis observabantur vesicæ in abdomine, natibus, dorso, brachiis & cruribus magnitudine eines Drey-bätzners plus minus, quasi hic inde Emplastrum vesicatorium applicatum fuisset, & dum hæc solari & pulvere quodam externo ex Cerussa, Pompholyge &c. inspergi & exsiccari curo, altero mane his melius habere visis novæ emergunt ad latus veterum vesicarum, tanquam capita Hydræ Lerneæ, amputatis subinde, supercrescentia quadam disruptæ ichorem plorabant, quædam ejusmodi lymphâ adhuc distentæ aperiendæ erant, adeò ut misella hæc quasi semiexcoriata acerrimis doloribus exposita semper metum non Epilepsiæ modò sed & Gangrænæ incuteret, verum divinâ auxiliante gratiâ intra 6. dies omnia finita sunt, & infans denuò athleticè degit.

(*Fridbergâ Gissam d. 9. Maji, An. 1728. missa.*)

OBSERVATIO CXV.


DN. D. CONRADI GRAFFII.

De

Vesicula fellis, monstrosæ magnitudinis, in bove saginato observata.

ANno 1727. die vicesimo octavo Maji, Geuderni bos in saginarium ductus, ibidemque ut saginaretur per aliquot menses retentus est; is vero cum semper parum

TAB. X.
ad Observ: CXV.
pag. 268.



A. *Vesica fellea, stupendæ magnitudinis.*
B. *Tumor, in ea dissecta repertus.*
C. *Portio hepatis.*
D. *Pars intestini duodeni.*
E. *Ligamentum rotundum, fundo vesicæ adnatum.*



rùm pabuli assumeret, atque dehinc parùm aut omnino non pinguesceret, insuper tussicula sæpius affligeretur, ut quidam abscessu laborare judicarint, à Lanione aulico mactatus est. Aperto & exenterato eo, omnia viscera (hepate cum annexa vesicula fellis excepto) sana observata sunt. Ipsum quidem parenchyma hepatis illæsum at justo tamen minus erat, & insuper ductus quidam materia mucilaginosa albicante referti, conspiciebantur in eodem. Verum, quòd admiratione dignissimum, Vesicula fellis tantæ erat magnitudinis ac molis, ut resecta eadem cùm perpauca hepatis portione, pondus duodecim Librarum exæquaret. Hæc discissa excrescentiam quandam carnosam quinque librarum, ex multis per ambitum laciniatis & lamellatim sibi incumbentibus particulis carnosis constantem & copiosa mucilaginosa albicante materia circumfusam, validoque rotundo ligamento, fundo Vesiculæ fellis ac desectæ particulæ hepatis adhærentem, continebat. Observabantur præterea quidam ductus ex fundo vesiculæ fellis, resectam illam hepatis particulam, ingredientes, quorum continuationes sine dubio ductus illi in substantia hepatis observati, atque pariter mucilaginosa albicante materia referti fuerunt. Ceterum carnis quantitatem mediocrem & parum pinguedinis obtinebat bos. Magnitudinem vesiculæ, ut & situm ac figuram repertæ in illa excrescentiæ Carnosæ, Ceteraque ex Tab. X. accuratius perspicere licebit.

(Giessa Augustam Vind. An. 1728. d. 6. Apr. missa.)

OBSERVATIO CXVI.
DN. D. PHILIPPI HENR. PISTORII.
Vermis post variolas è sinistri oculi Cantho majori erumpens.

VAriolis anno præcedente 1728. Francofurti ad Mœnum valde grassantibus infans sesquiennis iisdem laborans per 6. fere dies quasi excæcatus, oculis omnino clausis decumbebat. Quàm verò Mater oculos lacte croco tincto crebrius illinebat, dexter primum, mox & sinister successivè aperiebantur, & è posterioris Cantho majore vermis flavescens digitum longus & calamum anserinum crassitie æquans erumpebat, quem exsiccatum cuivis adhuc ostendere possum.

OBSERVATIO CXVII.
DN. D. PHILIPPI HENR. PISTORII.
De
Pilis cum ovulis insecti insoliti in Ceraso.

INter fructus cerasi sativæ, fructu rotundo rubro acido *tumefactos*, æstate præterlapsa unus occurrebat, qui in arbore adhuc pendens capillis candicantibus & articulum digiti longitudine æquantibus obsitus erat, (vid. Tab. XI. fig. I. Lit. A.) è quibus singuli ovulo quodam, pediculorum ovulis simillimo muniti erant. Ceraso autem ad maturitatem deducto ovula illa successive insecta quædam excludebant, pediculis vestimentorum (nudo oculo adspecta) haud absimilia, (Lit. B.) quæ tamen per microscopium considerata, longè aliam figuram, (Lit. C. expressum) referebant, neque citius moriebuntur quam fructu cerasino omnino exsiccato.

TAB. XI.


Fig. 1.
Obſerv. CXVII.
pag. 270.
A


B
C



Obſerv. CXXVIII. pag. 286.
Fig. 2.


Fig. 3.
Obſerv. CLXXVI
pag. 407.

OBSERVATIO CXVIII.

DN. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

De *Qualitate Sabinæ.*

SAbinam vehemens & drasticum emmenagogum esse, ita ut fœtum in utero quoque enecare & expellere valeat, non vulgi tantùm, sed & Eruditorum non paucorum est persuasio. Hinc nihil est frequentius, quam ut puellæ corporis sui quæstum facientes illa in infusis abutantur. Sæpissime tamen corvos deludit hiantes, quod non tantùm *B. Wedelius in disp. de Sabina*, sed & sequens Responsum Facultatis Medicæ Gissenæ me interprete testatur. Postquam enim Sybilla Cronhammeria, Vidua Wormatiensis in tortura confessa esset, se eum in finem sabina usum fuisse ut fœtum abigeret & Acta inquisitionalia Facultati Juridicæ Gissenæ, ad ferendam sententiam transmittebantur, hæc à Facultate Medica judicium de qualitate hujus plantæ requirebat, quod in sequenti

RESPONSO

impertiebat: Quandoquidem Amplissima Facultas Juridica hujus loci Nobis Acta inquisitionalia, Sybillam Cronhammeriam, inquilini Wormatiensis viduam, in puncto procurati abortus concernentia obtulerit & tam de qualitate sabinæ in genere, quàm in specie: An in præsenti casu, ubi criminaliter accusata enunciavit, quod 6. vel 7. septimanis ante puerperium Sabinâ usa & tamen embryo tertio ante partum die adhuc vitâ gavisus sit, abortum illius herbæ usu procurare potuerit? hinc nos Decanus, Senior, Doctores & Professores Facultatis Medicæ hujus loci principiis Physico-Medicis consentaneum esse censemus, quòd licet Sabina intuitu particu-

ticularum ſalino-volatilium oleoſarum maſſam ſanguineam inſigniter commovere & eam ob cauſam in menſibus fortiter ciendis adhiberi ſoleat,

Schrœderus in Pharmacop. Medico-Chym. Lib. IV. Claſſ. I. num. CCXCIII.

ea etiam medicamenta, quæ menſtrua provocant, abortum absque dubio cauſari valeant

Zacchias Qq. Medico-Leg. Lib. I. Tit. III. qu. 1. §. 50.

hujusque intuitu non tantùm plurimi ex Antiquioribus, ſed & Modernorum nonnulli Botanici & Medici, v. g.

Dioſcorides Lib. 1. de Math. Medic. c. 104. Galenus Lib. 6. de ſimpl. Med. Fac. Nicol. Lemery au dictionaire de Drogues ſimpl. p. 472.

credant, quod ſabina fœtum in utero enecare, ſæpe etiam ante debitum tempus expellere poſſit; quæ omnia eo facilius evenire poſſunt, ſi alia ſimul pellentia, ut in præſenti caſu, illi jungantur, qualia ſunt ab inquiſita adhibita grana vel baccæ lauri

Vid. Reſp. Inquiſ. ad Artic. Inquiſitional-addition. Act. n. 20. Reſp. ad art. 111. 112. 113.

quæ partum tum accelerare, tum prægnantibus valde nocere à

Matthiolo, Trago, Caſtore Durante & aliis herbariorum Scriptoribus putantur:

hancque ob cauſam in ſimili caſu A. 1668. à Facultate noſtra Medica inter ſimplicia abortum promoventia relata ſint.

Attamen & quoniam 1.) emmenagoga hæc, una cum binis vomitoriis 6. vel 7. ſeptimanis ante puerperium in uſum tracta ſunt: 2.) fœtus 1. & 2. die partum immediate præcedente adhuc vixiſſe creditur: 3.) ipſa experientia teſtatur ſabinam ſupradictam tam vehementer & violento modo, ut Anteceſſores noſtri putarunt & impudicæ meretriculæ (quas ſpes

ſpes ſæpe fallit) ſibi imaginantur, neutiquam operatur, eamque ob cauſam *B. Wedelius* conſulit, ut in pronunciando hic caute mercemur.

Diſp. de Sabina p. 22.

Hinc quoad ſecundam quæſtionem per majora ſtatuimus, quod abſolute & poſitive dici non poſſit, abortum hunc ſabinæ adſcribendum eſſe, cumprimis quod ex Actis eluceſcit, Inquiſitam per loturam & ruderum excrementorumque deportationem ſe inſimul nimium moviſſe, ſicque fœtui noxam inferre potuiſſe. Sign. Giſſæ d. 7. Sept. 1724.

SCHOLION.

NOtam & lectionem merentur verba *B. Dn. Wedelii* ſupra allegati quæ l. c. ita ſe habent: Utut vero communiſſime ſit aſſertum & ſpes meretricum infantum in eo fundetur, plurima tamen proſtant exempla earum, quæ ſine ullo effectu integras quaſi menſuras decocti biberunt, & paulo poſt: Egregie *Rolfincius ord. & meth. Comment. p. 829.* inde, ſcribit, infame ἀτόκιον habetur. Notum tamen eſt decoctum, oleum, balneum, iterato uſurpata nullam fœtui intuliſſe noxam. Menſtruo ſanguini vias monſtrat. *Conf. Zittmann. Med. Forenſ. Cent. I. Caſ. 26. p. 89. & Cent. VI. Caſ. 43. p. 1541. ſeqq.* ubi plura habentur.

Adeoque in definiendo hoc aſſerto probe omnes & ſingulæ circumſtantiæ ſunt examinandæ. Hinc *Galenus* etiam, *Ebnſina,* quique alii idem uno ore quaſi aſſerunt, mitius explicandi, poſtquam experimentis hodiernis magis exploratæ ſunt vires & qualitates.

Notabile hinc eſt ſabinam militare inter emenagoga magis ſpecifica & pellentia, præmiſſis præmittendis aliis & aperientibus communibus commode ſubjungi, ut colophonem per ſe & cum aliis accommodis, modo recte utentem invenerint. Hactenus *Wedelius.*

OBSERVATIO CXIX.
DN. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.
De
Qualitate Nociva Radicis Solani furiosi, Belladonna dicti.

QUam venenosa & deleteria qualitate gaudeant baccæ solani furiosi, & quantas hinc inde strages ediderint, de eo pleni sunt Botanicorum libri, nec exempla ejus desunt in *Miscellaneis Academiæ Nat. Curiosorum.* Magno suo infortunio & dolore ad A. 1669. expertus est Celeberrimus ex illis *D. Abraham Munting*, Prof. Grœningensis, dum in horto plantis omnis generis tum instructissimo bini proprii ejus liberi baccas belladonnæ legentes & devorantes vitam cum morte permutarunt, quam tragœdiam refert *Franciscus van Sterrebeeck in Præfatione Theatri fungorum*, qui figuram & descriptionem ejus quoque dedit in subjuncto Tractatu de herbis venenosis. An vero & radix solani hujus simili facultate venenosa gaudeat, ex eo in dubium nuper tractum fuit, quod Empirici nonnulli illa ad curandam arthritidem vagam utantur. Quam funestus vero eventus inde observatus fuerit ex sequenti.

RESPONSO
FACULTATIS MEDICÆ GISSENÆ

elucescere poterit, quod è vernacula Latino idiomate donatum ita se habet: Postquam nos Decanus, Senior, Doctores & Professores Facultatis Medicæ hujus loci, prævia requisitione judiciali in Responso mortem Christophori Walcheri,

theri, civis Lisbergensis radici solani furiosi, à Conrado Wagner contra arthritidem propinati adscripsimus, hujus autem Defensor obitum ejus potius ipsi arthritidi imputare conatur, eamque ob causam à Regimine Principali hujus loci quæstio nobis mota, an radix hæc etiam in personis sanis deleteriam hanc virtutem exserat ? non potuimus non Acta denuo & sedulo perlegere, sic in defensoris modo dicti submissione sequentes RATIONES DUBITANDI observavimus, quod scilicet 1. Medicina hæc tantæ sit virtutis & indolis, ut ab ipsis Medicis in similibus morbis in usum trahatur, 2. *Königius in Regno vegetabili Sect.* 4. de Solano furioso, stramonio dicto, Syrupum è fructibus hujus plantæ, ceu mysterium aliquod contra catarrhos & dysenteriam commendet. 3. *Schenckius* similia referat & tandem oves mitissimæ circa Hazfeldam sanitatis causa illa alantur, ita ut nulla ex iis pereat. Jam hypotheseos loco præmittendo, quod cuilibet in arte sua sit credendum sutorque ultra crepidam judicare non debeat, quoad 1. ne unicum quidem in Arte probe versatum cautumque Medicum novimus, qui radicem hanc contra arthritidem præscribat. Nec 2. locus allegatus in terminis, quod dicitur, in *D. Königii Regno vegetabili reperitur*. Quando vero *Part. alt. cap.* 7. *p.* 87. Regni vegetab. allegati syrupi è *Gesnero* mentionem facit, expresse addit, alios medicamenta securiora amantes eandem non facile in usum adhibere : Ut taceamus magnum adhuc discrimen intercedere inter plantam in substantia & ejus præparata, dum sub coctione Sal volatile acre avolat. Adhæc Autor syrupum hunc in dosi concisa tantum laudavit. Penes *Schenckium* adhuc minus solatii pro se invenit, utpote qui vegetabile hoc expressè inter venena refert & experimentum Agyrtarum, quo radice solani furiosi sitim sistunt & appetitum refrænant, levamentum nequissimum vocat. Quod enim exinde non pereant homines, antidota, quibus abhinc usi sunt, acetum scilicet & succus melonum effecerunt, haud aliter ac circumforanei arsenicum

sæpe impie deglutiunt, dummodo se prius oleosis assumtis contra illud se muniverint & vomitivum statim subjunxerint. Quod tandem 4. Oves ab esu vegetabilis hujus non emoriantur, in causa est, partim quod nec radix nec fructus hujus plantæ illis offerantur, sed caules exsiccati, quæ tam malignam qualitatem conjunctam non habent, licet non omni destituti sint, vid.

Franciscus van Sterrebeek de herb. ven. p. 352.

Adhæc ab ovibus ad hominem non valet consequentia, dum priores, ut omnia cornigera animantia quadruplici ventriculo, menstruo acido repleto gaudent, quo vis venenosa obtunditur & enervatur. Sane si hæc sequela locum haberet, nec bufones, nec aranei & similia homini nocerent, quibus Ciconiæ & Gallinæ absque noxa vescuntur.

Quandoquidem igitur dictus modo Botanicus æque ac experientia testantur, quod solanum furiosum quoad baccas & radicem larga dosi etiam sanis adhibita mortem inferre valeat, sopor etiam profundus, sub quo Waltherus animam exhalavit, non tam ab arthritide (utpote quæ potius spasmos produceret) quam ab ipsa radice ortus fuit; hinc à priori Responso nostro (qua deleteriam qualitatem radici huic in majori dosi datæ adscripsimus) abire idemque deserere non possumus, haud ægrè laturi, si ad compescendam sæpius allegati Defensoris proterviam (qua integræ Facultati studium partium imputare non dubitat sicque ob incorrigibilem calami intemperantiam tam supremorum, quam inferiorum judiciorum acerrimam censuram sæpe expertus fuit) Acta hæc ad aliam adhuc Facultatem Medicam transmitterentur. Scrib. Gissæ die 20. Apr. sub sigill. Fac. consueto.

SCHOLION.

DUm hæc exaro, haud intempestive incido in *diatribem Botanico-Medicam de belladonna Dn. D. Christophori Conradi*

radi Sicelii Practici Nordhusani, qui ex radice hujus plantæ in decocto pugillari Præconi verbi divini præscripto loco rad. cichorei per errorem sumti funesta pariter & periculosa symptomata observavit, unde suo non minus, quam filii mei beate mortui periculo convictus seqq. de illa pag. 30. c. l. perhibet: Si nunc tam exigua hujus radicis quantitas tantas noxas corpori nostro inferre potest, levi modo, saltem in aqua fervida extracta, quidni contingeret, si in ipsa substantia & majori in dosi sumatur, inde non fieri posset non, quin majorem induceret. Notum enim est, quod in infusis & decoctis duplo semper requiratur dosis, exemplo rhabarbari & foliorum sennæ. Quando enim computationem instituimus, tum vix in p. I. qui fuit dosis de his speciebus ℈ß. vel ad summum gr. xij. contineri potuerunt, siquidem tota specierum farrago præterpropter ex xviij. ad xx. pugillis constabat. *Addit:* Memini jam eundem casum contigisse, priusquam hoc fatum ipsi habuimus, Clarissimo atque doctissimo *D. D. Valentini S. N. C.* Collegæ & Practic. t. t. Nordhusano, nunc, ni fallor, Professori Medicinæ Gissensi meritissimo, amico nostro honoratissimo, qui eandem cichorei radicem in paulo majori pondere præscripserat, ubi idem in pharmacopolio error, quem deinceps deteximus, fuit commissus; unde etiam personæ illæ, quæ decocto pugillari ab eo præscripto fuerunt usi, iisdem & atrocioribus adhuc symptomatibus erant afflicti, siquidem majorem quantitatem harum radicum continebat præbium una vice sumendum. Causam vero hujus erroris, etsi ab hyoscyami anni radice hæc provenisse conjiciebat, experiri non potuit, donec tandem ab ipso Pharmacopoeo nobis occasionem inquirendi præbentibus, postquam idem experiebamur fatum, error satis gravis fuit detectus & omnes hæ falsæ & spuriæ radices cichorei cum bellædonnæ radicibus confusæ in fimum & stercus fuerunt conjectæ.

OBSERVATIO CXX.

DN. D. MICHAELI BERNHARDI VALENTINI.

Alaudarum Comestio minus laudabilis

NOtam meretur casus anno superiori, 1726. è Svevia ad me transmissus, ubi in aulis quibusdam Illustribus plures ex improviso catarrho qs. suffocativo corripiebantur, ita ut non tantum voce & anhelitu subito privarentur, sed & doloribus insignibus in toto corpore cum impotentia ad motum vexarentur, quæ omnia tamen ultra duo nychthemera vix durabant. Observatum autem fuit omnes symptomatibus his obnoxius fuisse, quotquot alaudas tum abundantes, comederant. Quærebatur igitur, an alaudæ istæ maligni quid foveant? Ratio dubitandi erat, quod plebeji quidam alaudas pariter degustantes, à symptomatibus illis immunes fuerint. Evolutis ergo & consultis omnibus, qui historiam animalium conscripserunt, autoribus, ne unicum quidem reperire licuit, qui carnem alaudarum monstri quid alere statueret. Commode autem tunc temporis incidebam in scripta practica Celeb. *Riedlini*, qui cum in *lineis medicis Anni M. DCC. Nov. obs. XI. p. 73.* tum in *curarum medicarum millenario obs. 638. pag. 396.* Simile quid in uxore aurifabri notatavit, utpote quæ post decem alaudarum assatarum esum, præter immanes dolores, talem aphoniam experta fuit, ut ne verbum proferre valuerit. Cum vero paulo post vox iterum sic redierit, ut laudato modo *D. Riedlino* quam male se habuerit, atque cetera non adeo periculosa ostenderet, pulsu ne minimum quidem mutato, alaudis in nimia copia comestis & quidem cum ossiculis devoratis hoc unice tribuendum judicavit: unde omnibus, qui noxam hanc evitare voluerint,

sua-

ſuaſit, ut aviculas has in minore quantitate comederent & oſſicula diligenter removerent, quibus imprimis hæc mala adſcribenda eſſe non ſine cauſa credidit. Optandum eſſet, ut *curioſa Alaudæ deſcriptio* quam feliciſſimus quondam Medicus *D. Joh. Daniel Widtius*, ſupremi judicii Cameralis primum, mox Eminentiſſimi Electoris Moguntini Archiater, loco penſi Academiæ N. C. meditabatur, aſt morte præventus luce publica donare non potuerat, à Dn. filio non degenere Eruditis communicaretur, in qua proculdubio obſervationes parallelæ non deerunt.

OBSERVATIO CXXI.

DN. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

Lac in uberibus canis fœminæ non impregnatæ.

NObilis Giſſæ ſtudiorum & exercitiorum addiſcendorum ergo degens canem fœminam perdices ſtando prodentem & indicantem (einen Vorſteher) domi alebat, quem eo tempore, quo veneris æſtu cientur (wann ſie läufig ſind) curatiſſime includendo obſervabat, ne à canibus maſculis comprimi & impregnari poſſet. Hoc tamen non obſtante paulo poſt idem canis lac copioſum ex uberibus fundebat; quo ipſo magis roborari poterit ſententia de lacte in virginibus reperto, ſicque lac in mammis minus certum & infallibile ſive impregnationis, ſive infanticidii ſignum dici poterit.

SCHOLION.

NOtam etiam meretur Vaccam juvencam anno hoc Gieſſæ, per aliquot ſeptimanas ante primum partum Lac copioſum

ſum, ad menſuras aliquot indies præbuiſſe, unde butyrum & caſeum obtinuerunt ejus Poſſeſſores.

OBSERVATIO CXXII.

DN. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

Cryſtallus inter grandines è nubibus decidens.

ANNO ſuperiori 1724. Opilio in Præfectura Alsfeldienſi ruri pede ſuo innitens ſub oborta tempeſtate obſervat lapidem pellucidum inter grandines delabentem, quem, cum vitrum ſecaret, Judæi, quibus eundem oſtendebat, pro adamante habentes pretium non contemnendum illi offerebant. Inventor autem majus inde lucrum ſperando Francofurtum ſe conferens, theſaurumque ſuum Gemmario offert, qui lapidem hunc non tam pro adamante, quam optimæ notæ cryſtallo habendum eſſe judicabat. Rem certiſſime ita geſtam eſſe Miniſter verbi Divini illius loci ſancte mihi aſſeveravit. Poſſibilitatem ejus ſuo jam tempore adſtruxit Cel. *Bohnius,* qui cryſtallum habuit, in cujus meditullio gutta aquæ limpidæ continebatur : unde concludit gemmas pellucidas ex aqua generari. Idem confirmat pluvia gemmea à Balbino in Bohemia obſervata, de qua in Armamentario *Art. & Nat.* à me olim edito.

(*Gieſſa Auguſtam Vind. d. 18. Maj. An. 1727. miſſa.*)



OBSER-

OBSERVATIO CXXIII.

DN. Lic. CONRADI MICHAELIS VALENTINI.

De
Cautelis in Cobalti aliorumque Venenorum emtione observandis.

VEnena in officinis Pharmaceuticis in peculiaribus & ab aliis ſeparatis repoſitoriis aſſervanda eſſe, ſtatuta Medicinalia tantum non omnia jubent. Aſt non minorem cautionem in eorundem emtione & deportatione obſervandam eſſe, ex ſequenti (qui hoc anno ſe mihi obtulit) caſu elucеſcit. Præſcripſeram uxori cujusdam Prætoris, Rigelmanni nomine, infuſum quoddam laxativum è fol. ſennæ, fibris helleb. nigr. agarico trochiſcato, cum herbis appropriatis, vino infundendis. Primus inde hauſtus aſſumtus dolores abdominis immanes cardialgiam cum ſudore circa frontem, ſpaſmos in collo opiſthotonicos, vertiginem, ſcotomiam, aliaque ſymptomata inſolita excitabat. Maritus terrore perculſus me vocari jubet. Advolo laxatis habenis, & aliam doſin mulieri propino, quæ eadem ſymptomata producebat. Suadeo ut hauſtus æqualis ancillæ vegetæ & ſanæ offerretur, quæ ſimilia inde patiebatur mala. Dixi anguem ſub herba latitare, & procul dubio errorem aliquem in Pharmacopolio hic commiſſum ſubeſſe. Percontando ergo Pharmacopœum hic ſancte teſtabatur, omnia ingredientia in formula præſcripta absque ullo errore aſſumta fuiſſe. Diſcipulus autem Pharmacopœi ſtatim addebat, ancillam medicamentum hoc poſtulantem ſimul *Cobaltum* ad enecandas muſcas coëmiſſe & cucullum illud continentem in involucrum culcitræ, (in eine Küſſen-Züche) cui ſpecies laxativas inſeruerat, projeciſſe, unde nul-

de nulli dubitamus Cobaltum è cucullo elapſum & medicamento permixtum ſymptomata ſupradicta produxiſſe. *Cobaltum* enim venenoſum eſſe vel exinde conſtat, quod nihil aliud ſit quam caput mortuum poſt ſublimationem arſenici remanens, cujus minera quoque *Cobaltum* audit, vid. *Muſeum Muſeorum* Venerandi Dn. Parentis. Hinc & *Smalta cærulea* inde parata pro veneno habetur à Facult. Med. Gieſſena *Conſ. Corp. Jur. Medico-Legal. Tom. II. p. 454.*



OBSERVATIO CXXIV.

DN. Lic. CONRADI MICHAELIS VALENTINI.

Superfœtatio abortiva.

Accidit haud ita pridem, ut Grunbergenſis cujusdam lanionis uxor fœtum omnibus numeris perfectum enixa ſit. Nono vero poſt partum die novis doloribus & ad partum nixibus corripitur, profluentibus denuo aquis, partum alias antecedentibus, cum tanta uteri hæmorrhagia, ut de vita mulieris omnes deſperarent. Pharmacopœus loci, me abſente, dat lenia adſtringentia & cardiaca, cum ſpecif. Cephal. D. Mich. in vehiculo conveniente, quibus aſſumptis dolores ad partum recurrunt & ſimul *abortus digitum longus* excluditur. Quis ergo de poſſibilitate ſuperfœtationis dubitabit amplius?

(*Giſſa Auguſt am Vind. d. 21. Septemb. A. 1728 miſſa.*)

)o(

OBSER-

OBSERVATIO CXXV.

DN. Lic. CONRADI MICHAELIS VALENTINI.

Anatomia fœtus monſtroſi Gelnhuſæ die IV. Apr. A. 1728. editi, à Medico illius loci communicatæ.

I.

FOetus erat geminus ad umbilicum usque geminatis membris, vaſis atque viſceribus inſtructus.

II.

Similiter duo erant capita, duoque colla: Caput vero dextrum ſiniſtrum mole longe ſuperabat.

III.

Quatuor brachia, quorum dextrum infantis ſiniſtri cum ſiniſtro infantis dextri ab humero ad flexuram cubiti erant coalita.

IV.

Corpora à lateribus erant connata, ita, ut utrumque propria dorſi ſpina ad os usque coccygis gauderet.

V.

Sub uno tantummodo ſterno duplex erat pectoris cavitas, in qua recondita erant duo corda, per arteriam pulmonalem inter ſe communicantia, duo pulmones, quorum dexter magis glandulosſus, quam celluloſus erat.

VI.

Notatu dignum, quod in dextri lateris cavitate, ſupra pulmonem, ventriculus, ſplen, imò paulo ſuperius ren occurrerent.

VII.

Unicum diaphragma omnem thoracis cavitatem ab infimo ventre diſtinguebat.

VIII.

Hepar, infra diaphragma, per totam hujus latitudinem insolita magnitudine erat extensum; in cujus tamen parte convexa duæ cystides felleæ conspectui se offerebant.

IX.

In sinistro abdominis latere adhuc unus ventriculus occurrebat, cum liene, paulo inferius alter ren reperiebatur.


X.

Inferiores partes ab umbilico ad pedes unius solummodo corporis membra, vasa atque viscera exhibebant. Duplex tamen aderat vesica, cujus interstitium intestino recto erat pervium. Vesicæ ex fundo cohærebant, & hiatu quodam inter se communicabant.

XI.

In ano productio parva intestini recti apparebat, quæ primo aspectu pro parte membri virilis habebatur, accuratius autem considerata deprehensum est, quod nil nisi substantia cutanea fuerit eandem formam referens.

De cetero infans erat sexus sequioris bene alias formatus, & satis maturus, causa autem hujus erroris Naturæ, in formando hoc fœtu, censetur fuisse perturbatio matris post conceptum & primo graviditatis tempore ob subito visum partum gemellum in cunis decumbentem, quorum alter postea matre demortua, ipsi etiam ad lactandum fuit traditus.





OBSER-

OBSERVATIO CXXVI.

D. Lic. JOANNIS ERNESTI VALENTINI.

Chela aſtaci fluviatilis tribus apicibus prædita.

AStacos fluviatiles, quos cancros vulgo, ſed minus accurate, vocant, ſæpiſſime aut integras chelas, aut unum vel alterum apicem in illis amittere, etiam lippis & tonſoribus notum eſt. Rarius autem accidit ut quidem in illis excedant & abundent. Talem tamen chelam tribus apicibus inſtructam aliquot abhinc annis in cœna invenit & obſervavit Vir Conſultiſſimus Dn. *D. Gruber,* Prof. quondam Juris Ord. hujus loci; quam inter alia marina adhuc aſſervo. An autem apices nigri è chelis aſtacorum marinorum in pulv. bez. Anglicano majorem, quam illæ noſtratium, vim habeant, dubito.

OBSERVATIO CXXVII.

DN. Lic. JOHANNIS ERNESTI VALENTINI.

Nidus veſparum admirandus.

QUemadmodum apiaria, ad arcendas ab ipſis pluvias aliorumque incidentium injurias tecto vel pileo quodam ſtramineo munire ſolent illi, qui curam eorum gerunt, ita ſtupenda Dei per naturam providentia *veſpæ* nidos utplurimum ovales in parte ſuperiori tecto quodam mobili inſtruunt, cui radicula quædam eſt annexa, qua de truncis arborum aut trabibus tectorum in domiciliis civium, & ruſticorum illos ſuſpendunt, quæ omnia in veſpeto à Fratre meo

D. Conrado Michaele Valentini Grunbergæ (ubi Physici ord. munus gerit) sub tecto domus invento observare licuit, sicque verissima esse, quæ *Jonstonus* in Hist. nat. insect. Lib. I. cap. III. pag. 17. de iis retulit, & in TAB. II. eleganti figura ob oculos posuit, αὐτόπτης attestari possum.

OBSERVATIO CXXVIII.
DN. D. JOHANNIS HARTMANNI DEGNERI.
De
Calculo per anum sua sponte ejecto.

CAlculos in omni corporis parte, à capite ad calcem usque generari, & in satis notabilem magnitudinem concretos, sæpius absque multo incommodo tecte latere posse, ex observationibus constat. Habui ante annum hujus rei exemplum singulare; nam mulier quædam quinquagenaria, obesi valde corporis, subito colica violenta, accedentibus vomendi conatibus, corripiebatur, ad quam arcessitus pilulas quasdam laxantes eidem præscripsi, unde cum alvum deponeret, in vase supposito stanneo sonitum quendam ab alvi fæcibus exortum observabat. Hinc eas, an forsan nidus vermium, ut putabat, simul ejectus fuerit, famulæ mandat, ut inspiceret. At eo ipso tempore invisum veneram ægram, tum famula alvi fæces perlustrans producebat materiam quandam duram, quam aqua ablutam statim vidi esse calculum, hunc vero ut mihi traderet, obtinui. Erat autem ea figura & magnitudine, qua hic TAB. XI. fig. 2. ad vivum depingitur, pendens drachmas sex. Hoc onere excluso patiens plene, ut antea, & in integrum restituta est, eaque nec post nec ante hujus excretionem unquam incommodum aliquod doloris vel ponderis in abdomine se sensisse narravit. Quare mihi non licuit veram hujus calculi sedem & locum nata-

natalem indagare, quantum vero conjectura assequi valeo, partim ex loci situ, ubi dolor colicum simulans initium sumserat, partim ex figura ipsius calculi oblonga, eundem intra intestinorum tunicæ interioris vasa genitum existimo, qua tunica dein mole calculi urgente rupta, per motus spasticos ex sede sua ejectus & per inferiora protrusus fuit. Quod vero intra ipsos intestinorum parietes calculi revera concrescere possint, hoc ipso tempore, quo hæc scribo, sequens casus in novellis publicis memoratus evincit: Parisiis nempe d. XXX. Jan. 1728. perscriptum legi, quod *Dn. Marechal* operationem instituerit in fœmina, quæ sedere non poterat, sine doloribus, qui excitabantur à prægrandi calculo, magnitudine ovum gallinaceum æquante in interiori parte ani concreto. Dn. Marechal ibi hunc calculum universæ aulæ ostendit, ipsa vero fœmina XV. diebus persanata est.

(*Neomago Augustam Vind. d. 11. Mart. A. 1728. missa*)

OBSERVATIO CXXIX.

DN. D. JO. ADAMI LIMPRECHTI.

De

Dolore abdominis, post assumtum pulverem ex solo cortice Peruviano constantem crudeliter Senem cruciante.

ANuo superioris seculi septuagesimo quinto Clarissimus in Academia Lugdun. Batav. Medicinæ Professor, Celeberrimi *Sylvii* olim discipulus, *Dn. D. Schacht,* seni cuidam, cui nomen erat Petrus, qui ætatem ad sexaginta & aliquot ultra annos perduxerat, temperamento phlegmatico prædito, & febre quartana, in Lugdunensium nosocomio per multum temporis spacium laboranti, pulverem corticis Chinæ Chinæ ante paroxysmum assumere mandabat tempore æstivo.

Se-

Sequente die omnes & singuli, Germani, Belgæ & Britanni Medicinæ studiosi, quotquot lecto ægrotantis adfuimus non sine stupore audivimus Petrum hunc lachrymis largiter offusis Medicum hunc jam nominatum magno studio orare atque rogare, ne hoc medicamenti genus repetere cogeretur, tanta enim post hoc assumtum in ventre tormina se persensisse testabatur, ut potius quartanæ paroxysmos per annum integrum sustinere mallet, quam unica vice adhuc atrocissimos hos perferre cruciatus. Observavit doloros tensivos, post usum corticis hujus, suo etiam tempore B. Michael Ettmüllerus, Amplissimi nominis per orbem eruditum Medicus, Lipsiæ quondam Præceptor meus fidelis, quando de usu & abusu præcipitantium cap. 3. §. 5. de ligno febrium (Hispanis Palo de calenturas, idem est ac nobis china chinæ) prolixe disserit; quem locum etiam citat, *B. D. Daniel Crügerus*, in observatione 148. Decur. III. ann. III. ubi aliis quoque exemplis mea confirmatur historia.

(Berolino Augustam Vindel. d. 14. Apr. A. 1728. missa.

OBSERVATIO CXXX.

DN. D. JOHANNIS ADAMI RAIMANNI.

De

Pathologia Stranguriæ in gravidis.

CUm in præsenti constituerim *causas mictus gravidarum difficilis* indagare & exponere, hoc ipso tanquam specimine quodam declarare volo, digniorem & necessariam magis, quam quidem inexperti credant, esse solidiarum partium præ fluidis, sicut in curatione morborum in genere, ita *stranguriæ* in specie, considerationem & attentionem. Est autem mihi sermo de eo vitio excretionis urinæ, ubi illa justo & so-

& solito frequentius, licet non guttatim semper ut in vera stranguria, parcius tamen & cum dolore redditur, quod mali genus prægnantes non saltem extremis gestationis mensibus, uti vulgo etiam muliercularum notum est, sed primo etiam graviditatis tempore nonnunquam vexat & torquet. Silent equidem de hoc symptomate plerique fere Medicorum commentarii, sive quod minoris momenti affectum, ac necessarium quasi accidens reputent, sive quod mulierculæ, intempestivo & perverso pudore ductæ, malint istam molestiam suam, spe successuræ brevi in melius spontaneæ mutationis, patienter ferre, quam Medicum, præcipue uti metu gravioris non urgentur mali, exquirere consilium. Nihilominus tamen confirmata didici experientia, fœminas quasdam, largius præcipue per menses expurgari solitas, altero à conceptu mense, aut tardius, de frequentiori ad urinam mittendum stimulo, & ardente paucaque micturitione nonnunquam conqueri, quarum aliquas cum subinde per incerta intervalla cognovissem experiri afflictiones illas, vitio cuidam diætæ acceptum ferre consueveram; ast ubi solertiori indagine, nonnullas continuo ad medium gestationis usque tempus ita micturire, assequutus fuissem, mutavi sententiam; præcipue postquam duæ mihi fœminæ, mediocris corporis habitus & ætatis, aliquot etiam liberorum matres innotuerint, quæ statim ac conceperunt, ad medium gestationis tempus continuo, licet exquisitæ diætæ regimine adhibito, ardenti tali urinæ affligantur stillicidio, extra prægnationem autem immunes prorsus ab hoc persistunt & vivunt symptomate; ut hinc, sicut Ferrariensis quædam fœmina in Ephem. N. C. D. 2. A. X. obs. 89. epilepticos alias insolitos insultus; uxor Hannemanni, Act. *Haffniens. Vol. 3. obs. 17.* cessantem odontalgiam, qua non prægnans multum torquebatur; alia accedentem singularem mentis impotentiam *Dec. 3. A. 2. observ. 4.* pro signo indubio prægnantiæ habebant, ita hæ ipsæ priusquam graviditatem plenus indicaret ac doceret uterus,

prægressum fuisse fœcundum coitum, nunquam frustrante opinione & prognosi, iteratis experimentis cognoscere didicerunt. Vivendi autem dispar est utrisque ratio, una quippe harum lautiori, altera tenuiori fortuna & mensa utitur, illa indies vinum pro satietate sorbet, hæc pro deliciis saltem eo fruitur; unde pro causa nullum hic victus singularem vitium accusari potest, in eo tamen conveniunt utræque, quod difficilius & cum dolore menstrua reddere consueverint.

Jam ut ad affectus hujus progrediar Pathologiam, micturitionem hanc extremis prægnationis mensibus unice propter prætumidam uteri molem, absque concursu fluidorum demonstrabili vitio contingere, nemo facile, uti spero in controversiam adducet: hæc enim dilatationi & distensioni naturali vesicæ obicem ponendo efficit ut eandem urinæ copiam, quam alias, capere nequeat, hincque frequentiori conatu eandem rejiciendi incurrat necessitatem; sicut alias ex tumore vicino vesicæ eadem frequentia micturire experimur aliquando homines, qualem casum inter alios *Timæus l. 3. obs. 44.* suppeditat: cum autem distentus ita uterus vesicæ corpus non saltem repellit, sed collum hujus etiam eo ipso contorquet, fit ut denegato per urinalem fistulam liquori, exitu, sicut alias in calculosa stranguria evenit, acris simul & dolens sequatur mictus: hinc sublata hac causa & concidente post partum uteri mole, tollitur etiam extemplo hæc affectio. Si vacuato utero similis molestia remaneat puerperis, quod ob eandem distorsionem urethræ ex partu violentiori & hinc emergente procidentia Vaginæ uterinæ non nunquam contingit, tum, quamvis dolorosa, non ita tamen frequens, sicut in prædictis, est micturitio. Novimus fœminam plebejam diutius simili mictu afflictam, cujus cum ignoraret caussam, diversa licet eaque multiplici medicatione uteretur, nihil profecit, donec cum tempore propendentem vaginæ portiunculam, pessario retrudens, consilio nostro, præsens consequeretur levamen.

Utrum

Utrum autem *ſtranguria gravidarum* primo geſtationis tempore familiaris, pari vitio ſolidorum, absque ulla fluidorum in qualitatibus ſuis labe contingat, erunt forte qui addubitabunt, quibus ut omnem ulteriorem ſcrupulum tollam, ſuccinctam, evidentem tamen, ut opinor ætiologiam affectionis hujus ſiſtam. Scilicet noto notius eſt, uterum gravidarum non repurgari ſanguine, qui ſingulis aliàs menſibus, tam per ipſum quam per ejusdem vaginam excerni ſolebat, quo menſtruo tributo retento, copia humorum non ſaltem in toto corpore creſcit, ſed vaſa præcipuè uterina ob continuum ſanguinis affluxum, tam in longitudine quam latitudine, ſive quoad diametrum ſucceſſive tanta etiam accipient augmenta, ut extremis prægnationis temporibus, *Regnero de Graaf* teſte avtopta, majora uteri vaſa ſanguifera digitum facile in cavitatem ſuam admittant. Liquido præterea ex Anatomia conſtat, collum veſicæ in mulieribus firmius connecti vaginæ uteri, quam quidem in viris inteſtino recto, utrisque etiam veſicæ ſcilicet ac utero communes eſſe, ac hypogaſtricis ſcilicet ramis procedentes venas & arterias, quæ cum, uti dixi, ſucceſſive infarciendo diſtendantur, communicant per communionem vaſorum veſicæ etiam diſtenſionis ſenſum, cumque inſuper ipſe uterus etiam craſſeſcat, ſicque fibras & membranas vaginæ uterinæ & hinc collum veſicæ in conſortium rapiat, pervertitur & quaſi contorquetur ita urethra cum ſphinctere veſicæ, ut cum is officio ſuo exacte fungi nequeat, minori licet ſolito urinæ copia præſente, micturitionis tamen ſuccedat neceſſitas, quæ cum ob diſtortam urinalem fiſtulam facile & libere peragi non poſſit, ardoris ſenſum producit. Ubi autem fœtus jam robuſtior, medio prægnationis tempore plus abſumit nutrimenti, huicque oneroſa portio ſanguinis in incrementa inquilini, qui eſt in utero, impenditur, minuitur plethora hæc quoad vaſa uteri, quæ etſi una cum utero, exacto hoc tempore, majora accipiant augmenta, tamen cum tono & reſiſtentia eorundem ſupera-

ta, distensioni magis obediant, & sequacia evadant, non æquè amplius sicut antea vicinas sibi partes in consensum trahunt, unde dolorosæ mictionis spontanea sequitur remissio, manifesto argumento sanguinem menstruum prorsus insontem esse. Etsi enim controversiam hanc meam nunc facere non libeat, utrum is nunquam à qualitate laudabili desciscat, & intemeratus ex omni muliere profluat, id tamen firmiter persuasum habeo, eundem venenosæ illius qualitatis, quam ipsi credula affinxerat Antiquitas, expertem esse. Quod si ergo retentus in prægnantibus & uterum gerentibus longiori temporis mora, uti prætenditur, magis depravaretur, & acrior evaderet, augmenta potius, non cessationem & finem illius molestiæ experirentur gravidæ, corruptionisque, si quæ adesset, notæ in urinis conspicua forent indicia.

Oportune autem jam *Hippocrates* V. Aph. 58. monuit, & connexionem uteri laudatam & viciniam vesicæ, inflammatione ejusdem præsente, urinæ sequi stillicidium; quod ulceribus etiam uteri accidere, plurium testatur Medicorum experientia. Quam proclive vero sit, suppressis præter naturam mensibus, vitiosam hanc excretionis urinæ succedere speciem, id demonstrationis loco esse potest quod idem *Hippocrates* expressis verbis ejusdem meminerit, dum in libro de natura Pueri p. 237. Edit. Foës. ita inquit: Menses suppressi interdum vesicam offendunt, eamque premunt & urunt, urinæque stillicidium afferunt. Et si Medentes indagandæ veritati serio incumberent, nec aliis assentiendo cœcutire mallent, visoque hoc symptomate, statim de arena vel calculo somniarent, persuasissimus sum, in Praxi circa morbos muliebres, frequentius, quam inexperti putarent, deprehensuros ipsos esse, ex hoc principio oriens istud mali genus. Cum enim turbatos vel suppressos menses frequenter hæmorrhoidalis fluxus, salutari naturæ consilio excipiat, is autem antequam perrumpat, diversas fibroso-porosarum partium & vasorum spasmodicas stricturas requirat, facile ob viciniam loci ad vesicam etiam, tam in mulieribus quam

quam viris, convulſionis hic pertingit ſenſus, incautisque ſæpius imponit, turpi errore, ſtranguriam calculoſam ſubeſſe. Imo cum menſes & hæmorrhoides, præcipue ſuppreſſas, mictum ſanguinis & veſicæ hæmorrhoides ſequi obſervârint ſagaciores Medici, quis ultra dubitabit, poſſe ex hoc principio gigni in gravidis dictam micturitionem. Novi ego hic loci fœminam exſuccam, quæ ob præmaturam menſium, 38. ætatis ſuæ anno ſcilicet, emanſionem, toties (præter familiaria molimina in abdomine ſpaſtica) dolorificum hoc circa excretionem urinæ experitur ſymptoma, quoties hoc, quo alias ſollenni viciſſitudine repurgabatur, revolvitur tempus.

Non multum diſpar eſt ratio mictus ſimilis, primo prægnantiæ tempore obſervati: quamvis enim vaſorum laudata diſtenſio, in his non adſit, hoc tamen extra controverſiam poſitum eſt, oſculum uteri ita, ut vix ſpecillum admittat, conceptu facto contrahi. Experimur inſuper, ſenſibiliores præcipue fœminas, varias alterationes motus tonici incurrere, & ad horripilationes valde pronas eſſe, quas oſcillationes & fibrarum convulſiones ſpasmodicas, ad veſicam etiam pertingere, non multum mirabimur, ſi conſideraverimus, non ſaltem renum vitia ob connexionem per ureteres cum veſica, ſed vermes etiam nonnunquam inteſtinorum, ob ſpasmorum communicationem ſtranguriam ſequi; cujus rei memorabile nobis exemplum D. *Albrecht Ephem. D. 3. A. 2. obſ. 203.* ſiſtit in Adoleſcente, qui à teneris fere frequenti & doloroſa afflictus mictione, multa à multis pertulit Medicis, quorum quidam acres humores cicurare, quidam renum vel veſicæ ulcus perſanare, alii calculum frangere & diſſolvere, ſerio, ſed fruſtra diu intendebant: donec pertæſus æger laboris fruſtranei, ubi naturæ negotium commiſiſſet, ejectis in copia cucurbitinis vermibus, in tantum convaleſceret quod niſi iterum nova tæniarum pars excernenda foret, immunis penitus ab hoc ſymptomate perſtiterit. Non inanis equidem eſſet ſuſpicio vermes hos latitaſſe in tumore circa inteſtini in

recti productionem enato ibidemque, tanquam peculiari folliculo conclusos exstitisse, quales tumores verminosos in canibus observarunt *Schenckius, & Wepferus, D. 2. A. 7. obs. 16.* sicque vicinam vesicam premendo hunc produxisse mictum; nisi omnium Medicorum consensu constaret, vermium hoc genus, non intestini recti, sicut ascarides sunt (ex quibus urinæ ad dies duos suppressionem nuper admodum in infante productam fuisse recordor) incolas esse, sed universum fere systema intestinorum occupare, unde expulsioni pertinacissime etiam resistunt, & concatenata serie ad ulnas aliquot ejiciuntur, spasmosque idcirco torminosos multos in ventre, observante jam *Hippocrate IV. de Morb. p. 512.* excitant, quas torsiones circa umbilicum cum nausea recte *Galenus* pro maximo signo diagnostico reputat, & laudat. Qui spasmi cum nonnunquam latius in remotas etiam excurrunt regiones corporis, ut juxta *Hippocratem*, ad hepar, dorsum, diaphragma unde vocis accedit defectio, imo ad ipsam gulam & fauces, unde stomachico-cardialgici tensivi & hypochondriaco-hystericis affines consurgunt dolores; qualia symptomata conspeximus in fœmina, ex hoc principio enata, quæ jejuna cum nauseabunda vomituritione & torminibus circa umbilicum, ascensus in fauces sensum diu pertulit (es schiene ihr, als wann etwas den Hals herauf kriechen wollte) donec, ejecta tæniarum ulnarum nostratium 7. longitudine, convalesceret; facile hinc ad vesicam etiam pertingere, spasmosque fibrarum in collo ejus producere, & liberum exitum urinæ eo ipso præpedire posse perspicimus. Frivola vero & inanis esset putatio, semen forte mariti degenerans & acre, in fœminis his binis, quas memoravimus, induxisse mictum dolentem. Ut enim taceam conceptionem ex tali semine impossibilem fore, obstat id quod brevi semine ejecto & ex vagina uteri post coitum profluo, evanescere debuisset (quod tamen non accidit) hoc symptoma.

In Therapia ordinanda non est cur multùm laborem; quicquid enim moliaris, lenies, aut ad pauculum tempus suspendes, sed non tolles, ante medium gestationis tempus, perfecte hoc malum. *Wedelius equidem Pathol. Med. S. 3. cap. XII. p. 661.* meminit fœminæ simili affectu detentæ, quam se resolventibus carminativis anodynis, extus vero oleo petræ curasse perhibet: sed parcant Wedeliani manes, si hic fallaciam non causæ ut causæ commissam esse conjiciam ex eo, quod ad medium fere gestationis tempus ardorem urinæ eandem pertulisse indicet, quo tempore, uti in affectus hujus historia præmonui, sponte sua & absque ullius remedii usu cessare solet. Nec est cur operosa medicatione ægrum gravemus, qui plus molestiæ quam periculi ex hoc symptomate sentit. Dicam tamen, quod certissimum remedium casu potius quam consilio esse didici: Fœmina abortiendi periculo bis defuncta, ubi rursus uterum gereret, & tertio mense iisdem quibus alias, ante abortum affligeretur malis, torminosis scilicet cum tenesmo & ardore urinæ complicatis dejectionibus, ne prior denuo moveretur tragœdia, nobis jubentibus venam aperiri facit, extractoque sanguine non torminosæ saltem dejectiones, sed stranguria quoque perfecte sublata est: evidenti rursus argumento, traditam theoriam mictus illius naturæ rei maxime conformem & veram esse, sublata quippe venæsectionis ope, causa nempe plethora, sublatus est etiam effectus. Ratum ergo esto stranguriam illam, propter spasmos colli & sphincteris vesicæ adeoque vitio solidarum, absque ulla fluidarum partium in qualitatibus suis, labe, proficisci; quod erat demonstrandum!

(*A. 1728. d. 20. Apr. Eperieso Aug. Vind. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXXI.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

Morbus epidemius Lipsiæ 1718. Menſ. Januar. Febr. Mart. & April. graſſatus.

MOrborum epidemiorum hiſtoriam notare atque deſcribere utiliſſimum merito inſtitutum habetur. Quare morbum noſtrum epidemium, qui anno 1718. circa finem Januar. usque ad finem Aprilis Lipſiæ graſſatus eſt, ut hìc inſinuem, & circa eum viſa obſervata ac notata ab aliisque communicata tradam, convenientiſſimum exiſtimavi, nimirum per anni 1717. autumnales & ſequentis anni 1718. hyemales vernalesque menſes aëre tepidiori graves fuere, remiſſiori maxime interveniente frigore hyemali & ventis auſtrinis atque occidentalibus impetuoſis fere ſemper, imo non raro procelloſis noſtra agitabatur regio. Autumno nebulæ videbantur frequentiſſimæ & pene quotidianæ atque viciſſitudines mutationum variarum ſubito ingerebantur. Circa medium præſertim Januarii aërem tepidum craſſum diutiusque huc usque perſeverantem derepente frigus vehemens & intenſiſſimum excipiebat, ſed poſt 5. dies de ſævitate ſua ſubito iterum remittebat & ſequentes dies hujus ſequentiumque Febr. Mart. Aprilisque menſium pari tempeſtatum tepore & humiditate atque alterna ſubita mutatione hæc aëris inſalubritas percurrebat. Hæc diutina & humida aëris conſtitutio ſat potens eſt partium tonum relaxandi partesque disjungendi, ex qua relaxatione humores increſcunt, atque augentur ſecretiones & excretiones, tranſpirationes maxime per poros cutis impediuntur & ſufflaminantur; Humores corrumpuntur, ſalia morbifera ab humido tenui penetranti evolvuntur ac explicantur. Hæcque ſubitaneo in contrarium tempeſtatum alte-

alteratio totum corpus humanum alterat ac lædit gravissime. Tum temporis & nostram urbem morbus quidam acutus invasit 5. & 7. homines in una domo sæpius corripiens. Is præter ordinaria & consueta febrium acutarum nec non malignarum phænomena in ægris, inprimis in principio statim virium infirmitate, præcordiorum angustiis, anhelatione & difficultate quadam respirandi, tensione molesta in abdomine dorsum versus & capitis dolore gravativo, tamen sine subsequentibus vomitibus erat stipatus, tumebat facies, aderant oculorum rubor, stupor, continuæ vigiliæ, deliria & furores, inter quos multi velut risum edebant. Multis collum intus inflammabatur, posthæc mox copiosissimæ hæmorrhagiæ narium ad ℥viij. xij. & ultra per duos quandoque dies interruptis vicibus perseverantes insequebantur, quibus largioribus hæmorrhagiis melius se habebant ægri, soluta scil. stagnatione & congestione in capite sanguinis, & cum eo infestæ materiæ ex spasmo in abdominis visceribus eò delatæ, quibus vero stillabat saltem guttatim sanguis, periculose decumbebant, & utplurimum moriebantur, sicuti etiam aliàs ordinariò experimur Naturam male evacuare quando parum evacuat. Æstus in hoc morbi genere mitior erat quam in consuetis febribus continuis ardentibus biliosis, in quibusdam purpura rubra & alba imo petechiæ jungebantur. In paucissimis animi deliquia intercurrebant; nullæ tamen convulsiones membrorum notabiles & epilepsiæ observatæ sunt, nullique sudores notabiles, sternutationes, per salivam excretiones, neque singultus & similia alias quandoque in ejusmodi consueta symptomata. Multis multi etiam furunculi iique copiosi in corpore & multis quoque abscessus in natibus ut plurimum nati sunt dolorifici & sensum molestissimum ardoris magni inferentes, carnem depascentes, atque hi, quibus ejusmodi contigerunt, sunt servati, Multis diarrhœa 4. 5. die fluxit. Post hæmorrhagias, quibusdam etiam sine iis, in paucis saltem, morbus sudore largo finitus est, ex quo melius statim se habuerunt, nullum tamen contagium notatum

eſt, per quod in adſtantes vicinosque malum eſſet propagatum. Pulſus erat utplurimum languidus, celer & inæqualis, in ſpecie colli arteriæ valde pulſabant, in multis etiam ordinarius & ſanorum ſimilis erat. Lingua deprehenſa eſt ſicca & ſubfuſca & extremorum infrigidatio, urina conſpiciebatur pauca, craſſa, rubra turbida, ſedimento tamen carens. Alvus aliàs utplurimum parcius fluebat. Erecto magis corporis ſitu & elevato melius ſe habebant ægroti, perpendiculari magis pejus, ſub ſupino paulo peſſime, indicio, ſanguinis impetum raptumque ad caput hanc corporis poſituram facilitare. Regimen paulo calidius minime ferre potuerunt ægroti; ſitis non adeo urgebat. Corripiebantur hoc morborum genere potiſſimum ſanguineæ & ſanguineo-cholericæ conſtitutionis & ſtrictioris corporis habitus homines, ad iracundiam proni, vitæ ſedentariæ dediti magis, diætæ negligentiores, & qui intempeſtive frigidum & humidum aerem admiſerunt. Juvenes quoque & mediæ ætatis magis homines afficiebantur, forte quod in his ſerum ob ſulphuris copiam ad ejusmodi effrenem motum maxime ſit pronum. Atque mares magis fœminis aggrediebatur hic morbus. Brevi finiebatur; die ſcilicet 4. 5. 6. 7. ubi moriebantur ſummis deliriis & præcedente notabili corporis inhorreſcentia. Convaleſcentibus caput per multos dies erat debile & infirmum & in hanc ac illam partem nutabat. Auxilio fuerunt ſtatim ab initio venæ ſectio largior, etiam iterata, ſanguis ſic detractus ſanguini Pleuriticorum non multum erat abſimilis. Interne cum fructu adhibita fuerunt præcipitantia cum nitro, pulvis pannonicus ruber, ℞ flor. bellidis & -∩- ⌽ dulc. vitriolique. Enemata quoque commode ſtatim principio injecta & iterata lenientia divertebant, ut & vellicantia & rubefacientia nuchæ applicata. Volatilia, cardiaca, bezoardica paulo calida & ſudorum inprimis in principio provocationem plane non tulit hoc morbi genus, ſed deliria & vigiliæ aliaque ſymptomata ſenſim ſunt aucta & petechiæ ſtatim magno numero prodibant,

bant, ſudore viſcoſo maxime in capitis & colli regione ſuborto. Purgantia ſi data ſunt, adeo non proficua fuerunt, ut quoque magnam noxam attulerint. Obſervatum etiam eſt aliquoties, ſi quando ſuſpicio futuri morbi adfuerit, ſi quidam purgans ad minuendam peccantem materiam præſcripſerunt, deliria, ardores, vigiliæ aliaque ſymptomata atque fere atrociora elapſis 4. ſaltem horis exinde ſubſecuta ſunt, quoniam ſine dubio purgantium partes acres fermentativæ mixturam humorum turbaverunt, particulasque morbificas, quæ latuerunt, in actum deduxerunt. In ipſo diarhææ fluxu quoque nitrata egregia fuerunt. Leniebant quoque capitis dolores, phantaſmata & deliria, epithemata ♒ſa, nimirum ex ♒ vini camphorato cum oleo Ligni rhodii & ♒ roſarum tepide fronti applicata. Sub ipſis hæmorrhagiis pedum frictiones & focus calidis linteaminibus apprime utiles deprehenſi ſunt, jugiter enim fluxerunt hæmorrhagiæ, deliria & furores notabiliter ſunt ſopiti &c. intus vero cum fructu laudabili datum eſt diaſcordium Fracaſt. cum nitro mixtum. Relatum eſt, ab opiatis deliria & furores præter modum aucta fuiſſe. Pediluvia & frictiones pedum ſine dubio è re fuiſſent, ut nimirum impetus ſanguinis & humorum à capite ad partes inferiores magis fuiſſet derivatus. Nec dubium eſt, quin & vomitoria ante invaſionem & prima ſtatim invaſione optima fuiſſent. Diæta tenuis & refrigerans convenientiſſima fuit. Multi hunc pro morbo Hungarico habuerunt; ſalvo tamen illorum judicio adhuc ſecus opinor, ſi conferantur atque juſte æſtimentur ea, quæ à probatiſſimis Auctoribus in morbi Hungarici deſcriptione, Th. Jordano nempe, Conradino, Octavio Roboreto, Rulando, Cobero, Oberndörffero aliisque per obſervationes hinc inde notatas, afferuntur. Licet enim occupaverit ſtatim caput, & deliria adfuerint, & pervigiliæ & alia accidentia per ſeriem recenſita; tamen exinde non ſtatim eſt concludendum, quod fuerit morbus Hungaricus. Nam omnes ferme morbi acuti ſunt ſtipati ejusmodi ſymptomatibus. Mor-

bus ille Hungaricus tandem ex ſui negligentia ad morbum mortemque ſenſim deducit homines, cum in initio animales functiones non turbet prorſus, ſed paulatim in aptitudinem ad eas inducat & non prius malitiam ſuam prodat quam homine jam proſtrato diuturno decubitu. Provenit maxime is abuſu rerum ſex non naturalium & ſiniſtro uſu & prorſus mutato, intemperantia utplurimum caſtrenſi, fructuum, vini meracioris, nimia ingurgitatione inprimis in non adſuetis militibus gregariis (hinc & vomitoria mox & mature adhibita optima ſunt) decubitu in terra ſolis fervore interdiu paucis tolerabili, nocturno vero frigore intenſiori, aquarum fœditate, aëris craſſitie, impuritate & inæqualitate. Juxta caput & in ſpecie frontem, quod in morbo Pannon. primario afficitur, ſtomachus, ſpecialiſſime orificium ventriculi laborat adeo, ut ſi illius regionem vix molliter attigeris digitis, dolere maxime non ſolum atque adeo intumeſcere deprehendes, adſunt enim enormes & præcordiorum anguſtiæ, nauſeæ & ciborum ſummum faſtidium ac aurium & oculorum dolor & inflammatio, auditus difficultas, temulenti & admodum perturbate dormiunt, & mire clamant in ſomno, tuſſis etiam adeſt violenta. Pulſus in morbo Hungarico utplurimum eſt formicans. Præſto ſunt ſitis moleſtiſſima & ſicca vixque extinguibilis, deglutitionis & reſpirationis difficultas immo angina atque prunella, item vomitus, ſudores enormes & frigidi, urinæ ſuppreſſio, dyſenteria, & ſæpius vermes excernuntur. Summa linguæ ariditas & fiſſura, faucium excoriatio, anhelitus fœtens, ventris inflatio inſignis, inquietudo maxima, cordis palpitatio, totius corporis laſſitudo inconſueta aliàs, guſtatus læſio ſe produnt, oculi lacrymis ſtillant, &c. Cæterum contagioſus eſt quam maxime, & quæ ſunt alia plura ſymptomata. Hæc vero potiora in noſtro item obſervata ſunt morbo, nec omnia ea quadrant ad eum.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXII.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De Colica, stata sua tempora servante.

EA est morborum spasmodicorum indoles, ut aliquoties reversi, suas periodos suaque stata tempora febrium intermittentium ad instar exacte servent; spasmi vero maxime familiares sunt ventriculi & intestinorum membranoso-nerveo-musculosæ compagini, qua de re exemplum quoddam adjiciam: Vir quinquagenario major macilenti corporis habitus; & temperamenti cholerico-phlegmatici, ante IV. menses, die Dominica, commessatione & vini Rhenani aut potius Franconici largiori ingurgitatione facta, in colicam flatulentam, circa quintam horam vespertinam, incidit gravissimam, quæ ad alterum usque diem usque ad 10. horam matutinam, remediis licet congruis adhibitis, durabat, simulque capitis dolorem, vertiginem, anxietates præcordiorum, palpitationem cordis inferebat; quæ singulis dein diebus dominicis, circa hanc ipsam horam per VI. septimanas recurrebat, sævitiamque per integram noctem ad horam usque 10. matutinam, remediis frustra adhibitis, exercebat. Elapso hoc tempore vices aliquoties mutavit, & alternis vicibus stata rediit, stationemque suam retinuit; post hoc vero tempus singulis septimanis indicata die Dominica rediit; hucusque hunc typum pertinaciter retinuit hæc colica, dictisque symptomatibus afflixit. Postquam vero per III. septimanas laxantia & præsertim clysteres, atque repurgatis bene per hos primis viis, alterantia, resolventia, discutientia, carminativa, media tamen nec mera oleosa, & volatilia in usum vocavit, molestum hoc accidens hucusque emansit. Præsertim autem frequentius adhibuit, cum notabili levamine, medicamentum

ex essentia Castorei, spiritu nitri dulci & spiritu salis ammoniaci, junctis externis inunctionibus ex oleo expresso nucis moschatæ, ol. destil. rutæ, atque alternis diebus vesperi pediluviis. Spes itaque superest, illud malum non amplius reversurum esse, si modo Patiens debitam quoque diætam servare, & præsertim à comessationibus & largiori vini potu, præsertim eodem die, aut aliquot diebus ante eum, quo redire solebat, abstinere vellet.

OBSERVATIO CXXXIII.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De fœmina quadam, quæ visa epileptica, in eundem morbum incidit.

NOtabile est, *epilepsiam*, ut & omnes propemodum morbos convulsivos vehementiores, & terribilia spectacula edentes, spectatores eos maxime imbecilles & tenerioris sensibiliorisque constitutionis, & concepto horrore atque terrore, in similes motus perversos conjicere; quod pluribus exemplis constat. Ejusmodi præterito anno in thermis Carolinis forte observavi in virgine quadam 26. annorum, tenerioris & sensibilioris naturæ, spasmodicis affectibus hypochondriacis obnoxia, quæ ex fenestra prospiciens ex improviso vetulam horrenda epilepsia correptam in platea conspexit, unde concepto horrore statim in epilepsiam per dimidiam horam durantem, miserandumque in modum torquentem incidit, quæ singulis diebus eadem hora pari sævitate rediit, nec pristinæ sanitati & integritati restituta ex thermis abiit.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIV.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De nebula quadam morbifera.

SUperiore anno, circa autumni finem, in pago quodam, uno milliari ab urbe Lipſienſi ſejuncto, quinque lignatores, cum muliere quadam in denſa ſylva proxime adjacente, ab exorta nebula fœtida ita affecti ſunt, ut omnes, antea ſani ac robuſti, febre maligna purpurata correpti fuerint, unde quatuor eorum una cum fœmina intra triduum perierunt, unicus ſaltem, poſt diem undecimum convaluit, ſed per tres propemodum menſes ſopore veluti quodam laboravit.

OBSERVATIO CXXXV.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

Rabies & hydrophobia, tractationi pellis, rabie extincti canis adſcripta.

PEllio quidam, in vicino oppido, canis cujusdam rabie extincti pellem tigrinam, à Nobili quodam accepit præparandam, ex cujus tractatione rabidus & hydrophobus factus eſt, quod à Medicis etiam quibusdam pelli acceptum eſt relatum. An tractationi iſtius pellis hoc vitium revera adſcribendum ſit, aliis equidem dijudicandum relinquo. Ad me quod attinet, ægre adducor ut idem credam cum potius arbitrer, iſtud malum ſonticum à miaſmate maligno cum ſaliva animalis per morſum communicato tantum propagari, nec alio modo inferri poſſe; quoniam ab occiſorum aut mortuorum

tuorum animalium rabidorum tractatione, hydrophobiam in homine unquam fuisse excitatam, nullis (quod sciam) observationibus constat.

(*Lipsia Augustam Vind. An. 1728. d. 29. Apr. missæ.*)

OBSERVATIO CXXXVI.

DN. D. CASPARI NEUMANNI.

De Oleo destillato Formicarum æthereo.

OLea artificialia omnia commode in *duas classes* generales dispesci possunt, scilicet in Olea *expressa* & Olea *destillata*, illa iterum in Olea *expressa simplicia* & Olea *expressa composita*; hæc destillata vero in *Olea essentialia & Olea empyrevmatica seu fœtida* distingui queunt, ita ut forte unum vel alterum tantum, quæ nec expressione nec destillatione producuntur, seorsim, (si stricte ea dividere placeret) locanda restent.

Olea *expressa* & Olea destillata *essentialia* primario ex subjectis *Vegetabilibus* oriuntur; sed Olea destillata *empyrevmatica* non tantum ex vegetabilibus, sed etiam ex omnibus animalibus, imo etiam ex quibusdam Mineralibus parari possunt.

Attamen Oleum ex Vitellis Ovorum & alias quasdam ex animalibus partibus separatas teneras pinguedines Oleis expressis annumerare, eoque insimul demonstrare possumus, quod etiam *quædam Olea expressa ex Regno animali* extrahi possint; Verum quod etiam *Olea essentialia seu destillata ætherea in Regno animali* existant, vel quod ejusmodi ex subjectis animalibus separari & demonstrari possint, adhuc dum (quantum equidem novi) ignotum, imo nequidem possibile creditum fuit.

Scopus

Scopus meus jam non est, de *omnibus Oleorum generibus* nequidem unius ejusdemque speciei, nec de omnibus Oleis expressis, nec de omnibus Oleis destillatis tam empyreumaticis, quam essentialibus omnibus agere; sed intentio mea est, tantum *unicum oleum æthereum* in medium proferre, & quidem tale, de quo adhuc parum vel nihil cognitum fuit, ad quod nemo cogitationibus suis respexit, vel respiciendi unquam causam habere potuit, paucis tamen in antecessum generalia quædam de Oleis destillatis essentialibus proferam, ut tanto facilius concipi queat, in quem ordinem adductum Oleum jure referendum sit.

Olea destillata, quæ non empyreumatica vel fœtida sunt, communiter, distinctionis gratia, *Olea essentialia*, à quibusdam tamen quoque *Olea ætherea* appellantur: *Essentialia*, quia ordinario totam subjecti illius, ex quo separata sunt, crasin & vires continent, & quia in iis partes olidæ & sapidæ si non semper simul, saltem olidæ certò & quidem concentratæ præsto sunt, unde quoque à quibusdam Quintæ *Essentiæ* & à Gallis *Essences* vocari consueverunt; *Ætherea* autem audiunt propter teneritatem & volatilitatem, quæ tanta est, ut eorum quædam in aperto aëre toto sui pondere exhalent, evaporent & sensim evanescant, pleraque autem, si non maximo sui pondere abeant, tamen quoad præcipuas olentes teneras & præstantissimas partes inopinato *ætheris instar* avolent, & in aëre dispereant, ita, ut in quibusdam, quæ studio aperta relicta fuerunt, parvum equidem ponderis decrementum, sed tantum exanime quasi corpus reperire liceat, puto Oleum, quantum visui quidem apparet, adhuc perfectum, sed quod ferè nihil odoris & saporis adhuc possidet, siquidem optimas tenerrimas pretiosissimas *æthereas* præstantissimas olentes & characteristicas sui partes tanquam animam perdidit.

Me quod attinet adhuc inter *Olea essentialia & Olea ætherea parvam* quandam *distinctionem* facere soleo, scilicet Oleis essentialibus annumero paulo graviora & crassiora, æthereis

autem oleis comparative teneriora, leviora, & ſubtiliſſima Olea deſtillata. Requiritur, ut *Olea eſſentialia* abſolute odorem ſubjecti illius, ex quo extracta ſunt poſſideant, non autem neceſſe eſt, ut aquæ ſemper ſupernatent, licet pleraque illud faciant, ſed poſſunt etiam in & ſubter aqua natare. *Olea* vero *ætherea* non ſemper ſpecificum plane odorem habere debent, licet eum habere poſſint, & pleraque revera eum habeant, ſed de iis abſolute requiritur, ut aquæ ſupernatent, imo eorum quædam adhuc ipſo Spiritu Vini leviora eſſe eique ſupernatare poſſunt.

Ejusmodi quoque perquam ſubtile & ipſi ſpiritui Vini innatans *Oleum deſtillatum æthereum* eſt illud, de quo mihi jam quædam verba facere liceat, quod non ex floribus nec cortice, nec fructibus, ſeminibus, herbis, nec balſamo, brevi, ex nullo vegetabili ſubjecto extraxi, prout ex iis omnia alia hucusque cognita Olea deſtillata ætherea extracta vel extrahenda ſunt, ſed oritur *ex Regno animali*, & quidem non ex hac vel illa multa forte pinguedine onuſta animalis parte, ſed ex toto quodam apertiſſime gracili *Animalculo*, quod fere nihil niſi peduſculos & humorem monſtrat, quodque contemtiſſimis creaturis, Vermibus & inſectis accenſetur, ſcilicet *ex Formica.*

Quod in deſtillatione *Spiritus Formicarum* abſtractitii interdum veſtigii oleoſi quippiam, imo *aliquid veri olei* appareat, forte quibusdam novum non videbitur, præcipue iis, quibus fortuito illud accidit, prout & de ejusmodi oleo jam A. 1689. in quadam Wittebergæ ſub D. D. Sperlingio habita & ſatis ampla Diſſertatione de Analyſi Formicarum, quod *paucas* quasdam *guttas olei* obtulerit, mentio injicitur; tamen nec in hac adducta, bene licet elaborata Diſſertatione, nec unquam alibi in aliis ſcriptis olei iſtius ulterior declaratio & animadverſio occurrit, *quale iſtud oleum ſit, vel unde oriatur?* multo minus vera certitudo & aſſeveratio, quod oleum Formicarum ſit, nec ipſe unquam antea illud pro tali habui. Sola ergo hæc

go hæc circumstantia, quod *jam certo sciri possit, in Regno animali etiam Olea destillata ætherea occurrere*, & oleosum istud, quod sub destillatione spiritus Formicarum inflammabilis, vel ita dictæ Aquæ Magnanimitatis simplicis interdum emergit, verum utique & genuinum *Oleum Formicarum* & nihil aliud esse, me permovit, ut hanc Observationem chartæ mandarem.

Ad acquirendum istud Oleum nullus alius labor requiritur, quam simplex aliquoties repetita abstractio Spiritus Vini rectificatissimi super Formicas. Recipitur siquidem magna satis portio majorum Formicarum, quæ à sordibus liberatæ sunt, quibus tantum Spiritus Vini rectificatissimi affunditur quantum opus est ad obtegendas Formicas, & ex Balneo Mariæ penitus omnia destillantur, quod transiit destillatum super recentes Formicas cohobatur, abstractio repetitur, & ita cohobatio & abstractio ter vel quater continuatur, sic acquiritur demum summe *subtile album tenerum & limpidum spiritui abstractitio innatans Oleum æthereum.*

Ut verum fatear, lubenter confiteri possum primam hujus Olei conspectionem, dum de eo nihil quicquam antea audiveram nec legeram, mihi perquam peregrinam & miram visam fuisse, ita ut nescirem, quid cogitare vel pro quo illud habere deberem. Primum enim obstaculum occurrebat, quod in genere *Olea ætherea vel essentialia in Regno animali non resideant*, & in eo nihil ejusmodi hactenus repertum, vel ex animalibus partibus præparatum fuerit; secundo menti obveniebat, quod si quoque interdum ex hoc vel illo animali aliquid olei per destillationem productum fuerit, tamen (a) illud tantum in *pure pinguibus* possibile esse, ubi (b) destillatum non plane tanquam Oleum æthereum aquosæ liquiditatis & fluiditatis, sed tantum *tanquam tenerrima pinguedo* ipsa considerandum sit, & (c) ejusmodi artificia plerumque tantum *in Vasibus retortis non altis & calore sicco* expelli & produci; Tertio obstabat mihi, quod, licet in quibusdam non ignotis sub-

 stantiis

ſtantiis animalibus hæc vel illa virtus ſpecifica in partibus deſtilabilibus reſideat, ea tamen perquam difficulter imo fere plane *non in forma olei* demonſtrari, imo ex vaſta ſatis ſubjecti illius quantitate vix unica guttula veri ſubſtantialis & viſibiliter corporei Olei acquiri poſſit, ſed tantum quod ad id adhibitum fuerat *menſtruum*, quocum abſtractio peracta fuit, ſenſibiliter *eo imbutum ſit.* Hic è contrario erat (1) apertum *ſubſtantiale* pondere, viſu, guſtu & tactu perceptibile *Oleum;* quod (2) ex nulla *pinguedine vel axungia* extrahitur, ſiquidem vix ſuſpicari poſſis, quod in parvo hoc inſecto, ſi quoque multas myriades inquiſitioni anatomicæ ſubjicere velis, quicquam licet paucum ſubſtantiale, *adipoſum* vel craſſe pinguedinoſum ſeparari vel demonſtrari poſſit, quamvis inflammabilibus, tenere pinguibus particulis utique imbutæ ſint, alias tantum olei empyreumatici per deſtillationem in aperto igne non largirentur; (3) ad præparationem hujus Olei ætherei *non Vas retortum humile, ſed alta cucurbita, non calor ſiccus, ſed humidus* ſcilicet Balneum Maris adhibita fuere; (4) & ultimo *non erat Oleum axungioſum* pinguedinoſum, unctuoſum, ſed, ut jam ante dixi, perquam *tenue, ſubtile & vere æthereum* Oleum.

Ex omnibus his mecum factis conſiderationibus oriebatur tandem pro concluſo plenaria *dubitatio*, quod hoc Oleum ſit *verum Oleum animale*, vel ſimpliciter *ex Formicis* oriatur. Cum itaque ſedata admiratione me recollegi & quaſi denuo ad me redii, incepi firmiter mihi perſuadere, hoc Oleum *plane non ex formicis, ſed forte ex variis apud Formicas* exiſtentibus *ſordibus*, præprimis ex ſtrobilis, conis, ramulis, reſinis Pini, abietis, cum immixtis ſegmentis vel partibus ligni, radicis, corticis & ejusmodi *ex arboribus provenientibus particulis*, quæ communiter in acervis Formicarum reperiuntur, provenire, adeoq; *purum Oleum vegetabile, Pini indolis, eſſe.* Quam ſuſpicionem & novam conjecturam ut certiorem redderem, varia ſtatim in cogitationibus meis fovebam conſilia; primum, quod menti ſuccurrebat, erat, ejusmodi Oleum ſtatim *ſolo guſtu* indolem

dolem suam proditurum, &, si *Oleum* Resinæ, Radicum Foliorum, strobilorum, vel aliarum *partium Pini* sit, satis perceptibilem *calorem* gustui, imperititurum esse, proinde cum aviditate illud degustabam; sed ecce! nova denuo admiratio animum meum subit, dum *parum vel nihil*, aut saltem *nihil calidi*, resinosi, vel quod *Pini indolis* esset, gustu proderet, unde necessario & secundum sanam rationem etiam hanc suspicionem (licet antea mihi non adeo improbabilem visam) de ejus ortu, quod scilicet Oleum ex strobilis, Turionibus, cortice, conis, Resina abietis, piceæ vel ejusmodi aliis ortum duceret, simul & semel deponere cogebar. Quo vero *firmam* asseverationem & convictionem assequerer, & (prout solitus sum) ei non statim tutam fidem adhiberem, quod cogitationibus tantum fovi, nec *ullum adhuc dubium* vel scrupulus menti meæ restaret, proinde *duas* adhuc denuo *destillationes* adornavi. *Prima* in hoc consistebat: Magnam satis portionem Formicarum vivarum cum attentione & studio, quamvis non sine exigua opera, *pure seligi*, eamque cum puro Spiritu Vini rectificatissimo antea *aliquoties ablui* curabam, ad præcavendum *ne quicquam peregrini vel impuri* tam parvarum resinosarum, quam aliarum lignearum partium vel strobilorum Pini *immixtum* vel pedibus aut corpusculis formicarum agglutinatum restaret, has ab omnibus suspicionem moventibus impuritatibus quam *optime depuratas* Formicas postea cum puro quoque Spiritu Vini rectificatissimo ut priores in Balneo Mariæ destillari & abstrahi jussi, *sicque idem illud æthereum Oleum acquisivi ac antea; secundam* destillationem instituebam sub *intentione probæ contrariæ*, scilicet jussi aliquot uncias puræ resinæ Pini, prout ea à formicis in suis acervis comportatur, colligere, quas imposui cucurbitæ, affudi Spiritum vini rectificatissimum, destillavi ex Balneo Mariæ eodem modo, ut formicas ipsas, ad videndum, *num forte hoc* ita appellatum *Thus Germanicum* & Mastix formicarum *ejusmodi Oleum* largiturum sit, sed transtillans Spiritus oleosus erat *plane alterius indolis* ac

prior, quem ex selectis & ablutis Formicis acquisiveram, erat siquidem *saporis* perquam *ignei*, & non modo *gustus* sed & *odoris* aperte *resinosi.*

Utræque ergo hæ destillationes omne ex animo *dubium* & scrupulum perfecte emovebant, simulque aperte asseverabant, quod tenerum hoc æthereum Oleum saltem *non sit Oleum Pini vel è familia pini*, nec ab ullo alio peregrino vel formicis *adhærentibus* aut *immixtis quisquiliis* oriatur. Interim licet his convictionibus contradici nihil possit, tamen *nondum* commoveri poteram ad adhibendam *fidem quod productum nostrum sit Oleum animale, vel Oleum purum Formicarum,* quippe quod adhuc semper *impossibile* mihi videri volebat, quod *dubium* omnes meas pensitationes & cogitationes nunquam relinquebat, sed semper animo ingerebat, quod ex *Vegetabili quodam* necessario ortum suum deducat. Jam vero primam suspicionem de conjecturatis impuritatibus perfecte semoveram, unde nihil amplius restabat, in quo *suspicionem* aliquam fundare poteram, quam *solus Spiritus Vini* rectificatissimus, quia in modo memorata destillatione & productione Olei nihil adhibitum *fuit aliud. Suspicio* in sequentibus *fundabatur.* Considerabam, quod *mediante Acido Vitriolico ex Spiritu Vini* quædam partes oleosæ vel plane tenerum *Oleum Vini* separari possit, quia autem in adornata destillatione itidem apertum & cuique cognitum *Acidum*, scilicet *Acidum formicarum* præsto sit, hinc simili forte ratione evenire posset, quod acidum hoc eodem modo, ut unte dictum (quamvis longe potentius) Acidum Vitriolicum quasdam oleosas particulas *ex Spiritu Vini* rectificatissimo *separet* & sentiente calore mediante destillatione producat, & quod proinde Oleum quæstionis utique non Oleum animale seu Formicarum, sed *plane Oleum vegetabile* scilicet *Oleum Vini* sit, seu Oleum ex Spiritu Vini separatum, siquidem Acidum Formicarum nullo modo *tanquam pars constitutiva* Olei, sed tantum *tanquam menstruum vel instrumentum*, quod modo evolutionem partium Oleosarum

rum ex Spiritu Vini promoveat, conſiderari deberet. Antequam igitur neceſſaria ad hæc prolixa Experimenta cum Oleo & Spiritu deſtillato, vel cum ſeparato Acido Formicarum concentrato & Spiritu Vini rectificatiſſimo, & quæ ulterius ad meam convictionem inſervire debeant, inſtituerem, ſubit animum meum cogitatio potius antea probæ cauſa *adhuc aliam deſtillationem* ſuſcipere, an forte per eam brevi imo optime & ſecuriſſime tota res manifeſtaretur, nova ſuſpicio tolleretur, & propoſitæ reliquæ perquam tædioſæ Inquiſitiones tanquam minus neceſſariæ omitti poſſent, quod omne etiam re ipſa confirmabatur. *Conjectura* autem erat, quod antea adhuc unam abſtractionem *cum pura aqua,* absque Spiritu Vini, inſtituere, & exinde videre vellem, *num etiam in hac* aliquid *vere oleoſum* manifeſtaretur, quo in caſu *Spiritus Vini à ſuſpicione plane liberandus* ſit.

Proinde denuo recepi Formicas *bene ſelectas* & cum omni ſtudio *depuratas,* abluebam eas ultimo aliquoties cum aqua pura, vice quod priores ſemper cum Spiritu Vini rectificatiſſimo ablueram, indidi eas vaſi deſtillatorio, & loco Spiritus Vini rectificatiſſimi jam puram aquam affudi, & deſtillationi commiſi ut priores, & ecce! *rurſus obtinebam Oleum iſtud æthereum,* & ſic res in apricum deducta & manifeſtata, omnis objectio, ſcrupulus, dubium, ſuſpicio ſublata & animo exemta erant, & hoc Oleum *tandem pro vero Oleo animali & quidem Formicarum* omni jure declarabatur, ſimul quoque ceſſabat ſuſpicio Olei vini, & omnes ad ejus inquiſitionem tendentes varioque modo inſtituendi labores.

Quomodo autem ejusmodi *partes Oleoſæ* in his animalculis *generentur?* alia jam eſſet quæſtio. Conjecturalis ſaltem mea opinio hæc eſt, quod ſimiliter eodem modo oriantur, ac in apibus eæ particulæ, quæ mel & ceram conſtituunt, utpote quæ, uti notum eſt, ex floribus & viſcoſo eorum ſucco dependent, & quod adeoque hic in Formicis ejusmodi oleoſæ partes itidem, *ſive ex comportatis reſinoſis vel aliis pineis ſubſtantiis*

tiis

tiis oriantur, *Regno Vegetabili* debeantur, quamvis utique in ipsorum corpusculis aliquatenus si non *transformentur, saltem subtiliores* reddantur, & per illud quod simul ipsis inest *satis sensibile Acidum* tam *à forti pineo odore* liberentur, quam etiam ratione calidæ suæ indolis *temperentur*, indeque in separatione destillatoria & collectione tandem in aliud plane nempe *longe tenuius, subtilius & lenius oleum* evadant.

Denique memorandum mihi adhuc est, quod ex magna satis Formicarum quantitate utique non multum, secundum proportionem, sed perquam *paucum* ejusmodi Olei ætherei impetretur, ut proinde hanc meam Observationem & institutos labores, ut & *ratione Acidi Formicarum seorsim instituta* & hic non commemorata *Experimenta* non pro plane singulariter utilibus existimem, nisi in tantum quantum per ejusmodi investigationes ad minimum creaturæ Dei & *ad materiam medicam* præprimis pertinentia *subjecta*, secundum *physicas sui partes constitutivas melius & magis funditus per demonstrabiles circumstantias cognoscuntur*, & hac eadem ratione *ex dubiis incertitudinibus* emergimus, falsa rejicimus & vera retinemus, & per consequens tam medicas quam Chirurgicas applicationes tam naturalium quam artificialium subjectorum eo *magis rationales & securiores* reddamus. Ut pauca adhuc de sæpe adducto Oleo adjiciam, existimo, quod si in Formicis ejusmodi aphrodisiaca, acouistica, nervina, & quæ plures aliæ *Virtutes* ipsis passim in libris assignantur, *vere observata essent*, item si etiam Spiritus Formicarum abstractitius quippiam magis efficax & *nervinum* præ communi Spiritu Vini rectificatissimo *revera* possideret, prout ad hos usus *copiose* adhiberi solet, quod inquam *ejusmodi præferentia & eminens virtus* unice & tantum *his in Formicis*, quamvis parce, existentibus *oleosis partibus* adscribenda sit. *Quis vero antehac de existentia harum cum Spiritu Vini & aqua destillabilium oleosarum* partium indubie certus fuit? vel ubi id scriptum reperitur? Attamen jam de eo certi esse possumus, ut proinde *hæc certitudo* pro aliquali etiam

com-

commodo meæ Obſervationis haberi tota autem præſens delineatio tantum ut *emblematicum* à Formicis deſumtum ſignum meæ (ſi Deus ſanitatem largiatur!) futuræ *induſtriæ* conſiderari poſſit, ne *illuſtris* hæc & à tam longo tempore adeo induſtria *Societas* ipſa mihi *dictum Proverb. cap. III. v. 6.* exprobrandi & commonſtrandi rationem inveniat.

(*Berolino Auguſtam Vind. d. 29. Apr. An. 1728. miſſa.*)

OBSERVATIO CXXXVII.

DN. D. JOHANNIS ADAMI LIMPRECHTI.

Diuturnus alvi fluxus periodicus paroxyſmi febris intermittentis exordium quotidianum.

F*Ranciſcus de le Boë Sylvius*, Medicinæ Profeſſor & Practicus Lugduni Batavorum, ſuperiore ſeculo Clariſſimus, *febres* intermittentes, ratione tam intervallorum diverſorum, unde oriuntur quotidianæ, tertianæ, quartanæ &c. quam ſymptomatum graviorum, unde ipſi febres, ſic dictæ algidæ, famelicæ, ſiticuloſæ, aliæ, quas in praxi ſua lib. I. cap. 30. enumerat, inter alias quoque recenſet. §. 39. *catharcticas* alvi dejectione multa vel frequente, & quandoque ſimul torminoſa, diverſo acceſſus tempore ægros valde moleſtantes. Exemplum ſequens huc referri poteſt, quod ante aliquot annos in Marchia Bradenburgenſe obſervavi.

Vir quidam triginta ferè annorum temperamenti phlegmatico-biliosi, ad rem domeſticam nimis attentus, ex urbe in qua habitabat, ſequente die, ſummo diluculo, cum curru ſuo Berolinum petere menſe Novembre ſibi propoſuerat, eadem autem nocte in atrociſſimam incurrit colicam, ita, ut propoſitum ſuum mutare & à me, in iisdem ædibus una cum

ipso per aliquod temporis spatium subsistente, consilium desiderare cogeretur. Hariolor statim anguem in herba latere & morbum ipsi non levem imminere prædico, nec eventus fefellit.

Nam singulis diebus, circa quartam pomeridianam, dejectionibus alvi torminalibus vexabatur, subsequente frigusculo quod modicus calor excipiebat. Post decursum paucarum septimanarum tormina quidem desinebant, reliqua tamen morbi symptomata ad finem ferè tertii mensis continuabantur, morosus enim æger medicamenta recusabat. Urina in principio erat turbida ad ruborem aliquem inclinans, in medio morbi cum crassissimo ejusdem coloris sedimento calor ad mediam usque noctem tolerabilis in somnum desinens non gravem, non in diem extrahebatur. Illud notabile in hoc ægro, amplum abdomen non præ se ferente, nec multum comedere & bibere solito, tot alvi solutiones non tamen male olentes, certo diei tempore, per multas hebdomadas, usque ad plenissimam pristinæ sanitatis restitutionem observatas esse, istæ enim quotidie numerum superabant duodecimum, & aliquando ascendebant ad vigesimum. Hanc *febrem* secundum *Sylvii* sententiam jure dixeris fuisse *Cacatoriam.*

(Berolino August. Vind. d. 30. Sept. A. 1728. missa.)

OBSERVATIO CXXXVIII.

DN. D. MICHAELIS ALBERTI.

Sterilitas, ab Ulcere diuturno pedis, Salivatione curata.

INtricata satis est disquisitio Medica de sterilitate fœminarum, cujus diversæ causæ non modo absconditæ, & incognitæ

gnitæ, sed & quædam illarum manifestæ, tamen immedicabiles sunt: Et ita nonnullæ causæ in animo, aliæ in Corpore hærent; quod posteriores concernit, aliquæ intrinsecus latent, & in vitio conformationis consistunt, quod nullis certis signis diagnosticis se prodit: interdum etiam affectus quidam morbosi in peripheria corporis hærent, qui cum negotio conceptionis plane nihil commercii habere videntur, & tamen sub attentiori scrutinio sterilitatis causis annumerari debent. Hujus observationis exemplum singulari historia practica ptoducere lubet: Virgo 24. annorum cholerico-sanguinei temperamenti, à cive sano & honesto in matrimonium ducta menstruo fluxu, sat regulari, prædita, præter opinionem per aliquot annos sterilis mansit, cæterum vero animo & corpore perquam agilis, & quoad externum conspectum sana & formosa fuit; cum aliquando hæc fœmina, de causa & cura suæ sterilitatis consilium meum petiisset, mihi aperuit, quod per plures annos ulcus in pede dextro, à contusione genitum, gestaverit, quod hactenus nullo medicamine consolidari potuit: et cum diversæ circumstantiæ concurrerint, quæ intimiorem correctionem humorum postularent, hinc lenis salivatio commendata fuit, cui etiam illa fœmina obtemperavit, qua ferme peracta, vel sponte inveteratum & immoderatum ulcus ad concretionem properavit, ut repentina illa imminens consolidatio quadantenus coërceri & retardari debuerit: perducto vero toto hoc processu non modo ulcus illud penitus concrevit, & cessavit, neque unquam rediit, sed & fœmina hæc, quæ ante tenerioris habitus corporis fuit, nunc paulo carnosior & pinguior reddita, imo brevi post salivationem imprægnata fuit, fœtumque legitime gestavit, peperitque imo postea sæpius concepit, & enixa est, aliquando tamen abortum subiit, sed postea denuo concepit, & peperit: quoniam vero hæc fœmina frequentiori indignationi dedita fuit, neque congruam diætam observavit, ita factum fuit, ut hectica correpta mature tandem obierit.

OBSERVATIO CXXXIX.

DN. D. MICHAELIS ALBERTI.

Vomitus frusti, molem pugni majoris æquantis, ex absorbentibus remediis compacti.

PRudens medicamentorum ordinatio character periti est artificis, quo ab empirica medicina distinguitur. Quod absorbentia remedia attinet, tunc ad eadem tam vilioris sortis, & indocti homines, quam medici varii, velut ad sacram confugiunt anchoram, ita ut sub quacunque morbosa invasione, & sensatione thecas, & scatulas suas cum C. C. aut oculis Cancri impletas arripiant, magnaque mole talia remedia ingerant. Quanta vero damna à liberali & largo illorum usu proveniant, ante aliquot annos peculiari Dissertatione exposui; hoc loco præsens assertum Exemplo aliquo probare placet. Corripiebatur Studiosus Juris febrili quodam insultu cum præcedente horrore, & consequente æstu, sub reliquorum febrilium pathematum commotione: patiens febricitans temperamentum melancholico-cholericum offerebat, cujus Contubernalis initia hujus febris pro tertianæ prodromo habuit, propterea que ægroto Vomitorium obtulit, quod fortiter Ventriculum evacuavit, mox vero idem contubernalis, Medicinæ Studiosus, per triduum largius pulveres absorbentes patienti propinavit: quoniam vero febris in dies continuavit, & perverso plane tramite, atque typo sub perpetuo accremento suspectorum Symptomatum successit, ego tandem quarto febris die in consilium ductus fui, ubi febricitantem offendi arido & magno æstu decumbentem: conquerebatur de eximia cardialgia, & lipothymica angustia, una cum leni conatu vomibundo: & quamvis idonea medicamenta ordinata fuerint, necessariæ tamen excretiones nullo

modo

modo invitari, adjuvari, & excitari poterant, sed in dies Febris confuso increbuit cursu, septimo tandem die sub vehementissimis Ventriculi torsionibus cum metu suffocationis obtigit Vomitus, quocum magma, & frustum mucidum albicans evacuatum fuit, quod post adhibitam exsiccationem iterum largiora illa absorbentia ab initio morbi post Vomitum adhibita obtulit: posteaquam vero hoc frustum ejectum fuerit, mox affectus soporosus consecutus est, qui nullo medicamine curari potuit: interea Febris in irregulari suo statu perseveravit: nono morbi die accesserunt spasmi, decimo Mors huic tragœdiæ clausulam imposuit. Ex hoc casu sequentia porismata practica duco: *Primo*, quod in vera morbi cognitione solicita circumspectio habenda sit, siquidem in hoc affectu febris acuta cum horripilatione & æstu initians pro intermittente perperam habita fuit: *Secundo*, Vomitoria tam in intermittentibus tanto magis acutis febribus inchoantibus, præmature & promiscue ordinata pessime operantur, & utriusque febris Typum graviter perturbant: *Tertio,* Vomitoria ita perperam adhibita in febribus cerebrum, & totum genus nervosum non modo valde enervant, sed & in illo suspectas humorum stagnationes, & reliquo Corpore contumaces congestiones ad Caput convocant, unde aut deliria, aut affectus soporosi, aut pathemata hemiplectica excitantur: *Quarto,* post Vomitorii usum in omni statu morboso, tanto facilius vero in febre absorbentia remedia largius oblata, Ventriculum eo magis debilitanr, aggravant, opplent, subinde non modo angustias præcordiales causantur, sed aliorum efficacium remediorum virtutes salubres impediunt, & sufflaminant: *Quinto,* sub tali statu evenit, ut talia absorbentia in Ventriculo delitescant, obmucescunt, & indicato modo perversa consectaria inferant.

OBSERVATIO CXL.

DN. D. MICHAELIS ALBERTI.

Salium mediorum præparatio curiosa, sine visibili acido.

QUod ad Salia sic dicta Neutra sal acidum vitriolicum, & alcalinum requirantur, satis superque constat, quæ utraque tam firmiter se invicem amplectunrur, ut non tam cito aut facile separari queant. Vulgaris quidem est opinio, quod acidum & alcali salia sint quam maxime contraria, quoniam si inter se commiscentur, magnum strepitum formant, quasi apertam luctam ineant: quod assertum aliqui illo experimento confirmare contendunt: quia, qualia subjecta ab acidis solvuntur, ea alcalia (si pauca excipiantur) nihil alterare possunt, & vice versa: interea, si circumstantiæ penitius perpenduntur, haud difficile comparet, quod acidum cum alcali facile & promte congrediatur, adeoque utraque salia bene inter se conveniant: interim hac observatione demonstrabo genesin salis ejusmodi medii sine arbitraria & deliberata additione acidi visibilis; ita enim, quando cineres clavellati puri & boni, qui aliquandiu in tabernis mercenariis venales asservati sunt, cum pura aqua fortius coquuntur, Lixivium filtratur, & per aliquod tempus in vase puro seponitur, sponte facile in eodem concrescunt, puræ, nitidæ, albicantes Chrystalli, inæqualis figuræ, tamen cum Tartaro Vitriolato convenientes, & sapore, effectu, & reliqua relatione & tractatione Chymica Sal tale medium constituentes, quale Sal itaque penitus siccum, & nunquam sponte deliquescens, imo difficulter in igne fluens, sine visibili acido addito, genitum fuit: porro, si Cineres clavellati recenter parati decoquuntur, nullum tale sal largiuntur; attamen si cum hoc Lixivio

xivio imprægnantur linteamina pura, aut charta alba, pura, emporetica, eademque libero aëri ita exponuntur ne pluvia illa offendere queat, ſed ut aër ſiccior eadem afflare queat, tunc poſt aliquam moram evenit, ut, ſi hæc linteamina, aut charta in nova pura aqua elutriantur, hoc Lixivium ad chryſtalliſationem inſpiſſatur, tunc inde ſimiles Chryſtalli proveniant, teſtimonio aperto, quod acidum ad hoc Sal generandum non modo in aëre fluctuet, ſed & cum aëre communicetur: denique, ſi Cinnabaris qualiscunque fuerit, pulveriſata commiſceatur cum Spiritu Vitrioli rectificato, & per aliquot dies leni igne digeratur, tunc acidum Vitrioli Sulphuri in Cinnabari hærenti inflammabile ſuum principium aufert, ut Cinnabaris pallidior remaneat: deinde in hac remanente maſſa acidum Sulphuris cum Mercurio cohæret: hinc, ſi hæc maſſa cum Sale Tartari miſcetur, poſteaque ex retorta vitrea, & cupella arenaria moderato igne tractatur, tranſcendit purus Mercurius currens: Caput mortuum, ſi munda aqua calida elixatur, præbet iterum hoc Sal medium, quod nihilominus ex acido & alcali conſtat.

OBSERVATIO CXLI.

DN. D. MICHAELIS ALBERTI.

Solutio Martis ab alcali, via ſicca.

De activitate Salium alcalium in metalla aliaque ſubjecta, præcipue in Sulphur crudius, & ſubſtantias principio inflammabili largius præditas, varia experimenta peritis Chymicis admodum ſunt cognita: quod vero alcalia, præcipue concentratiora, ferrum intimius ſolvant, & ſubtilius ſeparent, non paucis dubium fuit experimentum, quam ob rem Celeberr. *Stahlius* ſolutionem Martis in alcali in Opuſculis ſuis Phyſico-Chymico-Medicis fuſius demonſtravit, & Expe-

Experimento quodam ſolido probavit, quod, ſicut via præcipue humida procedit, ita hac Obſervatione per parallelisſimum eandem veritatem experimento in via ſicca confirmare annititur, quo etiam prædictus Celebris Vir variis locis Chymicorum ſuorum ſcriptorum manuductionem dedit: præſens Experimentum conſiſtit in ſimpliciori præparatione Croci Martis, cum æquali portione limaturæ ferri, & boni nitri conficiendi, quæ maſſa ſucceſſive in crucibulum bene candefactum transferenda, ita, ut ad detonationem ſucceſſive procedentem congruum tempus concedatur, neque ingeſtio ejusdem maſſæ acceleretur: ſub hac detonatione nitrum cum inflammabili ferri principio incitatum deflagrando reſolvitur, cujus acidum bonam ferri portionem tenerius rarefacit, & in ſubtilem Crocum convertit, inſuper vero non pauca inflammabilis nitri ſubſtantiæ portio huic Croco adhæreſcit, interea ſub detonatione plurima pars acidi, & multa inflammabilis nitri ſubſtantiæ exhalat, & in fumum tranſit, remanente in reliqua maſſa alcalina nitri parte, quæ ſub calcinatione fortiori paululum continuata aliqualem portionem ferri ab acido nitroſo ſubtiliter ſolvit, & in ſuum nexum transfert, ſiquidem alcalia in metalla copioſiori inflammabili principio prædita faciliorem activitatem ſolventem exſerunt: quid? quod evenit, ut alcalina nitri portio intenſiori igne tractata acrior, & ad ſolutionem præſtandam aptior evadat: ſi itaque hæc maſſa è crucibulo adhuc fervida cum calida aqua decoquitur, & per filtrum trajicitur, transfluit Lixivium, purpureo-cœrulei, ferme amethyſtini coloris, valde clara & limpida, in qua quantitas quædam Martis tenerrime ab alcali nitri ſoluta hæret, quæ, quando Lixivium hoc refrigeſcit, vel ſponte ex eodem ſecedit, facilius vero cum acido quodam præcipitari poteſt. Ejusmodi Mars ab alcali ſolutus ſi cum concentrato, & valde volatili Spiritu urinæ imprægnatur, ſingulari modo & promta efficacia evadit fulminans: hoc Experimento inclareſcit, quanta ſit efficacia, atque vis alca-

lium

lium tam in metalla, quam in subjecta inflammabili principio prædita, ubique tamen sub perita enchirisi.

OBSERVATIO CXLII.

DN. D. MICHAELIS ALBERTI.

Sterilitas à præmature suppressa Tertiana cum Cortice Chinæ causata & per dextram novam Curationem denuo curata.

QUanta Elogia vulgo de Cortice Chinæ declamentur, affatim notum est, neque eidem vis febrifuga denegari potest: qui vero existimant, illam peritam & securam Intermittentium curam esse, si paroxysmi tantum opprimuntur, multis modis à via recti & veri aberrant: quam ob rem febrium fuga nonnisi prudentem postulat artificem quemadmodum per omnium cordatorum Medicorum observationem ex abundanti clarum, & notum est, quod frequentiora & eminentiora damna cum hujus Corticis usu in febribus provocentur, quam certa & constantia emolumenta. Hujus veritatis specimen historia quadam notatu iterum digna exhibere volo: Fœmina, honestæ, & præclaræ prosapiæ, triginta sex annorum sanguineo- melancholici temperamenti aliquot infantum, integre gestatorum, & per legitimum partum editorum, mater, ceteroquin sana, animoque valde alacri prædita, incidit aliquando ex diætæ vitio in Tertianam Febrem sub qua per aliquot hebdomadas morbi vehementiam fuit perpessa. Ab hac longinquiori febre cum cortice Chinæ, quem Medicus hujus febris secundum omnes cautelas & regulas artis exhibuisse gloriabatur, promte, & cito liberata fuit, res comparuit quam optime acta, ut per notabilem temporis tractum fœmina hæc pro integre restituta declararetur, sed contigit, ut cum insolita mensium ataxia promta illius concipiendi fa-

cultas debilitata fuerit, imo nunc suspectus fluor albus invadere cœperit: meum tunc consilium desideratum fuit, ad prægressam febrem, quamvis longinquius tempus circumactum fuerit, animum applicui, & curationem meam ad febrem cum Cortice Chinæ curatam sub tacita deliberatione direxi: posteaquam certum medicamentum altera tantum vice propinaveram, recruduit pristina febris, utpote satis odiosus, & ingratus hospes; imo ne mihi quidem tunc temporis grates dicebantur, sed curatio mea pro suspecta habebatur: mihi tamen nunc res melior apparuit, qui per tres septimanas cœptam meam methodum bona fide, & confidenti animo continuaveram, ut tunc sponte hæc præjudiciosa febris cessaverit: ab hinc factum, ut postea mox prima periodo menses paulo largius emanare cœperint, brevi post hæc fœmina vegete concepit, cum optima sanitate fœtum masculum conceptum gestavit, & justo tempore sanum & robustum facili partu exclusit: quo Exemplo brevi tantum filo enarrato demonstro, quanta prudentia opus sit, quoad usum Corticis chinæ in febribus, siquidem multi periti Medici in sua praxi æque, si non plus felici, tamen plus secura, hoc Cortice plane non indigent.

(*Norimberga Augustam Vind. A. 1728. d. 11. Maji, missa.*)

OBSERVATIO CXLIII.

DN. D. JOHANNIS HENRICI FUCHSII.

De Tremore artuum temporario, sæpius recurrente, & à vermibus orto.

QUam mira symptomata vermes excitare, variæ variorum celeberrimorum medicorum observationes, tum seorsim editæ, tum Ephemeridibus N. C. communicatæ

catæ ſatis ſuperque edocent: quorum etiam præter reliquos paucis in Miſcellaneis N. C. Cent. V. obſ. 48. D. Wiliſch. mentionem fecit. Tremorem vero artuum temporarium, à vermibus ortum ac à quodam obſervatum fuiſſe, nullibi legi. Hinc ſequentem caſum ulteriori commendare experientiæ non incongruum judicavi. Adoleſcens 14. annorum, noſtri Gymnaſii illuſtris alumnus, in infantia ſtupendam variolarum quantitatem perpeſſus & inde adhuc maciem faciei & corporis, quin & tuſſim pectoralem, nonnunquam recurrentem, in ſignum cacochymiæ, à variolis relictæ, deportavit. Ante annum, repentinum percipit terrorem & improviſum patitur lapſum. Ex quo poſtea dolorem lateris & ventris perſentiſcit, præterea diætæ crudæ, ex lacticiniis & fumo induratis carnibus, plurimam partem, conſtanti deditus, in ventris intumeſcentiam incurrit. Hinc varia tam ad dolorem quam intumeſcentiam ventris ex lapſu, ſecundum ſententiam Medici, ortam, nervina & antiſpaſmodica per aliquot menſes adhibentur. Sed tantum abeſt, ut levamen ſentiat, ut potius involuntarium motum & tremorem manuum pedumque, cùm temporaria ſenſuum abolitione accipiat, præterea quoque memoria in dies hebeſcat, parentes quoque ſolam, inſcio ægro, pedum tremulationem nonnunquam obſervent. Appetitus interea vegetus, & ſomnus ſemper permanet quietus, vires autem decreſcunt. Nec Medicus ordinarius antiparalytica ♎ſa Oleoſa in- & externa, tremori artuum alias ſuccurrentia, majori tamen cum incremento, quàm decremento ſymptomatum præſcribere intermiſit. Quare parens pejora metuens, meum quoque petit conſilium. In examine igitur ægri ac ſymptomatum, nares prurientes ſæpius fricare, & circulum circa oculos fuſcum ac lividum annoto: hinc in vermium præſentiam inquiro, quam quæſtionem æger affirmat ac ſe nonnunquam aſcarides in alvi depoſitione excretas, obſervaſſe confirmat. Quapropter Julepum ex ∇ Gramin. Hypericon. & abſynth. c. ☿ curr. coct. & Syrupo

 quo-

quodam dulcificatum pro vehiculo & ante pastum Ess. Amar. vesperi vero Pil. balsamicas ex Extract. amar. & Gummatibus compositas quotidie ordinavi. Externe quoque ℞ nervinum ad caput & artus trementes præscripsi. Quibus mediis, per aliquot dies, continuatis, magna vermium caterva per sedes secessit. Quibus evacuatis, inde non solum tremor artuum illico evanuit, sed & sensuum abolitio non amplius apparuit, memoria quoque vegetior facta, adeoque sanitas in integrum restituta per aliquot annos duravit.

OBSERVATIO CXLIV.

DN. D. JOHANNIS HENRICI FUCHSII.

De Scarabæis albis, ex frequenti mellis cum pane esu, ortis & syncopen causantibus.

EX melle & pane varios fieri aut nutriri vermes communis est opinio: hanc quoque traditionem omni non carere probabilitate ac fundamento, sequens probabit observatio. Rusticus nempe 36. annorum Temperamenti Melancholico-sanguinei, nonnunquam ob sartoris opificium, diutius sedendo, hypochondria comprimit, apes vero præterea tam proprias quam dynastæ loci ac aliorum vicinorum curat atque observat, qua occasione ex consuetudine sæpius ac largius, melle cum pane, matutinis horis, jentaculi loco, vescitur, firmiter persuasus, vires suas, secundum sacras paginas, magis magisque capturas fore incrementum. Ast tristis mox insecutus effectus, non cuilibet quodlibet impune committere licere, ipsum satis superque edocuit. Quippe qui loco sperati virium incrementi, præter spem & opinionem, virium decrementum adeo percepit, ut non solum labores rusticos amplius tractare ac continuare inhabilis factus; sed & pla-

& plane post lenem & brevem corporis motum, illico syncopen, cum metu virium lethalis resolutionis ac destructionis fuerit expertus vehementem. Quem metum tanto magis indies auget superveniens & continua præcordiorum gemebunda anxietas. Varia à variis medicis, sed incassum, adhibet medicamenta. Tandem quoque & meum petit consilium. Hinc ad primas vias, more rusticorum cruditatibus plenas, purgandas infusum vinosum per epicrasin, paulo largius purgans præscribo & amara ac digestiva resolventia conjungo atque propino: quibus per aliquot dies, præscripta methodo, adhibitis, magnam vermium alborum, instar millepedum aut Scarabæorum, multis pedibus & capite crispato sive crinibus longis obsesso, ornatorum catervam per alvum excernit, horumque aliquot vivos in testimonium mihi apportat & horum animalium genesin, sine dubio, jentaculo hactenus consueto, ex melle & pane constanti adscribendam esse annunciat: nam post jentaculi hujus usum syncopen mox secutam fuisse, se observasse: excretis vero hisce insectis, de repente levamen anxietatis præcordialis notabile, plenariam syncopes cessationem ac virium restitutionem sensisse confirmat. Hinc non solum infusum præscriptum continuare jussi; sed & nova cum anthelminticis sociata, medicamenta tam amara stomachica & digestiva, cruditates primarum viarum incidentia, resolventia ac evacuantia, quam concoctionem adjuvantia denuo ordinavi. Quibus medicamentis, per aliquot dies adhuc continuatis, clementissimus summus Archiater adeo benedixit, ut perfecta restituta fuerit pristina sanitas, perque quinque, & quod excurrit, annos illibata hucusque continuata permanserit.

OBSERVATIO CXLV.

DN. D. JOHANNIS HENRICI FUCHSII.

De Embryone masculino, sex septimanarum, singulis artubus & membris integro.

ARtificis cujusdam aulici conjux 30. annorum temperamenti sanguineo-cholerici, teneræ texturæ, ac parvæ staturæ, iracundis & terrificis animi pathematibus frequentius commota, sæpiusque largas uteri hæmorrhagias perpessa, diætam vero non æque scrupulosam, neque tamen culpandam observans, aliquoties feliciter peperit, aliquoties quoque abortivit, & ante quadriennium molam gestavit: ante biennium vero fœtum, ex incuria potissimum obstetricis mortuum, in lucem edidit. In singulis autem imprægnationibus eadem graviditatis signa, nempe per primas duas septimanas, à die conceptionis, menstruum fluxum inordinatum, per unum aut alterum diem mox fluentem, mox cessantem, mox verò recurrentem, nec non ciborum aversionem, contrà verò picam observavit. Præterlapso anno, mensis septembris initio, denuo graviditatis, hactenus consueta & jamjam delineata attendit signa. Sexta vero imprægnationis septimana, nempe die 14. Octobr. 1726. ex improviso præter necessitatem, saccum, duorum modiorum frumento plenum, protrahit & attollere conatur: circa vesperam illico dolores, in abdomine & dorso, ad inguina tendentes, spasticos acerbos patitur, qui nocte adeo increbescunt, ut, mane sequente, embryonem masculum omnibus ac singulis distinctis membris, capite scilicet, nucem avellanam majorem æquante, & reliquo corpore ac membris, respectu proportionis, majori, oculis, semini Aquilegiæ similibus, nigris, naso, ore, mento, brachiis, manibus pedibusque cum horum distinctis digitis, pene

pene ac scroto perparvulo, integrum ac duorum articulorum magnum ac longum expulserint, quem curiositatis gratia inter curiosa privata diu conservavi, donec tandem, jussu Serenissimi ac Clementissimi Ducis ac Domini mei Friderici II, in technophylacium publicum, quo præter alia, notatu maxime digna, à tribus usque ad novem menses embryones asservantur, curiosis demonstrandi causa tradiderim.

Eadem mulier, sequenti anno, mense Martio 1727., denuo concepisse ex superioribus signis, sibi infallibilibus, certior facta, d. 1. Aprilis, post improvidam, brachii in altum nimiam porrectionem, depromendæ alicujus rei causa, in utero fragorem percipit, quem mox dolor ad inguina vergens spasticus excipit, hinc abortum sibi solennem, ex sanguine largius prorumpente, gravida denuo metuit, qui quidem metus, per medicamenta, abortum præservantia antispasmodica iterum sedatus fuit. Ast ab ipso tempore cardialgiam & palpitationem cordis frequentem sentit. Donec undecima conceptionis septimana, nempe d. 14. Maji, vehementissimis animi pathematibus iracundis commoveretur, quæ commotio pathetica illico adeo vehementes ad partum dolores spasticos & uteri hæmorrhagiam excitat, ut sanguis difficilius retineri possit, retentus vero ad pectus regurgitaret, &, totâ nocte, suffocationem minaretur, usque ad matutinas horas, quibus quartâ vice, sanum & priore paulo majorem sed flaccidiorem fœminini generis embryonem excluderet. Quo abortu excluso, & regimine puerperis solenni, per aliquot septimanas observata nec non medicamentis uterum repurgantibus adhibitis, bene iterum vivit. Quæ observatio non solum Magni *Hippocratis* sententiam, Libr. de Puer. Natura cap. 14. tit. 9. quod abortus masculi paulo ante 30mum diem ἄναρθροι sint deprehensi, & *Riverii* assertum Instit. Medic. Lib. 1. sect. 8. cap. 4. quod partes carnosæ tertio mense, in maribus; quarto vero mense in fœminis perficiantur, reformare videtur; sed & communem obstetricum traditionem, quod embryo

de

de sede sua detrusus, wann das Kind vom Stuhl geruckt, & parum nutriatur & difficile retineatur, confirmare potest.

OBSERVATIO CXLVI.

DN. D. JOHANNIS HENRICI FUCHSII.

De Sphacelo uteri, frequentissima mortis puerperarum causa, & remediis externis sufflaminato.

COmmunis & multorum Medicorum sententia, & obstetricum opinio, quod singulæ puerperæ purpuram perpeti, nescio quo fato ac lege quasi destinatæ sint, per aliquot annos in tota fere Thuringia hactenùs invalescere cœpit. Hinc mox post partum ad hanc ex voto expellendam, Cor ab illa præservandum, atque debilitatam puerperam ac in partu viribus exhaustam refocillandam partim bezoardicis, cardiacis, sudoriferis pellentibus, partim analepticis diæteticis aromaticis ac vinosis puerperam quasi obruere & tegumentis calidis quasi suffocare solent. Huic quoque opinioni, malam illam vetularum consuetudinem, qua omnibus puerperis, si puerperium felicem ad finem perducere velint, bis aut ter per aliquot horas largissime sudare, lege quasi quadam sancitum est, suum debere ortum credo. Quo quidem obtinetur, ut hocce regimine, in puerperis robustis, non adeo sensibilibus, & concurrente aliquali humorum discrasia aut cacochymia, hinc inde pustulæ, purpuræ similes, interdum cum euphoria expellantur, &, concomitante de reliquo legitimo regimine ac diæta, bene cedant. Tantum vero abest, ut singulæ hoc impune & cum eodem salutari utantur effectu & eventu, ut potius sensibiliores, commotionibus & orgasmo sanguinis obnoxiæ, graviora inde percipiant symptomata,

mata. Quippe quæ non ſolum inde ebullitiones humorum, palpitationes cordis, inſultus febriles, incarcerationes humorum, obſtructionem alvi, ἀταξίαν lochiorum, inflammationem uteri ſentiunt, quid? quod gangrænam, &, niſi principiis cito medicus obſtet, ſphacelum cum lugubri tragœdia præter ſpem & opinionem finientem ſuſcipere coguntur. Et hoc quidem tanto citius & facilius, quo magis aërem frigidum, qui ſecundum Hippocrat. Sect. V. aph. 22. aſſertum, à D. Rommelio poſtea in A. N. C. Dec. II. ann. VIII. obſ. 74. pag. 434. fuſius confirmatum, utero noxius deſcribitur, inquietudine, ad uterum, tanquam partem læſam admittunt, nec regimen diapnoicum ac diætam convenientem ſervant, nec animi pathemata evitant. Hinc quotidie obſervare licet, quod, leviſſimo quoque errore commiſſo, puerperæ in infimo ventre ſenſum fremebundum, inſtar prunæ latitantis urentem, nonnunquam in uno latere tumorem efficientem, aut totum ventrem intumeſcere cauſantem percipiant, cui mox horripilatio & hanc excipiens febris acuta continua, anxietas præcordialis, inquietudo, ſomnus cum inſomniis anxiis, ſcilicet de incarceratione anxia aut de horrendis infernalibus Furiis, ægram cruciantibus, aut de incendiis & objectis rubris ſtipatus, aut ſumma agrypnia, ſyncope aut paſſiones hyſtericæ, inappetentia ſeſe conjungant, quæ ſingula ſymptomata, ex lochiis vel obſtructis, vel parcius aut decoloratius fluentibus, maxime augentur & deteriorantur. Quod ſi itaque ex hiſce ſignis ſolumodo ad purpuram, aut ad febriculam puerperarum, aut ad lactis proventum, cum febre lactea conſtipatum prognoſis & cura cum expellentibus calidis bezoardicis cardiacis dirigitur, nec puerpera, tanquam graviſſime vulnerata, medicamentis tractatur vulnerariis ac inflammatio uteri, gangræna & hujus pediſſequus, ſphacelus, lenibus temperantibus in- & externis diſcutientibus præſervatur, omnia ac ſingula ſymptomata intra paucas horas in deterius ruunt, ac

vel in deliria modo descripta vel in syncopen aut apathiam ac inopinatam analysin præcipitantur.

Hanc observationem vere practicam & necessariam placet ex innumeris tantum cum unô aut altero comprobare & illustrare exemplo ulteriorique attentiori commendare experientiæ. Sic Generosa primipara de B. - 19. annorum, temperamenti melancholico-cholerici paulo maturius & durius ad partum, ab obstetrice morosa, compulsa feliciter quidem b. D. formosum filium parit, obstetrix verò una cum fœtu secundinam violentius ex utero protrahit. Quo partu peracto illa domum festinat & puerperam rusticæ obstetrici ulterius tractandam relinquit. Primipara dolorem, ex avulsione secundinarum remanentem, summâ cùm patientiâ perfert, sibi persuadendo, dolorem esse puerperis proprium, hinc non adeo illum curat, nec adstantes inde aliquid mali metuunt. Interim ad purpuram præcavendam & ad roborandum cor, cardiaca, ut TR Corall. Ess. Dulcem Halens. & pilulas polychrestas, propriô consiliô, puerperæ sæpius porrigunt, quibus quoque mediis b. D. per quatriduum, de reliquo bene sese habet puerpera. Dolor vero in inguine & ischiade non remittit; sed in dies accrescit. Quinto die lochia, hucusque largiora, post diætam flatulentam ac dyspeptam frixam nec non post auram frigidam, in lecto jectigando, utero admissam, præter spem & opinionem simul & semel subsistunt: dolor urens & fremebundus in latere dextro inguinis non solùm augetur; sed & ad regionem ischiadicam & per totum ventrem extenditur, venter simul intumescit & tumor in latere dextro, quo fœtum gestavit, & secundina adnata fuit, spithamæ fere longitudine, cum dolore acuto & inflammatione sensibili stipatus, extuberat: febris acuta continua superveniens adeo increscit, ut furibunda delirare incipiat, quod delirium mox in flebilem mutatur catastrophen, ut absque omni sensu ac loquela attonita decumberet. Ordinarius hactenus medicus ex propinqua urbe cito adductus, doctus ac circumspectus purpuram prædicit,

cit, & more ac methodo consuetâ, tanquam febrim puerperarum, temperantibus diapnoicis alexipharmacis ac uterinis assiduè tractando, appropriata propinat. Ast quia ecstasis nullo modo remittit, nec lochia redeunt, nono die quoque in consilium vocor, media nocte adveniens, ægram in hac, modo descripta, deplorata reperio ecstasi, faucibus summa inflammatione obsitis, ventreque tumefacto. Quare externe ad caput, cum linteis triplicatis, parum denuo siccescentibus, ℞ discutientem serpilli & formicarum camphoratum crocatum, super abdomen vero ad inflammationem & gangrænam uteri intercipiendam externe Cataplasma tonico-resolvens ac discutiens, hoc in passu semper cum voto adhibitum, ex pulvere rad. Consolid. maj. Sigill. Salomon. & Althææ, in fortissimo lixivio cocto, constans ordinavi, & quoties siccescere incepit, (quod in casu reconvalescentiæ admodum cito accidit) toties de novo calide applicare præscripsi. Interne vero XV. pilulas balsamicas, methodo Stahliana præparatas, in calido liquore resolutas, ori effracto infudi. Quibus mediis Clementia Divina adeo benedixit, ut alvi & lochiorum obstructio non solum reserata ad votum fuerit, ac venter iterum detumescere inceperit; sed & ad mentem redierit pristinam ægra, nescia omnium in delirio factorum, & nil, præter dolorem urentem & fremebundum ventris, lateris atque ischiadis relictum, ulterius sensit: jusculum cum appetitu, in omnium lætitiam, sorbere tentavit: purpuram vero hinc inde, præprimis in collo, pectore & nucha miliarem prorumpere observavit. Non obstante hoc mitiori statu insecuto & purpura proveniente, lethalem tamen, licet placidum prædixi exitum; post nonum enim diem purpura, inflammationi & gangrænæ uteri superveniens nunquam pro salutari, à natura instituta crisi, judicanda est; sed potius ex magna humorum putredinosa resolutione provenire, &, deficiente præcipue, per totum ventrem excurrente pruritu, tanquam salutaris discussionis infallibili signô, certum analyseos, tertio posthac

 die,

die, supervenientis esse signum; ex multiplici observavi experientia. Interea hic status remissior per totum decimum continuavit diem, circa undecimi vero diei initium, summo mane tumor lateris dextri, de novo grandior, pugnorum duorum altitudinem ascendens, sensibilior factus est: æstus quoque febrilis vehementior rediens, omnem omnium spem, hactenus conceptam, fregit, meamque de funesto exitu prognosin, in memoriam revocavit flebilem. Interim & huic recidivo dolori subvenire non destiti; sed externe unguentum ♄num & emplastr. balsamicum resolvendo discutiens præscripsi & imposui, quo sensim sensimque tumor subsedit & dolor plurimum remisit: quo facto denuo somnum per aliquot horas inceptum continuavit, tandem vero circa meridiem placide vitam cum morte commutavit. Viduus de vera mortis causa, sollicitus mœsto animô, eandem ut culter anatomicus certo certius demonstraret, petiit, qui quoque repositis à chirurgo infimi ventris integumentis, sphacelum per intestina, præcipue utero vicina, undiquaque nigerrima, excurrentem, & ex utero læso, ortum, mea quidem prognosi, mox clarius detexit lethiferum. Uterus namque exsectus, octo transversos digitos, per longitudinem & distensionem superans, utero à Peisenio in A. N. C. Dec. I. Ann. IV. & V. pag. 233. observato major, dissectus, digito transverso crassior apparebat, in latere uteri dextro, quo tumor antea & dolor maximus fuerat, frustula secundinæ, palmæ magnitudine adnatæ, ab obstetrice vi avulsæ, calami scriptorii crassitudine adhuc relicta observabantur, quæ tandem inflammationem, dolorem fremebundum & urentem tumorem ac insequentem sphacelum arcesserant. Qui sphacelus postea non solum totum uterum nigerrima corrupit putredine, ut digitis conteri potuerit; sed & vicina intestina ac hepatis inferiorem lobum contaminavit atque infecit, ex quarum partium prægressa inflammatione ac gangræna sine dubio, illam anxietatem, quasi Furiæ infernales ægram cruciarent, præcordialem esse ortam, colligere licet.

licet. De cætero omnes reliquæ partes erant ſanæ ac illibatæ ſine ulla labe conſtitutæ.

Eundem fere in modum alia primipara generoſa de W. 19. annorum, ſanguineo-cholerici temperamenti, tertio die, poſt paulo laborioſiorem, felicem tamen, partum in regione coxendicis, urentem dolorem, cum horripilatione & æſtu alternante ſenſit; anxietas præcordialis mediocris, inquietudo jectigatoria, lenia deliria, hilaria beatitudinem æternam concernentia, ſitis intenſior, & tandem diarrhœa ſeſe conjungunt: lochia parcius & aquoſiora profluere incipiunt. Medicô ordinariô non præſente, alius in conſilium illico vocatus, purpuram puerperarum præſagiens, varia antifebrilia, cardiaca, bezoardica cum regimine ſudorifero expellentia præſcribit: loco potus aquam acetoſæ, cum ſucco Citri alteratam porrigit: ad inflammationem vero uteri neque in- neque externe quippiam ordinat. Quapropter dolor & ardor in coxendice & lumbis accreſcit, ſitis vehementior excitatur, lochia plane ſupprimuntur, diarrhœa quoque frequentior nunc vires magis magisque deſtruit: purpura vero, ſi pauciſſimas hinc inde prorumpentes puſtulas, ex ſudore alias quoque excitatas, excipias, nulla expellitur, quamvis optima bezoardica vulgò uſitata, frequenti & numeroſa quantitate puerperæ ingeſta & obtruſa fuerint. Declinante quarto die omnis ardor & dolor, incantamenti inſtar, evaneſcit; ægra ex orci faucibus quaſi erepta, ſingulis agnatis, hactenus in extremo mœrore conſtitutis, animum erigit: Medicus quoque nunc omnes ſcopulos felici ſidere ſuperaſſe certo certius perſuaſus omnes ſpe lactavit optima. Aſt poſt paucas horas, ſecutus dies quintus triſtiſſimâ edocuit tragœdiâ, quod & à Medico optimo nonnunquam humanum non ſit alienum: quippe quo die circa horam matutinam ſecundam præter omnium & præcipue Medici ſpem ac opinionem puerpera quaſi obdormitura placide animam exſpiravit. Illuſtres parentes & generoſus viduus ob tam inopinatum & tam repentinum chariſſimæ reſp.

 filiæ

filiæ ac Conjugis decessum perterriti, de vera mortis causa solliciti corpus exanime cultro subjecerunt anatomico. Qui uterum summe inflammatum & sideratione tactum, grumulis sanguineis torrefactis obsitis detexit, simulque edocuit, quod illa repentina dolorum remissio, potius plena sensus amissio lethalisque sphaceli, ut veræ, mortis repentinæ, caussæ, testis atque prodromus mox insecutæ analyseos fuerit.

Contra vero, quodsi mox ab initio, simul ac puerpera in regione ischiadica, lumbis aut inguine dolorem urentem aut fremebundum cum vel absque tumore infimi ventris stipatum percipit, aut majorem partium genitalium inflammationem sentit, statim non solum *interne* temperantia ⦶sa antifebrilia & lenissime diapnoica æque ac alvi & lochiorum ordinarium & justum successum facilitantia; sed & quam maxime *externe* discutientia, inflammationem & congestionem arcentia præscribuntur & indefesso una serie, non obstante, hinc inde parva aut numerosa quantitate erumpente, purpura, tamdiu, donec pruritus, ut discussionis & remissionis certissimum signum, per dorsum insequitur, abdomen iterum detumescit omnisque dolor evanescit, continuantur: Plerasque puerperas hac methodo sub Divina benedictione clementissima citò & tuto reconvalescere quotidiana & innumera experientia per multos annos me satis superque edocuit. Tantum enim abest ut externa humida calida vel frigida adæquata, ventri applicata inflammationem uteri & obstructionem lochiorum, secundum superius allegatam observationem *Rommelii* & obs. 100. *Domini de Muralto* Ephem. N. C. Dec. II. anni I. p. 234. aut purpuræ laticantis repulsionem causentur; ut potius tonum uteri roborando sanguinem incarceratum propellant, novum affluxum à vulneratis partibus avertant, & inflammationem incipientem intercipiant atque discutiant, putredinem puerperis solennem, à *Domino Leporin* in schediasmate de secundina, contra *Ruyschium* de musculo in fundo uteri recens invento, ex multis autoribus largissime alle-

gatam

gatam ſphacelumque imminentem præſervent, ſtaſi vero & inflammatione, hac methodo ſublata, lochia juſto ordine promoveant & impedimenta ad purpuram fortaſſis ſupervenientem à natura tranquillius expellendam auferant, totamque febris ſymptomaticæ continuæ periodum felicilius abſolvendam facilitent. Ad hæc firmius & ſolidius probanda ex multiplici experientia, duas tantum tam propter ſummam inflammationem & ſphacelum jam inchoatum, quam propter purpuram largam peſſimæ indolis concurrentem in extremis conſtitutas, plerorumque prognoſi, omni medico auxilio deſtitutas, ſed externis auxiliis b. D. conſervatas puerperas in medium proferre lubet.

Sic Mulier quædam, poſt variolas in infantia perpeſſas largiſſimas ob apoſtema inde relictum valetudinariam agens vitam, 18. annorum ſanguineo-cholerica in initio ſecundæ imprægnationis, morbo ſpaſmodico, Griebel-Kranckheit dicto, per aliquot ſeptimanas vehementius cruciata, aſt antiſpaſmodicis & mixtura tonica ex ℞ ♁ acri & 🜐 C. C. æquali portione mixta & Infuſo antiarthritico per modum Theé uſurpato, hâc ſolum differentiâ, ut in poſterum, tempeſtate variante aut animi pathematibus commota, variis rheumatiſmis ſpaſticis, tempore geſtationis, expoſita fuerit, reſtituta, inſtante partu, poſt paulo vehementiores labores & dolores robuſtum & ſanum parit b. D. puerulum, per primum & ſecundum quoque diem puerperii bene ſeſe habet. Tertio vero die, ſine dubio poſt paulo liberiorem auræ ad uterum læſum admiſſionem non ſolum imminutionem lochiorum, in inguine & abdomine dolorem fervidum, ſed & totum abdomen in morem gravidarum denuo intra paucarum horarum ſpatium, accretum & tumidum percipit, horripilatio cum æſtu febrili alternans ſupervenit, ac purpuræ hinc inde largius erumpentis veſtigia apparent. Hiſce obſervatis tam ad lochia revocanda, dolorem & tumorem ſedandum, quam ad purpuram lenius expellendam & febrim moderandam interne Nitroſa & tem-

temperantia diapnoica, ac alexipharmaca uterina antifebrilia & externe sacculos resolventes, discutientes, paregoricos calefactos ordinare & diligentissime adhibere nullo modo intermisi. Et quamquam diapnoë largior insecuta, purpura quoque frequentior propulsa fuit, nulla tamen tam anxietatis præcordialis quam doloris & tumoris remissio fuit subsecuta; sed potius dolor acutior & tumor altior factus, quid? quod æstus abdominis fervidior, loco lochiorum ex partibus genitalibus ichor putridus & fœtidus profluit & anxietas præcordialis ad lipothymiam usque augetur, deliria concurrere ac quælibet signa ad summam œconomiæ vitalis destructionem celeri properare decursu incipiunt. Quapropter, & quia ex sententia illustris νῦν ἐν ἁγίοις *Wedelii* ad vitam & sanitatem conservandam nil omittendum, ad dolorem tumorem & ardorem abdominis tollendum, largâ quidem præsente purpurâ, externe unguent: de Lithargyrio & de Cerussa, rudi Minerva, ob temporis penuriam & moræ periculum, præparatum toti abdomini inunxi. Dictum factum, præter omnium spem & opinionem, benedicente divinâ summâ Clementiâ, ardor & dolor acutissimus remisit, tumorque subsedit, ut abdomen rugas denuo perceperit, ipsa quoque ægra ad se redire inceperit, hocque unguentum continuare petierit. Hinc adhuc aliquoties Unguentum, hucusque illitum, nimium cito torrefactum, recens applicare continuavi. Quo aliquoties repetito & postea empl. balsamico ♄no, ad discussionem facilitandam super imposito, omnis dolor & æstus evanuit, abdomen iterum ad pristinum statum collabitur & per totum abdomen & dorsum, loco prioris doloris & ardoris, nunc pruritus enormis, cum virium à momento ad momentum recuperatione, oritur. Qua novæ reconvalescentiæ spe allucente, externa & interna tanto cum majori cura ac vigilantia ulterius adhibita non solum sphacelum sustulerunt & lochia legitima revocarunt, sed &, ut purpura placide expelli, totaque

sani-

ſanitas inopinata paucis diebus reſtitui perfecte potuerit, impedimenta removerunt.

Altera puerpera, in qua ſuperius notatum unguentum ad inchoatum ſphacelum præcavendum & funditus tollendum, una tantum vice, non ſuffecit, & propterea fortius diſcutiens nervino balſamicum cataplaſma neceſſarium fuit, tertium nunc puerperium cum mitioribus laboribus & doloribus cito & tuto menſe Februario 1728. ingreſſa atque à ſecundina feliciter liberata, per 4. primos dies nihil mali aut extraordinarii ſentiens, paulo audacior nudis pedibus per hypocauſtum, prope januam apertam, deambulans, & tam condita varia, quam placentam grati ſaporis comedens, ac vinum dulce ſuperbibens non ſolum lochiorum imminutionem ſed & inſultus febriles cum horripilationibus intermixtis patitur. Quibus perceptis mox ab initio tam ad febrem & inflammationem uteri intercipiendam, quam ad lochia in ordinem revocanda, medicamenta alias polychreſta, præſcribere non deſtiti. Aſt tantùm abfuit ut lochia liberius iterum fluxerint & inflammatio ac febris præſervata fuerit; ut potius lochia ſumme obſtructa fuerint, inflammatio altiores egerit radices, abdomen cum ſummo ardore & dolore obrutum & febris majora ceperit incrementa, omniaque puerperio ſuperius pluribus deſcripta ſeſe conjunxerint ſymptomata. Unguentum quoque prius ad abdomen dolens ac urens diligentiſſime, ſed nequaquam cum eodem effectu illitum fuit. Ardor & dolor abdominis æque ac anxietas præcordialis usque ad continuam ſyncopen vires deſtruxit, & alvi hactenus liberi officium abſtulit. Hinc ad alvum admonendam & lochia revocanda XV. pilulas balſamicas, methodo Stahliana præparatas, cum tanto quidem effectu propinavi ut alvus reſerata & lochia pauliſper reſtituta fuerint. Ardor tamen & dolor abdominis non remiſit; ſed potius iterum lochia alterans materia livida & ſumme fœtida ex utero, loco lochiorum, evacuata fuit. Quapropter Unguentum ſine effectu adhibitum ſeponere & loco

illius superius notatum & alias in externis partibus, spacelo occupatis, cum summo usu adhibitum cataplasma ex rad. Consol. maj. sigill. Salom. & Althææ cum vino vel lixivio fortissimo coctum, tepide abdomini applicari curavi & interne adæquata temperantia Nitrosa & alexipharmaca diapnoica discutientia, summa cum industria continuavi. Quibus tam internis quam externis, benedicente præcipue summa Clementia divina, obtinui, ut 6to die circa noctem pruritus, tanquam infallibile incipientis discussionis & sequentis reconvalescentiæ signum, per totum abdomen & dorsum cum collapsione in rugas abdominis insecutus fuerit, lochia largissime fluere denuo inceperint, & septimo die, omnia reliqua symptomata concurrentia evanuerint ac pristina sanitas restituta ac confirmata fuerit.

Ex quibus singulis observationibus, notatu dignis, colligere licet: quod non solum inflammatio uteri & hujus inflammationis fidus comes sphacelus sit frequentissima morborum & mortis puerperarum causa; sed & ad hunc depellendum externa tam frigida quam calida, purpura licet contra indicante, & summe proficua ac licita & interdum summè sint necessaria.

(*Gothæ Augustam Vind. d. 1. Jul. A. 1728. missa.*)

OBSERVATIO CXLVII.

DN. D. ELIÆ CAMERARII.

Singularis malignæ Purpuræ ac variolarum complicatio.

NExus morborum mirabiles, atque inerrabilem varietatem combinationum tristissimarum nulla satis ætas in lucem protrahet, juvat igitur practicos juniores haud parum

parum si moneantur exemplis pluribus de possibilium complicationum diversitate modisque notabilioribus. Purpuram, variolasque satis, proh dolor! norunt omnes, nec eorum inhærebimus descriptioni, nexum damus haud semper obvium. Decem annorum puer, agilis, ingeniosus, calidi siccique temperamenti, ac præter naturam fere macilentus, circa 24. Apr. An. 1728. Catarrho, tussique molesta, ac præcordiorum affligitur angustia; Augmenta capiunt haud tarda isthæc symptomata, constringitur pectus, paulatimque ultra modum invalescunt stricturæ spasmodicæ circa Diaphragma, adeo ut contunderent quasi arida illa præcordia, subsultibus crebris, enormibusque continuo quassata, ea tandem violentia, ut subsiliret quasi elevatum ictibus corpusculum, magno adstantium terrore, puellique animam agentis cruciatibus miserrimis. Ludebatur miserabilis hæc fabula per horas plures; excitatis per cantharides vesicis, datisque nervinis, ac liquore cumprimis Cornu cervi succinato, inunctisque decenter convulsis tam atrociter partibus remisit tantisper agitationis ferocia, durante gravi dyspnœa ac circa diaphagmatis ambitum constrictione aucta, donec aucto jam febriliter calore continua febris exardesceret, attoniti jam mali gravitate, metuque, parentes conspicantur prorumpentem cum impetu quasi ac subito albam per universum corpusculum purpuram tot jam aliis funestam, atque adeo cutis ambitum omnem obtegentem, ut vix spatiolum à pustula vacuum licuerit reperire. Decurrunt sic inter angustias, lassitudines, vigilias, summamque tandem infirmitatem duodecim ferè dies, paucioribus interstincti deliriis; Debilis erat pulsus, urina mediocriter tincta, tandemque turbida: Deferbuit tandem Deo remediis alexipharmacis selectioribus benedicente febrilis malignitas, atque ardor, pustulæque siccescebant tardissime; Iis squamularum forma decidentibus rediit appetitus debili puello, videbantur in vado esse res omnes, ita ut versus medium Maji hypocausto vacillanti gressu egredi conaretur;

Cum vero tum nova ac pertinaci Cephalalgia corriperetur, inter ipsum jusculorum herbis alteratorum usum (quo minanti febri lentæ ibamus obvium) adscribebatur primum grave malum, voracitati ac onusto præter modum ventriculo, sed augescente ad ejulatus usque pueri malo, ac doloribus fere redditis intolerabilibus, cœpimus suspicari quod res erat.

Decumbebunt variolis frater sororque natu minores, parentesque sibi persuadebant defunctum esse hoc periculo ægrum nostrum, tum variolis plures ante annos mitius quidem detentum, tum modo malignitate albæ purpuræ ita exhaustum, ut & vires deficerent, & uti videbatur pravi succi novis exanthematibus gignendis, protrudendisque apti. Tertia autem immanis Cephalalgiæ dies inanem ipsis spem erroremque exemit, ostenditque corpusculum variolis undique eminentibus asperum, remittebat assurgentibus pustulis Cephalalgia intolerabilis, increvit calor, caput informe intumuit, pustulæ tardius mole augebantur, cum ardore ingenti, ac gemitibus pueri perpetuis, vigiliis nullo somno interruptis, urina semper aurantio colore incensa, pustulæ ad extraordinariam fere magnitudinem cum summa ægri molestia increscebant, cumque jam essent in ἀκμῇ, evenit id, quod deesse malis nostris unice videbatur, erumpebat denuo versus Maji finem alba purpura majoribus paulo nunc pustulis caput collumque ita operiens, ut vix acum figere inter variolas, purpuræque colliculos in cute liceret, idem conspiciebatur in thorace, parcius tamen reliqui corporis ambitum inter pustulas ingentes parvula purpuræ exanthemata consperserunt. Novæ hinc & puero & parentibus anxietates, sed insistebamus remediis bezoardicis, diluentibus, temperantibus, nervinis, confortantibus selectioribus ea assiduitate, ac prudenti pro re nata variatione, ut tandem sub Junii initia affulgere radium spei novæ gavisi simus, cum inciperent prægrandes ac tumidæ variolæ siccescere, ac corrugari limpidi albæ purpuræ monticuli; Mitius dehinc actum remediis, sumus-

mus-

musque nunc in eo, ut redeundo ad alterantia illa juſcula lentæ febri, inſidias heic periculumque minanti, aditus, quantum licet omnes præſtruamus &c.

OBSERVATIO CXLVIII.
DN. D. ELIÆ CAMERARII.

Chronica intricataque morborum complicatio.

ACutorum morborum periculoſam modo dedimus complicationem, nunc & chronica, diuturnaque mala triſti ſerie ſibi ſuccedentia dabimus. Poſſunt enim ſiniſtri etiam morborum eventus lumen Medicorum filiis accendere, ac proin ſedulo annotandos penſitandosque eſſe dudum agnovere ſaluberrimæ artis Antiſtites. Operæ hinc pretium nobis videbatur communicatam ab amico obſervationem iſtiusmodi Eruditorum exhibere oculis, cum ſymptomatum combinationes haud frequenter obvias Curioſis ſubminiſtret, quarum conſideratio penitior haud inutilis ſuo loco ac tempore medentibus eſſe queat. Jacobi Ulrici Leonhardi, ſutoris uxor quadragenaria temperamenti ſicci ac bilioſi nigris prædita capillis, fuſco cutis colore, inde à juventute otio, rixis, vitæque ſatis diſſolutæ dedita iſtam in corpuſculo ſuo Tragœdiam ſpectantium adſtantiumque oculis diu ſatis exhibuit. Cruentatio gingivarum perpetua, vagique artuum dolores, queis cum teſte marito conflictabatur, ſcorbuticam videbantur innuere diatheſin. Tribus juncta maritis, novercantem fortunam nunquam non experta eſt; Primus enim maritus eam deſeruit; ſecundus violenta ipſi ereptus eſt morte, ictus quippe lethaliter à majore arboris vento concuſſæ deciduo ramo. Tertius cui hoc cimelium debebatur vir, qui & ipſi poſt decennalem cohabitationem ſupervixit, duritie quadam & rigore ſingulari erga eam primis annis uſus eſt; Nec po-

terant tam infauſta matrimonia mentem parum firmam, ſolidamque pathematibus graviſſimis, ac moleſtiis concatenatis non affligere, ac in intimis perturbare. Cum inſuper parciores menſes tardius quoque plerumque ac non niſi poſt violentos ad ſanguinis usque extorſionem vomitus erumperent, tantaque jungeretur Cephalalgia, ut vel tantillum radiis expoſita ſolaribus deliquia ex doloris violentia pateretur. Hæmorrhagia narium frequens ipſi præſertim à vini, quod deperibat, abuſu fuit. Melancholicos inſultus diu perpeſſa eſt, noctu cumprimis metu ac triſtitia graviſſime perculſa, opem Mariti implorans, fugamque è lecto tentans, mane hilaris, ac ab omni metu libera. Quadriennio abhinc ſigna dementiæ haud leviuſculæ dedit haud infrequentia, cum prandium meſſoribus deſtinatum portaret in agrum aratro modò proſciſſum &c.

Cœpit hinc Ann. *1726.* vacillare jam manifeſtius ejus ſanitas. Inopinato enim preces alta voce recitando loquelæ vitium ac quandam balbutiei ſpeciem incurrit, quam tamen ne quidem à marito monita voluit agnoſcere, recurrentemque conſtanter Vocis errorem abnegavit perpetuo, recte ſibi, atque ut decet, loqui viſa, Intumeſcebant tum quoque pedes circa malleolos, frigebantque perpetuo. Accedebant moroſitas, laſſitudo ingens, tantaque iracundia, quæ ad verbera ac objurgationes aliis ingerendas eam incitabat. Augebatur ſimul corpuſculi macies, & una cum iſta voracitas inexplebilis. Negotiorum vero atque œconomiæ oblita penitus negligebat omnia, adeo ut non niſi acrius admonita veſtes applicaret corpori, immo poſt hæc ne monita quidem, nec petiit ullum unquam cibum, & fortuito oblatum avide devoracit, celeritate incredibili decem majuſcula poma vorans deglutiensque. Sæpe panem plurium librarum obambulando admovit ori, canisque in morem devoravit maximam ejus partem inter riſum ac cachinnos. Adeo evaſit rerum ſuarum ignara, ut & urinam & alvi feces in lecto, cameraque

raque promiſcue ſine pudore deponeret, ac dimitteret, imo & aſtute feces abſcondidit depoſitas, ut fœtore omnibus eſſet gravis. Pauca tum, certaque verba per dies etiam pluſculos continuo repetebat, ne noctu quidem ceſſans. Quibus tamen intervallis effundebatur in cachinnos immodicos, qui tam videnta ſpasmorum conſtrictione vibrabant præcordia ut ſuffocationi eſſet proxima.

Redibant vero mox deliræ vociferationes, ac locutiones. Tam pertinaces vero erant vigiliæ, ut per integros tres annos vix obſervata fuerit ſomno obruta, ſi ultimos vitæ excipias dies. Inter variantia hæc ſymptomata, id quoque erat notabile, quod quandoque per integrum horæ, & quod excedebat quadrantem oculos tam fixa intuitione fixerit in objecto, locoque certo ut toto illo tempore nullum corporis membrum in fibram nullam, vel minimum commoveret, catalepſeos hic frequentioris exhibens imaginem quandam, quam dæmoni malo adſtantium credulitas adſcripſit.

Vigebant ſatis ad alia fibræ, hinc prunorum nucleos dentibus comminuebat, deglutiebatque; arrodebat dura etiam coria, imo & ſacrorum librorum tegmina.

Abjecerat inde à triennio curas omnes, niſi quod ſemel ægrotante gravius marito ſe infortunatam, ſi quidem ille morbo ſuccumberet exclamarit; & quod anxie à Chirurgo expeteret ſecari ſibi venam. Dato autem ſanguini exitu vix ille amplius coërceri potuit, adeo efferveſcebat; Emiſſo cruore albida mox ſpiſſaque cruſta aquæ largæ innatante abducto; Ægra tamen pluries ab operatione hac in deliquia inciderat. Omnia tunc augebantur ſymptomata, preces vel non poterat, vel nolebat eloqui. Etiam præeuntibus aliis; à loquela vero ſemper abſtinuit, donec ea tandem penitius privaretur. Tandem enim ſub finem An. 1726. tribus ante obitum menſibus diu jam balbutienti & tacenti ſupervenit apoplexia: morti jam proxima redibat tamen ad aliquod vitæ miſerrimæ exercitium. Succedebat enim univerſalis corporis totius paralyſis,

ſis, aphoria totali comitante, ac ſtupiditate profundiſſima. Nullam valebat edere vocem niſi qualem edit percuſſus canis. Durabant latratus iſti dies integros, noctesque. Subinde & à clamore deſtitit, etiam cum rogaretur, reſpondere enim alias ad quæſita ſolebat eodem latratu. Oblatos ingeſtosque ori cibos avide deglutivit, decreſcente tamen ſenſim ſenſimque, voracitate, ac redeunte paulatim moderato ciborum appetitu. Cum hactenus inquieta in lecto volutaretur, nunc immota penitus eum retinuit ſitum, quem adſtantes ipſi dederunt. Auditum non penitus fuiſſe abolitum, ex eo concluſere adſtantes, quod in clamores ſæpe proruperit, ſi de re ingrata circa ipſam miſcerentur ſermones; etſi & doloribus à nata ex decubitu diuturno excoriatione ortis clamores iſtos licuerit adſcribere.

Ceſſabant vero ſtentorei illi clamores, quamdiu ori intrudebantur cibi, redeuntes mox iis devoratis. Redierunt & vociferationes, latratuum æmuli, quoties deligabantur nata brevi poſt apoplexiam in dorſo ulcera, exorta poſt leviorem primo excoriationem ſevi illinitione ſæpe coërcitam; ſerpſerat vero potiſſimum ulcus profundum in nate ſiniſtra, ac circa femoris articulationem, eaque rapacitate depaſcebat carnes, ut metueret Chirurgus totalem femoris à trunco abſceſſionem, cum & articulatio ejus, & coccygis os, tendinesque, ac vaſa heic decurrentia prorſus nuda conſpicerentur. Relicto vix tenuiſſimo inter genitalia rectumque inteſtinum iſthmo; pedis ejusdem inferior pars paſſa quoque eſt ulcera, nec immunis manſit circa malleolum pes alter. Fœtorem hinc cadaveroſum circa ultima vitæ tempora intolerabilem prorſus fuiſſe ajunt adſtantes, etſi biduo ante mortem, fere penitus evanuerit fœtor iſte, ac morte appropinquante omnino gravis eſſe deſierit. Fuderant ulcera pus bene coctum, multo plerumque ſanguini mixtum ob eroſa numeroſa vaſcula.

Ali-

Aliquot ante obitum diebus convulſivis motibus agitati fuere artus, labia, oculique exſuccæ effœtæque partes; artus enim dudum rigidiſſimi flecti nulla ratione poterant. Paucis ante obitum horis memorabile ſiniſter oculus obtulit phænomenon, ruptus ſponte ſua, ac ejiciens contentos humores, quos defluxiſſe per genam conſpicabuntur attoniti adſtantes. Dexter oculus integer manſit palpebris etiam poſt mortem haud collapſis. Adeo lentis, ſi loqui ita liceat, greſſibus deſeruit anima ac vita fœtidum hoc & diffluens tabo tugurium; lentiſſimè increſcente Cachexia aliis malis imponente colophonem; adeo pertinaciter reſiſtebant imminenti dudum neci levidenſes quædam vitalitatis in Cerebri cordisque penetralibus reliquiæ. Id adhuc ad prolixam hanc malorum ſeriem addemus: Chirurgum ob vigilias tam pertinaces exhibuiſſe ſemel opii bina grana, quo ſimul & horrendos compeſceret clamores, ortumque hinc eſſe noctis unius ſomnum, ſed vigilias poſtea æque pertinaces & clamores recurriſſe priſtinis terribiliores: Sitis intenſa fuit ad vitæ usque terminum. Cum vero immineret apoplexia, frequentior narium hæmorrhagia penitus ceſſavit, menſesque, paulatim antea multo tardiores, tunc penitus emanſere. Sed ſatis eſt miſeriarum!

OBSERVATIO CXLIX.

DN. D. ELIÆ CAMERARII.

Tardior acuti atque immedicabilis mali progreſſus.

REduces ex oppido, domumque properantes Ruſtici à petulantia, jocisque, ad lites, indeque ad verbera progrediebantur. Geſtabat eorum unus, pagi prætor, baculum manubrio ferreo quatuor pene unciarum ornatum, hunc ipſi

luctando eripuit socius, ejusque caput aliquoties graviter percussit, repetiitque ictus reversus mox ad pugnam turbabatur hinc corpore animoque percussus, atque aliquandiu alius socii brachiis sustentabatur. Itum dehinc domum est, eademque adhuc vespera vocavit ad se læsus pugnæ istius rusticanæ spectatores atque testes, citavitque eos, ut testimonium perhiberent altera die coram oppidi Præfecto, ad quem & pedes iter ingressus est, neglectis vulnusculis suis, vel obiter satis curatis, neque enim Medicum vel Chirurgum accersivit, hausto in via vini spiritu, in urbis vero diversorio mero largiore, rediitque ita demum, urbem tamen brevi repetens eadem alacritate, etsi turbidum quodammodo circumgestaret caput, quas tamen durus homuncio turbas, nebulasque capitis rustico contempsit supercilio, donec versus octavam ab acceptis verberibus diem & gravitas capitis increscerct, & vertigo affligeret, quæ quidem novæ atque augescentes molestiæ hominem sua vulnera hactenus negligentem, ac leviculas vocitantem excoriationes coëgere, ut ex vicinia evocaret Chirurgum, qui nona à vulnere accedens die, cum vertigine ista, capitisque obnubilatione haud levi afflictum invenit, scrutanti vulnuscula id, quod supra sinistram orbitam oculi inflictum fuerat, mox obtulit scabritiei fissuræque in cranio vestigia, alterum in summo capite erat, neutrum unciam longitudine superabat; ægre passus est abradi capillos homo torvus, nec lubens admisit sacculos ex herbis, una cum Emplastris adhibitos; sed ne tum quidem itum est ad medicum, nec adhibita sunt interna quæ obviam malo irent remedia. Jussus est Chirurgus non nisi triduo quovis redire, imo se ad ipsum venturum promisit æger, sibi satis valere visus. Sub istis vero Chirurgi visitationibus increvere capitis nebulæ, & vertigo & torpor, adeo ut cum sexta mensis die accidissent vulnera, nonaque abhinc die Chirurgus fuerit accersitus, cum dierum numero increscerct funestum hoc latitansque malum, donec vigesima sexta mensis die Medici tandem

inci-

incideret mentio, qui & tardius adhuc vocatus invenit ægrum sensibus jam, ac mentis vigore penitus orbatum, trahentemque rhonchos, facie rubente. Jam vero de Trepani applicatione tandem cogitatio subibat, eoque frustra per biduum in vicinis quæsito oppidis, jussit Medicus fabrefieri terebrantem modiolum axe instructum, quo versatili ac terebranti machinæ utcunque aptato, perforatum est cranium, eductaque cruoris semiuncia, turgebat subtus tensa ultra modum dura mater, retraxere autem manum Chirurgi, ac nocte insequente spiritum reddidit Creatori, qui dudum obdormiverat alto sopore, ægrotus.

Parvula reperta est in extima frontis tabula fissura, quæ & in summo capite erat læsa, lamina vero intima integra erat, uti totum spississimum quaquaversus cranium, tumida meninx ostentabat vascula turgentia ac sub se aliquid cruoris. Cerebri vero utrumque hemisphærium erat integrum atque aspectu primo illibatum, etsi tensum. Secta autem in sinistro latere corticis portione vulnusculo frontis respondente, mox prosiliit sanies cavitasque se obtulit puris, laticisque saniosi continens binas circiter uncias, exundantes replentesque etiam istius lateris ventriculum. Ita quidem in sanissimo homine (nulla enim alibi inventa est labes) ferrei manubrii rudi manu inflicti ictus & externum cranii fregerunt laminam, & succussione violenta in ipso cerebro interiore perrupere vascula quædam, & quasdam mollissimi visceris fibrillas; quam vero illæ tardissime effundebant hunc laticem suum, & quam lenta fuit, satis tamen acuta atque immedicabilis suppuratio. Quam funestus rei tam levis visæ exitus! quæ hic trepani applicatio detexisset latentem sub sani in speciem fornice Cerebri subdolam lethalemque vomicam? Adeo quidem multa sunt, quæ ipsi etiam Trepano se objiciunt obstacula, quæque ejus usum haud raro inhibeant, vel suspendant Chirurgi etiam exercitatissimi paratam ad operandum manum. Forsan dura Matre incisa sensim sibi

natura ſanie gravata paraſſet per iſtum corticis integrum adhuc fornicem viam, quis vero id ſibi aliqua certitudine promiſerit? nec tum quidem ſpes affulſiſſet melior, actis jam profunde nimis ſaniei aggeſtæ cuniculis, quæ ſane Hecticæ phthiſeosque cerebrinæ ſpecies quavis pulmonari periculoſior funeſta fuiſſet eo celerius, quo penitius nunc ſubiens aër accelerare putredinem, ac promptiorem tragœdiæ non potuiſſet non imponere finem &c.

OBSERVATIO CL.

DN. D. ELIÆ CAMERARII.

Inſolitæ egredientis ſanguinis Viæ.

VIrgo annorum 38. tribus circiter abhinc luſtris cruento vomitu enormiter laboraverat, incidit dehinc fluxu hoc coercito, in Cacochymiam diuturnam cum tumore totius dextri pedis ingenti, ſenſim vero à malis iſtis extrema quæque minantibus liberata redit ad labores, illisque fungitur per plures annos, non tamen ſine inſigni moleſtia, cum nunc pedum ulceribus torqueretur pertinacibus ac moleſtiſſimis; ſed et iſta Emplaſtris tandem, internisque remediis coercita coaluerunt, rediit vero dehinc infauſto regreſſu ſedecim abhinc menſibus cruentus, largiſſimusque ad deliquia usque vomitus, cum dejectionibus cruentis, afflixitque non ſemel tantum miſellam, verum viſceralibus, tonicis, abſorbentibus hyſtericisque remediis id tandem effectum eſt, ut & metuendum ſymptoma reprimeretur, & per alterata juſcula ac theæformia ex congruis herbis infuſa ſanguis vigori aliquali reſtitueretur, redirentque in ordinem ſuum, qui in ataxiam deſciverant, menſes. Venæſectio tempeſtive inſtituta ita eam præſervavit à malis iſtis, ut ſufficeret gravioribus etiam laboribus, ſed nec iſta, nec menſium fluxus ſat regularis impedire poterant, quo minus ſemeſtri abhinc ex ea regione, ubi coaluerant

luerant ulcera, sanguis solo naturæ motu ex triplici quasi fonticulo inciperet exilire hacque effusione sanguinis vis ingens erupit, quantum quidem venæsectione educere ausa non fuisset Chirurgi manus. Agit illa hactenus inter labores suos alacris, ac paucis abhinc diebus dum menses rite stato tempore fluerent, novam experta est sanguinis non extillationem, sed salientem ex aperta arteriola solo naturæ orgasmique molimine rivulum non jam ex cicatrice antiqui sanatique ulceris, sed ex opposita pedis integra, & nunquam antea læsa parte; adeo ut à Chirurgo haud facile sisti potuerit effluxus, rediretque sub quavis nova deligatione, perdiditque etiam hac vice virgo hæc largam sanguinis molem, vix quidem si præsentem respicias statum, ægra dicenda. Adhibens tamen ad sanguinis vigorem, consistentiam, motumque & moderandum & intra cancellos servandum alterata juscula infusaq; herbarum. Non æque salutariter fluxisse sanguinem infantibus plurimis, variolis malignis nuper in vicinia decumbentibus observatum est; præter enim plures, quorum variolæ elatæ turgebant non pure, sed sanguine, interspersis livescentibus petechiis, quæque & ruptæ largiter effundebant purpureum hunc laticem, duæ cumprimis allegari hic merentur puellæ sæva hinc symptomata expertæ. Prima annorum non omnino quatuor decubuit per octiduum continua febri, soror ejus natu major laborabat eodem tempore variolis, ultra modum omnem violentis, ita ut suppurascentia largissima abscederet cum capillito capitis tota cutis; hæc evadebat, altera liberatur quoque à febre sua, mox vero adhuc alacris incipit conqueri de dolore annularis sinistræ manus digiti, ac si contusus ille fuisset violenter, brevi post superveniunt convalescenti, ut videbatur, huic puellæ vomitus frequentissimi ac prorsus terribiles plusquam viginti, incipit digitus dolere magis, & intumescere & livescere. Aucto calore incipiunt emergere passim per corporis ambitum pustulæ tardius tamen elatæ, & mox in medio ostendentes foveolam, interstin-

 guunt

guunt pustulas maculæ petechiales cærulescentes, digiti illius articulus extimus per triduum mire increscit ut referat tandem majorem nucem juglandem, rumpitur tertio die tumor, incipit largissime stillare per diem noctemque sanguis ater ad plures libras; pustulæ collabascunt, ex ruptis non pus sed flava extillat sanies aquosa ac tenuis. Subito digiti crudeliter & pertinaciter stillans sanguis subsistit, sed graviore noxa adgreditur misellam vomitus atri corruptique sanguinis largissimus violentia sua & vigoris & sanguinis reliquias largo flumine ejiciens, qua terribili effusione facta, fatiscentibus viribus diarrhœa accedens miseræ vitæ imposuit finem. Altera, quamque memoravimus supra ejusdem ætatis puella exiccatam gestabat in angulari labiorum coalitu pustulam seu escharam cum variolarum insultus primos pateretur, factum hinc, ut etiam pustulis prodeuntibus incresceret eschara illa, tumesceret, serperetque & rumperetur, profundens citatis stillans sanguinearum guttarum fluxibus atrum cruorem per horas plusculas largissime ad multas uncias, eschara amplum jam occupante oris spatium, substitit tum sere penitus sanguinis effluxus, sed simul inter variolas nigrescentes maculæ conspergebant corpusculum, illudque sphacelosa necrosi tradebant neci.

OBSERVATIO CLI.
DN. D. ELIÆ CAMERARII.
Morbus Epidemius singularis.

HAbent plerumque vagi aliquid atque incerti Epidemii morbi, faciuntque omnino operæ pretium, qui anomalias eorum & variationes sæpe mirabiles publico exponunt; undenec id visum est usu suo destitutum, si abeuntes ab ordinaria, ut sic loquar, morborum schesi ægritudines, si cumprimis Epidemica quadam diffusione grassari, pluresque successive adoriri conspiciantur, annotentur, publicisque inserantur tabulis. Anomalus istiusmodi morbus in pagis

plu-

pluribus verno cumprimis tempore proruperat, magis tamen afflixit unicum pagum, in quo frequentior longe ac fere immitior ſe per plures exhibuit, deſæviitque menſes, moleſtia inſigni incolis graviſſime incumbens, pluribus quam quadraginta ægris ſenſim ſenſimque eo malo tortis. Etſi acuto ad necem decurſu ægros haud abriperet, ingentes nihilominus in anguſtias redegit eos, quos adoriebatur. Adgrediebatur vero juniores æque ac adultiores, ſenesque laſſitudine omnes ingenti corripiebantur, caligabant oculi, ac quadam quaſi nebula ſuffundebantur, ut quidam ne legere quidem amplius potuerint, turbidum erat caput, & ſtupore quodam obvelatum, ſymptoma autem præcipuum erat tremor inſignis quaquaverſum in corpore obvius; adeo autem apud nonnullos invaluit tremor, ut familia integra ob tremoris vehementiam pertinaciamque preces amplius fundere haud poſſet. Jungebatur & præcordiorum anguſtia & reſpirandi difficultas; quidam laborabant mitius proteiformi hoc malo, ita ut & aliquibus adhuc, etſi ægerrime, pares eſſent laboribus; alii vero diutiſſime torquebantur, quidam totis ſeptem hebdomadibus, imo & ruſticorum aliquis per integras octodecim ſeptimanas ſuſtinuit infauſtum tremorem, languoremque ſubdolum. Appetitus non erat proſtratus; nec ſomnus adeo impeditus; quamvis & in lecto tremeret loci Paſtor, tribus quoque, ſeptimanis afflictus tremula lue.

Præceſſerant per hyemem totam ferociſſimæ tuſſes; ſed & morbus per violentam ſolvebat in pluribus tuſſim, qui tamen de juncto exſcreationi fœtore ingrato conquerebantur; febris manifeſta morbum haud comitabatur, etſi tuſſi puncturæ præcordiorum junctæ fuerint; Largior ac diuturna coryza in aliis colophonem morbo impoſuit, in aliis autem ſudor, qui à potu ſumpto mox largior invaſit, eratque ſudor ordinarium ſymptoma.

Diarrhœa in quibusdam ægris morbum ſolvit, quemque jam memoravimus, Rev. Paſtor, tribus integris ſeptimanis

qua-

quavis nocte diarrhœa fuit vexatus. Causam quam assignarent malo vix inveniebant rustici, tempestatum vicissitudines alii accusabant, alii suspicabantur temulentas lolii noxas, alii funesta jam alibi secalis adusta grana (les ergots multis jam famosa noxis) nec certum tamen aliquid & ultra vagas assurgens conjecturas licuit inde exsculpere.

OBSERVATIO CLII.
DN. D. ELIÆ CAMERARII.
De Villis Tabificis.

EPidemica Boum lues à Celeberrimis Medicarum scholarum Antesignanis attentione singulari indigna habita non fuit, qui & doctissimis rem difficilem dissertationibus majori in luce ponere dignati sunt. Merebimur igitur & nos veniam, si de pecorum morbis Endemiis heic adducamus ea, quæ Clar. Medicus, *Georgius Fridericus Mohr, L.* amice recensuit. In oppido Hornberga (sito in vicina nobis Hercynia, uti antiqua denominatio habet, sylva) ejusque vicinia numerosas inter rusticorum Villas nonnullæ insignitæ sunt titulo *Villarum Tabificarum* (Dorrhöfe) quoniam pecora bovina (atque in quibusdam etiam capræ) quæ in illis aluntur, Endemio corripi solent morbo, cujus vi consumuntur ac tabescunt: nulla unquam vel curationi, vel præservationi adæquata inventa medela. Vituli ibi nascuntur sani, capiunt augmenta, dum lacte utuntur, egregia, mox vero, ubi aquas haurire incipiunt, evadunt macilenti, trahuntur intro rhachiticorum quasi more hypochondria, cum difficili respiratione, decrescit appetitus vorandi sensim sensimque, donec tandem abhorreant & à fœno, & à gramine, consuetis pabulis; vescunturque tum (quadam quasi picæ analogia) stramine, fimo, putridis lignis, scopisque dudum exsuccis, attritisque sitiunt vehementer, excrementa indurescunt, minoresque ac caprinos quasi in globulos coguntur; serpunt per linguam nati sub integumentis ejus aliqui vermes, gingivæ intumescunt, dentes soluti quasi incipiunt vacillare, tandemque vivere

vere desinunt vituli. Quo magis vero mole ac ætate augentur hæc pecora, eo minus sunt huic malo obnoxia, faciliusque illi & resistunt, atque illud superant felicius. Incipit vero plerumque morbus autumno, vehementer sævit, increscitque hyeme, verno autem tempore mitescit, cessatque. Contagium vero hic nullum metuendum est, nec serpit per miasmata in alia pecora malum.

Inter ipsas has Tabificas villas haud exigua intercedit differentia. Maxime vero infestat malum hoc Villam, horæ spatio ab oppido remotam, dictam Tiefenbach, ibi enim nulla prorsus educare atque alere licet pecora nascentia, sed vendendi sunt vituli omnes, stabula vero replent annuis juvencis. Gestantes utero Vaccæ (quod hyeme plerumque contingit) in aliam transferuntur villam usque ad tempus depositionis molis uterinæ. Quædam Villæ hoc saltim habent incommodi, quod vituli per unius spatium hyemis in aliam transferendi sint Villam ad malum hoc evitandum. In aliis villis suspectis vitulos ultra bimestre alunt lacte, ut robustiores dehinc satis resistant malo sine translatione. In villis quibusdam etiam annosa pecora transferenda sunt, novaque quovis triennio substituenda.

Si causam requiras mali, varias suspicantur incolæ. Cumprimis observant aquam è villarum noxiarum fontibus scaturientem esse impense frigidam, immitem (Hart) ac quovis crystallo clariorem, cum in villis melioribus aquæ sint moderate frigidæ mitiores (Matter) minusque pellucidæ. Suspicantur quoque frigidissimas illas aquæ venas fluere per mineras æris. Alii in terram stabuli refundunt culpam, cum effossa illa ingestaque nova visum sit mitescere malum, stabula quoque profundius in montem penetrantia magis obnoxia sunt malo. Cum morbi orientis se produnt indicia, ab exhibitione salis abstinendum est penitus, noxia quippe ac malo incrementa subita procurante.

Inter Juvantia primas tenet translatio, unicum quasi remedium. Linguæ vermibus opponunt frictionem latere fa-

ctam, succedentemque huic fortiorem cum sale & fuligine frictionem. Tumidam circa dentes carnem acuto scindunt passim ferro, usque dum fundat sanguinem, vulneratamque fricant nasturtio atque urtica. Forti tandem atque assidua purgatione sanatum fuisse vitulum quendam asseverant.

Observatum porro est in Villa Cunradi Hildebrandi diversum haud fuisse effectum, sive pecudes fontis aquam hauserint, sive ex rivo vicino fuerint potati. Pecora frequenter per regionem istam circumacta ac alio deducta, libera semper fuere à malo. Pabula crescentia circa villas noxias sunt prorsus innoxia, alienisque in stabulis, villisque commode ac sine noxa semper fuere exhibita pecoribus. In Hornbergensi oppido tria quatuorve sunt istiusmodi noxia stabula, quorum tamen pecora eandem hauriunt ex eodem fonte aquam cum pecoribus stabulorum innoxiorum. Unica à villa pessima Tiefenbachiana hora distans alia villa saluberrima est; in quam transferuntur ad sufficiens tempus pecora priori malo tacta donec convalescant; agri, ac prata villæ utriusque sunt contigua ac contermini, rusticique villæ noxiæ fœna sua convehunt in horrea alterius villæ, ut habeant transferenda hyeme pecora quo vescantur. In villis quibusdam morbus non nisi tertio quovis, aut quinto imo in aliis decimo saltim anno sese exerit, nunc fortius, nunc debilius. Dum spirat è Septentrione ventus subita sunt fortioraque morbi incrementa. In eodem Hornbergensi oppido eadem domus duo habet stabula quorum saluberrimum est alterum vero pessimæ ex hoc malo notæ, hujusque pecora malo se prodente transferuntur in alterum vicinum, donec convalescant. Supra jam monitum est nullum hic metum esse contagii, promiscue enim ex stabulis non suspectis pecora transferuntur in illa quorum pecora graviter laborant. Nemo à lacte laborantium abhorret; carnibus vescuntur sine apprehensione ulla. Qui extincta quædam aperuit, rimatusque est pecora defuncta Lictor asseruit, deprehendisse se exsuccum, exsiccatumque quasi omasum.

OBSER-

OBSERVATIO CLIII.

DN. D. ELIÆ CAMERARII.

De Endemiis quibusdam morbis.

QUi pecudum modo morbos dedimus ex recensione Clarissimi Viri, nunc & hominum Endemios morbos eodem ex fonte hauriamus. Ejusdem loci Incolæ gravibus urgentur malis; Infantes vero potissimum torquet Rhachitis, prodens se frequentissime atrophia, inappetentia, siti, asthmate, Tussi ferina, sicca, ad vomitus usque concitationem, costarum, ac sterni cartilaginum distorsionibus, ac emotionibus, tumore abdominis eaque pedum paralysi, ut eis ne insistere quidem amplius queant; accedit iracundia, facilesque ad eam motus ex re qualibet, usque ad spasmodicam respirationis interceptionem, indeque oriundos tandem convulsivos motus, Alvo nunc libera nunc constipata, junctisque subinde vermium excretionibus à purgantium usu. Neque tamen Rhachitici manent pueri, sed vel superant morbum penitus, vel ab ipso haud adeo lente ad tumulum promoventur. Facit ad genesin mali frequentem puerperarum crudior diæta, juscula cum pane secalino largiori fermento imbuto facta, cibique duriores, & crudior aqua; infantibus vero exhibent pulmenta spissa ex farina saltim crasse comminutâ; accedunt inferti tenellorum ori pro suctione nodi masticato pane secalino, acidiore repleti; potus frigidioris aquæ ac male tecti corpusculi expositio injuriis rigidi aëris; & facta ablactatione usus & frigidæ aquæ, & lactis diu in frigidissimo fonte à coagulatione præservati.

Sunt præterea & pueris & adultis herniæ admodum frequentes. Illis quidem ex duris matrum in ascensû descensûque montium laboribus, quibus fit, ut frequenter pueri nascantur herniosi; his vero ex labore magno, montiumque

ascensû perpetuo. Nulla hic ætas excipitur, cum & omnes sanguine acriore, ac cruditatibus ex pravo victû acidis abundent: (Quod & circa Rhachititem monendum erat) hinc flatulentiæ, alvi constipationes, tormina, ac intestinorum variæ torsiones, unde clamores infantum fortissimi, tendentes, dilatantesque ultra modum tenellos peritonæi processus.

Scorbutica pariter dispositio hic frequentissima est, quo allegatæ jam causæ plurium conferunt, frequentissimæ asperioris aëris mutationes, vicinia cingentium hæc loca montium, sylvarumque; unde jugiter ascendunt conspicui etiam post pluviam halitus densi, instar surgentium ex igne accenso fumorum; venti nunc frigidissimi, nunc mitiores, at humidiores; nunc glacialibus fœti particulis; ex tam variis spirantes plagis creberrimis vicissitudinibus nova semper aliaque miasmata huc convehentes; inque istas valles arctas quasi intrudentes. Aquæ fontanæ frigidæ suo contribuunt rigore immo & torrentium aquæ neque ad loturam, neque ad hortorum usum sunt aptæ, ob duritiem quam vocant, plantis inde rigidioribus factis; Corrigitur vero mora ac stagnando per aliquot dies; recens vero pratis est convenientissima, cum gramina à musco liberet. Habent enim à nive solutâ characterem quoque peculiarem, qui pratis fœcundandis fimi instar inservit, sive hanc à nitro fœcundationem sive aliunde malis derivare. Scorbuti vero hujus (neque enim eadem est semper ac ubique morbi funesti facies) hæc sunt symptomata: Lassitudo ingens, vertigo, Cephalalgia, frequentes parulides, cruentatio atque exulceratio gingivarum, sicca scabies, maculæ modo lividæ, modo rubræ, lancinantes artuum dolores in morbi cumprimis exordio. Etsi verò hi sint scorbuti symptoma dolores, peculiari tamen schematismo arthritis hic quoque endemia est & frequentissima, sine tumore crebrò, sine dolore, ac calore præternaturali. Minus enim frequens est arthritis vaga, quam vocant hic arthritidem Erysipelati junctam. Obnoxii vero his malis sensiles admodum

eve-

evadunt, omnisque frigoris impatientes, utpote à quo graviſſime afficiuntur, nec ferunt ullum aeris rigorem. Factum hinc eſt, ut omnes queis cum conflictantur morbos, quibusque crebro ſuccumbunt, chronicos derivent à refrigeratione, unicâ quam accuſant cauſa. Fœda quoque ſcabies ad ipſam quandoque lepram inclinans hic rara non eſt in gente dura, aſpera, ac remediis nullis aſſueta, potuique largiori ſpiritus vini dedita ultra modum. Nec tamen hæc obſtant, quo minus hic ſenes 80. imo 90. annorum ſæpius fere quam alibi in regionibus mitioribus occurrant. Sita enim eſt Hornberga oppidum in valle ſeptem fere horarum longitudine protenſa, inde à Triberga oppido, ad Hauſach oppidum, ubi alluens Hornbergam amnis (Guttach) in fluvium Kinzach, & cum hoc dein Rheno illabitur. (eſt enim vicino Cœnobio San-Georgiano Villa, cujus tecti ſtillicidia ex uno latere in in Danubium, ex altero in Rhenum defluunt) Diverſiſſima eſt tractuum hujus vallis temperies; in principio ejus Tribergæ omnia aſpera, ac frigore horrida; Vix alicubi ſecale provenit, avenam potiſſimum ſerunt, ſub nive maturitatis tempore ſæpe protrahendam; Vix alii hic fructus, quam ceraſa conſpiciuntur; Aratro hîc locus non eſt, ſed ligoni, duroque brachiorum labori; neque currus hic inveniunt ſpatium; exuruntur radices lignorum in agris pro fœcundatione; Nudis iſta pedibus peragunt Solis æſtu frigorisque rigore duratis ac quaſi aduſtis. Calcei, ſi iis utantur, ſemilignei ſunt, ex ſtramine pilei, veſtes ex textis craſſiori filo tinctisque nigredine linteis. Mitior eſt Hornbergæ conditio. (diſtantis à Triberga integro miliari) Etiam hic ſecale (vix frumenta alia) piſa aliaque legumina parcè, omnia tamen olera lætè creſcunt. Terra eſt arenoſa, duriſſimi ſilices, fontes in ſummis montibus frigidiſſimi ac cryſtallini ſcaturiunt; nec deſunt medicatæ aquæ tum pro balneo odore ſulphur redolentes, turbidæ, nec unquam claræ. Contra Rhevmatiſmos ac ſcabiem adhibent aquam illam; & contra oculorum morbos, qui inflamma-

mationem junctam non habent. Tum & acidulæ dictæ Mosenbergenses, in quibus & reagentia Martem produnt, & sapor. Nec desunt cultæ quondam his locis mineræ. Sunt & silices nigris candidisque maculis venulisque capillaribus rubentibus distincti, in quibus aurum latere suspicantur. Truttæ hic, apuæ & Salmones ac lutræ capiuntur. Feræ sunt Capreæ, & latentes in montium fissuris Meles. Oves hic pereunt ob pinguia pascua & nimis humida, nec loturam quidem aquæ sine pernicie ferunt; hinc numerosas substituunt capras. Ex avibus Tetrax, Gallinago, coturnix, nulla alauda, rara ciconia, rarus passer. Abies inter vegetabilia ac pinus abundat, non deest acer; Rubus uterque, Myrtillus; Abundat & juglans arbor; inter herbas digitalis, Genistæ tres species, polypodium, salvia flavo flore arthritidi balnei modo opposita; Meum, Trifolium fibrinum, Bistorta, Arum. Bellis minor, Papaver erraticum, & chamomilla sponte hîc non nascuntur. De victû illud adhuc monendum, incolas alia carne vix vesci, quam suillâ pinguiore, ac fumo lente indurata, acriterque salita. Lardum Westphalico haud cedit. Hæc in medio vallis; in fine, Hausaci, omnia frumenta, legumina, fructusque, olera, imo & vina lætè proveniunt; adeo diversis brevi in spatio gradibus sua bona dispensat ditata tot miris donisque à Creatore Natura.

OBSERVATIO CLIV.

DN. D. ELIÆ CAMERARII.

De variolis verrucosis.

VIx ullibi magis τὸ θεῖον elucet, quam in variolis; malum hoc universale propemodum tam inæquali sorte affligit mortales, ut frequenter quidem benigno placidoque decursu nullam ferè ægris Medicisque creet molestiam; ex adverso verò frequentius eâ se exerat subdolum malum maligni-

lignitate ac infido succesſa, ut quæ blandiri in principio videbatur morbi mitior viſa ſpecies, mox apertè extrema minetur omnia, tendatque in deſtructionem Machinæ tam fœda ſcabie undique obſeſſæ. Fatendum tamen eſt ſæpe in principio triſtiſſimam eſſe morbi increſcentis faciem, diris ſe convulſionibus exſerentem, æſtu ardentiſſimo, pectoris oppreſſione, dentium ſtridore, enormi vomitu, & quibus non malis comitatam; quæ tamen prævalente tandem puſtulasque protrudente natura promptiſſime miteſcunt, locumque faciunt blandiori atque æquabili decurrentis decenter morbi ad ἀκμὴν ſuam ipſamque declinationem usque ſchematiſmo.

Quantacunque igitur curâ tot inſignes medendi arte Viri deſcribant hanc infeſtam generi humano luem, nunquam tamen non novâ ſe offerent in morbo fere proteiformi ſchemata, novæ circumſtantiæ, ac ſymptomatum combinationes, quas ſubinde omnes attendere, publicoque impertire commodo utilitate haud poterit deſtitui. Locus hic non eſt excurrendi in varietatem inenarrabilem puſtularum, obviarumque circa earum geneſin, incrementa, omnemque decurſum circumſtantiarum, non attingemus jam cœruleſcentes, petechiis interſtinctas, nigricantes, triſtique aſpectu horridas puſtulas; Nec erit ſermo nobis de earum exiccatione æquivoca, ſub quâ vidimus variolas jam ſicceſcentes adeo plene eſſe retrogreſſas, ut earum nec vola, nec veſtigium ſupereſſet. Unicam tantum eamque ſingularem memorabimus ſicceſcendi rationem, quæ obſervata eſt nuper in pluribus malignis variolis decumbentibus pueris, quæque inſcriptum obſervationi huic titulum nobis ſuggeſſit. Via quidem ordinaria puſtularum ad maturitatem accedentium ea eſt, ut rumpantur, effundantque contentam ſaniem lectulos atque induſia tingentem frequentibus maculis, obſervavimus autem non infrequenter effuſionem illam ſaniei non ſucceſſiſſe conſueta abundantia, non ſolum ob ſaniem in gelatinam quaſi concreſcentem, ſed & ob puſtulas ad ſiccitatem puriorem promte tendentes.

dentes. Recordor inter exempla alia puellæ, quæ nunc in matrimonio degit, in prima autem juventute eodem in hypocausto cum fratribus fœdo decubuit morbo, quibus omnibus sub declinatione sanie perfusis, sola hæc ne unâ quidem indusium lectumve maculâ fœdavit, sed pustulæ ejus omnes non siccatæ solùm sunt, abieruntve consueta ratione in crustas escharasque, sed obduruerunt brevi tempore in verrucas (harum enim faciem exactissimè referebant) decidentes longè tardius quam quidem aliàs crustulæ solent pustularum ordinariè. Sunt vero heic nobis memoranda alia ac recentiora exempla terminationis variolarum ac pustularum pravæ, quæ non paucis funesta fuit pueris. Et hi quidem insolitam offerebant pustularum adolescentium faciem, neque enim illæ sanie sua turgentes in cutis superficie hemisphæria formabant, sed cum pervenisse ad ἀκμὴν videbantur, siccescendo aliam sortiebantur figuram, comparebantque passim frequentes, in dorso cumprimis pustulæ tales anomalæ ac degeneres, quæ nec videbantur hærere in cutis superficie, nec sanie sua turgidæ, sed profundius mergi conspiciebantur in carnes, imo quasi ad ossa penetrantes, in intimis radicatæ, ambiens eas cutis abscedebat ab illarum continuitate, formabatque cum substrata carne recedendo à pustulis foveolam, seu fossulam, in cujus medio pustula insulam formabat, vel potius cylindrum verrucosum è profundis emergentem, carnis subrubentis colore tinctum pallidiusculo.

Quid vero de funestis illis variolarum verrucas ex asse profunde radicatas referentium cylindrulis dicemus, cur tam pravi illos moris esse deprehendimus? breviter dicam: videtur status ille corruptionis singularis species esse necroseos aut sphacelationis, quæ sane non eadem ubique est. Novimus quidem horrendam variolis in sphacelationem euntibus obeuntium faciem, atrum illum cruentumque, post laceratas pustulas cutimque, aspectum, fauces nigerrimas, horrendam corpusculi defigurationem; hic vero illa non æque conspici-

tur;

tur. Alius generis est hæc necrosis, hæc facit à pustulis abscedere cutim carnesque, hæc foveas illas format ambientes cylindrulos corruptæ carnis, ac pustulæ verrucescentis atque exsuccæ; uti alias in pestilenti petechiâ observant Medici pyramides sphacelosas, à petechia tanquam apice ejus profunde ac latius per carnes descendentes atras. Hic alia species putredinis sphacelosæ obtinet, quæ à summe inflammata gangræna haud oritur, sed à putrida mortificatione isti æquivalente; uti aliâs chronicè vidimus factum in tibiis plurium hydropicorum lenta putredine abscedentibus emortuæ carnis fœdioribus frustulis, eâ solum differentiâ, quod hi variolosi cylindruli, cingentesque eos fossulæ, acutissimæ putredinis tristissimi testes, vitam miserrimam cum morte subitanea celerius commutarint.

(*Tubinga Augustam Vind. An. 1728. d. 2. Jul. missæ.*)

OBSERVATIO CLV.
DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

Arsenico enecati Sectio.

VIri 40. annorum corpus ex sepulchro effossum, ubi dies 14. jacuerat, die 23. Januarii, ejusque maxime gelidi, cultro meo anatomico expositum sequentia consideranda docuit. 1.) Externè apparebat illud plerunque rubrum (inprimis in facie & versus aures) aliquibus saltim in locis hinc inde notatis pallidis interstitiis; in femoribus, præsertim eorum sinistro quinque gangrænodes, partim parallelæ, partim radiatæ digitum minimum latæ & forte ita longæ striæ incurrebant in oculos; ubi ad hæc ab adstantibus significabatur, ante sepulturam oris quidem labia rubra, reliquam faciem vero pallidam fuisse; ex ore effluebant nonnullæ guttu-

læ liquoris loturæ carnium inſtar. 2.) Abdomen non tumidum, ſed undique ſuggillatum, inprimis in ſiniſtra parte, inde à papilla, in dextra latam manum infra papillam, pariter & ibi verſus latus magis, quam hic. 3.) Integumenta abdominis ſingula intime ſuggillata. 4.) Omentum pariter à dextra parte laceratum & corruptum, ita ut inteſtina hujus lateris à pyloro usque ad inguen, & lateraliter usque ad umbilicum plane nuda ſe conſpectui darent; quo magis vero ſiniſtrorſum tendebat, eo magis integrum, minorisque & tandem nullius corruptionis obnoxium. 5.) Inteſtina tenuia, inprimis ileon, inflata, & dextrorſum putrilaginoſa; craſſa vacua flaccidaque. 6.) Ventriculus, œſophagum verſus tumorem aliquem, ad ovi gallinæ magnitudinem, tum exterius tum interius præ ſe ferebat, colore vero ab ambiente parte notabiliter non diverſum, neque quicquam continentem atque ita ventoſum. 7.) Duos digitos latos infra pylorum videbatur macula bruno-flava, pollicis articuli magnitudinem æquans, in intimam tunicam penetrans, ubi tamen color magis ad obſcurum vergebat. 8.) In tunica villoſa duæ fere tangentes invicem; verſus pylorum ſe extendentes maculæ rubicundæ, quarum una tres digitos transverſales lata, altera paulo minor erat. 9.) In eadem tunica duo angulosa, magnitudinem eines Dreyers referentia foramina, atque ita tunicam nerveam nudam præſentantia, alterum verſus pylorum, alterum verſus œſophagum, quorum labia recentia non purulenta. 10.) Reperiebantur in ventriculo diſperſa aliquot granula arenæ inſtar, circumſpecte eluenda, quorum duo majora ſeminis raparum molem æquabant, ceterum alba, dura, anguloſa, & inter dentes ſtridentia. Eorum paucitas, quæ vix ad grani dimidium accedebat, non permittebat multa experimenta, quæ in cauſſa veneni inſtituenda alias veniunt, interim materiam iſtam plane inſipidam, vitream, in lamina argenti ſuper carbones ignitos poſitam fumum album reddentem penitusque volatilem comperi.

ri. 11.) In intestinis tenuioribus, inprimis in duodeno, ut & quadantenus in ventriculo continebantur liquoris fusci fibrosique unciæ forte quatuor. 12.) Crassa vacua ac flaccida. 13.) Hepar, splen, & renes sana. 14.) Cor sanum & ingens, cujus dexter ventriculus vacuus, sinister spisso cruore oppletus. 15.) Pulmones integri; nisi quod vasa ipsorum sanguifera cruore infarcta atque ita substantiam suam parenchymaticam plumbei nigrique coloris suspectam reddiderint.

Hisce de phænomenis ut adderem, quid sentirem, renunciavi 1.) sectionem dictam, utut in corpore jam ab aliquot diebus sepulto factam, non obscuram, quin cadaver, idque sine dubio à tempestate gelida ita conservatum & comparatum fuisse, ut quæ hic adnotavi omnia, plenam fidem mereri dejerare queam. 2.) Neque corruptionem integumentorum abdominis & omenti ab aliquo saltim nempe dextro latere existentem, neque maculas rubras inflammationem redolentes ventriculi, multo minus foramina tunicæ villosæ ejusdem in corpore ut mortuo, sed in eodem ut adhuc vivo eoque athletice sano obortam. 3.) Caussam putredinis gangrænosæ, inflammationem. 4.) Inflammationis hujus ut & illius in ventriculo, foraminum in eodem, tumoris ventosi in eodem & liquoris qua fibrosi ibidem reperti proximam caussam fuisse materiam assumtam valde erodentem, drasticam, & vehementissimos cientem vomitus. 5.) Hanc constitisse in granulis descriptis in ventriculo detectis, brevi 6.) in assumto vero eoque crystallino, grosse contuso *Arsenico*, (quia præter Arsenicum in rerum natura nihil datur aliud, quod a) album, b) durum, c) insipidum & d) volatile & in fumum album abiens fiet) ac tandem 7.) hanc materiam assumtam, quam plurimam per vomitum sine dubio ejecerat vivus, caussam veram & absolutam istius mortis fuisse; id quod & maxime tragica brevissimi morbi prægressi historia, quæ nihil nisi vehementissimas cardialgias, ardores, cruciatus, lipothymias, vomitus refert, satis abunde testificari potest.

OBSERVATIO CLVI.

DN. D. JOH. FRIDFRICI HENCKELII.

Examen terræ margæ arſenicalis, Schaben-Gifft *cum cautela circa uſum internum terrarum margarum.*

DEmortui, antea memorati, uxori cauſſam ob præſumtum veneficium dum facerent Themidos myſtæ, inquirendo intra parietes domus ejus, inveniebatur pulvis quidam albo-griſeus, qui cum ab eadem interrogata ipſa dicebatur eſſe venenoſus, à marito demortuo ad muſcas aliaque inſecta *blattas* inprimis, die Schaben (quæ vulgo, ſed inepte Schwaben dicuntur) enecanda emtus, ad me mittebatur, ut inquirerem in illius naturam, mixtionem & effectus, inprimis, utrum illius farinæ cum iſta materia eſſet, quam in diſſecti ventriculo inventam antea ſignificavi. Inquiſivi miſſum pulverem per ſenſus, per aquas, per ignes; inveni *Arſenicum*, ſed non criſtallinum, non præparatum, neque purum, potius *terram* aliquam *margam* ſeu argillaceam, arſenicalibus particulis ſubtiliſſimis imbutam atque ita forma & mole plane aliam atque illa in corpore defuncti erat. Quamvis igitur fruſtrarentur judices expectatione obtinendi proximiora violentæ talis & ſuſpectæ mortis indicia, neque pulveris quæſiti anatomia ad forum ſuum quicquam conferret, meretur tamen ea hic repeti, partim ut corporis mixti alicujus hiſtoria & natura innoteſcat, partim ut commoneſiant phyſici medici quam neceſſe ſit, ut in ejusmodi caſibus probe circumſpiciant, circumſpecte diſtinguant, & diſtincte pronuntient. Facile quis, qui ſuperficiaria ſua habet negotia, dixiſſet, pulverem hunc cum iſto in ventriculo reperto unum eundemque fuiſſe, ob titulum *Arſenici* communem atque eam

facti

facti speciosam circumstantiam, quod uno eodemque tempore, talis materia, quæ non adeo familiaris aut domestica est, nempe arsenicalis, in domo defuncti detecta sit, qualis in ventre ejusdem comparuit. Sed quanta hic intercedat differentia, ex sequentibus patescet. 1.) *Terra* ista coloris grisei & subcœrulei, mollis, talcea, limosa, atque ita *marga* (eine grau-blaulichte fette Mergel-Erde) 2.) austera & subadstringens, non tamen apparenter vitriolica, 3.) intertexta plurimis lapidosis minimis fragmentis veluti arenulis, 4.) subtilissimæ moleculæ, lotura separatæ, quæ proprie ad terram margam pertinent, argenti laminam candentem notant labe nigricante, spirantes odore in officinis fusoriis dicto: Hütten-Rauch 5.) lapidosa fragmenta prunis imposita ad modum lapidis *Spati* crepitando dissiliunt. 6.) Tota terræ congeries elutriata confert aquæ saporem vitriolaceum, 7.) in cucurbitula separatoria super igne candefaciente ex ea exhalant fumi albi, qui in supremis in forma pulverulenta alba, inferius in cristallina vitro se adfigunt. En arsenicum.

Inter hæc experimenta ego comperiens, pulverem illum quo montani domesticum & regioni suæ familiare insectorum genus, Schwaben, enecant, hinc Schwaben-Gifft appellatum, diligenter in relationis veritatem investigans tandem audivi ejusmodi terram margam offendi in venis fodinæ dictæ, das beschehrte Glück im Grunde, Dresdam versus sitæ, quam non solum vicini dictum in finem adhiberent, sed & metallicus quidam ibi alibique colligens in locis dissilis eodem sub titulo divenderet.

Exinde colligant quæso tum medici, tum medicæ artis temerarii usurpatores, quam periculosum sit, materias minerales inprimis crudas, sine exactissima propinare ægris circumspectione & examine, quamve materiæ medicæ cognitio, quam physica & quam mineralogia in arte medica necessaria haberi debeant. Taceam hic cinabarim nativam crudam, in granis sic dictam; ut ut purissimam visam, à peregrinis tamen

 & no-

& nocivis intus non ſemper immunem; argentum nativum capillare, noſtris in epilepſia pro ſpecifico habitum & ab arſenicali labe non purum neque provide ſatis ſeparatum: Terræ margæ, margæ ſaxatiles ſunt, quæ hic in cenſum vocari debent. Manet illis ſua laus, ſuo loco & pondere ſumtis, puris nempe, à perito medico examinatis, atque hinc ſigillatis. Abſorbent, ſedant, tonum reddunt. Manet etiam iis ſua fraus, inconſulto, promiſcue, vel nimium aſſumtis. Onerant ſtomachum, conſtipant viſcera, cohibent ſalutares fluxus. Quod ſi igitur jam tum, ubi puriſſimæ deprehenduntur illæ, cautione opus habent, quanto magis disquirendum eſt, utrum in iis heterogenei imo deleterii quidpiam, veluti anguis in herba, deliteſcat. Atque hoc intuitu marga & marga maxime differunt. Hoc equidem concedo, eam, quæ in terræ ſuperficie, quæ in ſtratis ſoli, quæ in locis planis, quæ in lapicidinis, & marmoroſis & ſabuloſis, quæ in lapide geode, brevi, quæ extra venas metallicas reperitur, non ſolum reliquis anteferri, ſed & ab heterogeneitate nociva nunquam non immunem haberi poſſe. Sed, quæ ex venis, auf Ertz-Gängen, aut earum confinio eruuntur, certe profecto uſurpatorem ſecurum præſtare nequeunt, neque innocentiæ notam præ ſe ferunt; cujus rei allatum exemplum, quamvis non adeo obvium, ſatis pro cautelæ hujus neceſſitate argumentum eſt. Nam non in uſu ſolum ſunt ejusmodi venoſæ terræ apud metallicolas, reliquosque montanos, ſed etiam hinc inde divenduntur, quaſi vero mala vel pyra iſtæ ſunt, quæ ex charactere externo de natura ſua & genere indubie teſtificari queant, cum tamen ex fortuito aliunde facto confluxu, qualis in deſcripta noſtra à minerarum arſenicalium deſtructione & per aquas facta eluitione præſumendus, longe aliam, atque quam præ ſe ferunt, ſubire poſſint ſubeantque.

(Freiberga Auguſtam Vind. d. 20. Sept. A. 1728. miſſa.)

OBSER-

OBSERVATIO CLVII.

DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De Ischuria ex Plethora.

JUvenis Studiosus, an. XXI. plethoricus, robustus laute vivens, postquam cerevisiam, quam Breyhan vulgo vocant, copiosam aliquando hauserat, sequenti statim nocte in urinæ excretionem fere abolitam incidit, nam per 5. dies ne guttulam quidem urinæ reddere potuit, per quod temporis intervallum, & à Medico præscripta diuretica calidiora, Essent. balsf. peruviani & Tincturam Tartari compos. & acrem, & ab amico quodam commendatam Tincturam contra calculum Rothianam, sic dictam, assumsit; quæ vero non modo non ischuriam auferebant, sed etiam enormes vixque tolerabiles capitis dolores, anxietates, inquietudines, phlogoses, oculorum rubores, sitim molestissimam &c. inferebant. Ego vocatus, habitum ægroti vere athleticum plethoricum conspiciens, venas maxime turgidas & circa tempora arterias pulsantes, pulsumque qualis in summe plethoricis esse solet simulque durum deprehendens, aliasque circumstantias debite observans, statim relictis aliis omnibus venam secandam ordinabam, ex quo vix horæ spatio elapso æger largam sat urinæ partem reddidit, & hucusque ab hoc malo liber mansit.

OBSERVATIO CLVIII.

DN. D. CHRIST. MICH. ADOLPHI.

Arthritis maxillæ inferioris.

VIr juvenis militaris, XXVI. annorum, sanguineo-melancholicæ constitutionis, robustus alias ac vegetus, ast scorbuticus, laute vivens, ex mercurialibus remediis sinistre (ut

(ut hariolari poteram) adhibitis, incidit in arthritidem maxillæ inferioris, per novem jam menses durantem, tam assumtionem alimentorum quam masticationem impedientem, contra quod molestissimum malum multis domi remediis usus est, quibus nihil proficientibus, thermas Carolinas adiit, quas tam externe quam interne adhibuit, ex quarum usu quidem malum ex parte per aliquod tempus sopitum est, mansit tamen, ac subinde augmentum cepit, à quo demum continuatio remediorum, viperinorum præsertim, usu liberatus est.

OBSERVATIO CLIX.

DN. D. CHRIST. MICH. ADOLPHI.

Cardialgia, venæ sectione curata.

FOemina 38. annorum, sanguineo-phlegmatica, tenera, plethorica, sterili in matrimonio vivens, cui quandoque menses per 2. huc usque annos parcius justo fluebant, sæpius post alimenta assumta, & præsertim ex vini saltem Rhenani uno alteroque haustu cardialgiam enormem ad animi usque deliquium ad 2. usque horas interdum durans, patiebatur. Cujus Medicus ordinarius per 2. jam annos varia adhibuit remedia, vomitoria, purgantia, laxantia, stomachica, aromatica, salina, oleosa, balsamica; ast sine omni levamine; siquidem indies malum potius augmentum cepit. His ergo nihil proficientibus, ad ultimum refugium thermas Carolinas ut multi cœco saltem impetu, nulla habita ratione assolent, eam ablegabat. Ad me, iter in thermas has parantem veniebat, consiliumque petebat, qui propius rem circumstantiasque considerans judicavi hanc ægrotam alia exposcere remedia, quare potius autor suasorque fui, ut iter ad thermas adhuc differret, & interea aliis uteretur remediis, suasique primum in pede venæ sectionem, juxtaque hanc iteratas pedum lotiones cum temperatis quibusdam pulveribus ex Marchionis,

nis, lapide manati, ☿ii, ⦶ depurato in ▽ tiliæ aut lil. convall. ſumendis, quibus remediis ſolis in 7. jam menſem ab hoc morbo libera manſit, thermisque relictis domi permanſit.

OBSERVATIO CLX.

DN. D. CHRIST. MICH. ADOLPHI.

Linguæ Paralyſis à Vermibus.

ADoleſcens ſedecim annorum, ſanguineo-phlegmaticus ac tenerioris corporis conſtitutionis, lautis epulis adſuetus, ac ſaccharata dulciaque alia amans, à pueritia Vermibus inteſtinorum incolis vexatus per annum vero hucusque, ſingulis noviluniis & horis matutinis, ex vermium tormentis indies auctis paralyſin linguæ expertus eſt; quæ quidem adhibitis convenientibus remediis per aliquot dies aufertur, ſed ſemper ſtatis temporibus recurrit; ex remediis anthelminticis debito etiam regimine & methodo adhibitis lumbrici quandoque lati quidam ejecti ſunt, ſed hucusque adhuc ſingulis menſibus ex torminibus ventris dicta linguæ paralyſis infligitur, nec ullis remediis præcaveri ea poteſt.

OBSERVATIO CLXI.

DN. D. CHRIST. MICH. ADOLPHI.

De menſium per inconſueta loca effluxu.

FOemina 38. annorum ſanguineo-phlegmatici temperamenti, plethorica & facie florida conſpicua, ſanitateque bona alias prædita, cui à partu, ab aëre forte frigidiore admiſſo, lochia ſuppreſſa fuere, ſucceſſu temporis fit languida, pallida, fluxus conſuetus menſtruus per ſex menſium ſpatium ſubſiſtit, ex quo ſtato tempore jam quater hæc ſolennis excretio per loca plane inconſueta, nempe per aures, umbili-

eum, pollicem pedis ſiniſtrum ſe prodit, neque per Venæ ſectiones etiam repetitas in pede per emmenagoga debita pediluvia ſuffumigia &c. in ordinem hucusque redigi potuit.

OBSERVATIO CLXII.
DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

Animi deliquium, à ſoluta ligatura poſt phlebotomiam.

Foemina 26. annorum, ſucci plena & tenera, tempore vernali, præſervationis (ut ajunt) gratia, venæ ſectionem admiſit, quam etiam optime tulit; verum dum veſperi chirurgus in pede, in quo venæ ſectio erat inſtituta, ligaturam paulo forte fortiorem ſolvit, fœmina lipothymia ob ſubito fortaſſis recurrentem ſanguinem, per ſemihoram durante, correpta eſt.

(*Lipſia Auguſtam Vind. d. 15. Oct. An. 1728. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXIII.
DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

Scabies moleſtiſſima, Podagram excipiens, eamque ſolvens.

VIr Prænobilis & Generoſus à N. N. ferè ſeptuagenarius, temperamenti cholerico-ſcorbutici, graviſſimis Officiis tam Publicis quam Privatis conſpicuus, & ſolertiſſimus, optimæ aliàs conſtitutionis, per vitæ ſuæ tempus raró Valetudinarius, circa ſexageſimum annum Podagræ inſultum primum fuit expertus, quo vero per medicamenta adæquata intra menſis ſpatium plenariè fuit liberatus, nullo relicto pedum tumore, ſtupore, vel alio incommodo; ſicque liberè per aliquot

quot annis & pancraticè vixit; acidulis Egranis præservationis ergo usus, quoniam ejus natura in principio omnia medicamenta penitus abhorrebat. Sicuti vero hic affectus rarissimè funditus extirpatur, sic etiam in nostro Generosissimo Domino subsequentibus annis recruduit, & quasi in consuetudinem abiit, præprimis neglectâ diætâ, vel bile motâ; unde etiam est factum, ut propter sæpius recurrentes paroxysmos sensibiliores, stupor aliqualis pedum, rigorque supervenerit, qui tamen per thermarum usum, & spirituosorum applicationem iterum evanuit, ut Dominus Patiens more Arthriticorum in publicum prodire valuerit. Præterito Anno 1712. mense Martii, circa Festum Paschatos, iterum corripitur diro hoc malo, magnâ cum vehementiâ; ordinabantur à Medico selectiora medicamenta temperantia, antispasmodica, nitrata, balsamica leniora, gelatinosa, cum moderatis laxantibus, ex quorum assiduâ & diligentiori assumtione exoptatum effectum persentiscebat, ex minimâ vero alteratione, & regurgitatione bilis ad sanguinem, Recidiva iterum aderat, quæ illius vires adeo exhausit, ut Patiens per totam ferè æstatem hypocaustum tenere coactus fuerit. Circa mensem Septembris, noctu insigni horripilatione per totum corpus affligitur, subsequente calore enormi. Medicus accersitus, & pulsum febrilem deprehendens, antifebrilia & nitrata ipsi ordinavit, secum postea reputans, num forsan αὐτοκρατία naturæ aliqualem catastrophen laudabilem sit formatura in hoc subjecto? quam opinionem etiam non fefellit eventus. Febrili enim paroxysmo sopito, insequentibus diebus pustulæ per totius corporis ambitum sese monstrarunt, & Scabiem siccam efformarunt. Hic novus affectus, legitimè licet tractatus à Peritissimis dominis Medicis, tam Inquilinis, quam Exteris, simul in consilium vocatis, multum temporis requirebat ad expugnandum, ob ætatem præprimis provectiorem Illustr. Dn. Patientis, juxta *Celsi* effatum Lib. I. pag. m. 43. *Longis morbis Senectus patet.* In tanta enim dyscrasia sanguinis,

nis, ubi laudabilis natura universalem quasi despumationem intendit, eadem non turbari, minus cogi, sed duci debet.

Ideo indicationes curativæ eò collineabant, ut latex serosus, lixiviosus, acris corrigatur, temperetur, diluatur, blandè educatur, tonus roboretur, & pro rerum circumstantia, symptomata mitigentur, febrisque lenta, interdum imminens, arceatur, id quod etiam cessit feliciter, per antiscorbutica ex herbis & radicibus, per decocta lignorum, ⊕ta, balsamica, gelatinosa, analeptica, balnea dulcia detersiva, tonica & leniora laxantia. Saltem erat maximè necessarium hoc in affectu, Generoso Domino Patienti Patientiam commendare & injungere; per dies enim noctesque insignis pruritus eum defatigabat, somnum interrumpebat, imo planè impediebat, & vires per sudores quasi colliquativos deficere incipiebant. DEus tamen Ter Optimus maximus medicamentis præscriptis adeò benedixit, ut tandem æger ab hoc pertinaci malo plenariè reconvaluerit. Appetitus enim jam iterum viget, somnus est tranquillus, pustulæ evanuêrunt, cutis fit glabra, vires restituuntur, verbo: per Dei gratiam est restitutus; Cui sit Laus & Gloria.

OBSERVATIO CLXIV.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

De Abusu acidularum Deinacensium, lethali.

ABusus non tollit usum! Firmo stat talo hæc sententia, non firmiter vero observatur apud ægrotantes. Alii enim indulgent nimium genio suo depravato, & præscriptam diætam negligunt; alii cupiditate flagrant justo majori sanitatem recuperandi, quam se assequi posse putant per largiorem aquarum ingurgitationem, & per diuturniorem ther-

thermarum insessum, sicque curas præcociores (vulgo **Post-Curen**) suo damno affectare assolent. Hujuscemodi hominibus deesse nolui, sequentem casum notum faciendo, ut ex aliorum damno cautius mercari discant.

Vir quinquaginta, & quod excedit annorum, phlegmatici temperamenti, ἀμαυρώσει incipiente laborans, post variorum medicamentorum frustraneam adhibitionem, tandem etiam institutam salivationem, non absolutam tamen, sed abruptam ob certas circumstantias, suasu Medici sui Ordinarii, thermas Ferinas petiit, cum ordinatione potus etiam acidularum Deinacensium; satis erat instructus de curæ & diætæ institutione. Primis in diebus res feliciter cessit Domino Patienti, & effectum exoptatum ipse est expertus tam ex potu, quam thermarum insessu moderato. Modum vero cum excederet, &, Medico inconsulto, majorem acidularum quantitatem assumeret, Balneique insessionem diuturniorem instituere, exitiosa evasit cura; loco enim Restitutionis, febrem lentam sibi contraxit, quæ non solummodo curam finire, Patriamque redire, verum brevi in tempore vitam cum morte illum permutare coëgit.

OBSERVATIO CLXV.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

Deglutitio annuli innocua.

NUmmos, aciculas, horumque similia deglutire, rem periculi esse plenam, ancipitisque eventus, vix quenquam latere potest. Hoc etiam Observationes hinc inde annotatæ confirmant, præsertim Ephemeridibus nostris à Clarissimis Viris, DD. *Adamo Christiano Thebesio*, de Floreno solido; vid. Cent. IV. Obs. CXXI. DD. *Chr. de Helvvich* de indemni novem aureorum deglutitione; vid. Cent. X. Observ. XXXV. DD. *Wedelio*, de thalero deglutito; vid. Cent. X. Ob-

ſerv. LXXXII. Horum veſtigia ſequi & mihi licitum erit, ſimilemque hiſtoriam recenſere. Nobilis Domina, cum propter manuum levationem, annulum minorem digitalem (vulgo Glied-Ringlein) reponeret, ſuisque poſtmodum negotiis domeſticis obeundis, illius non amplius recorderetur; filiolus dilectiſſimus ejus, quatuor annorum, clàm eundem abripuit, & inter ludendum cum ipſo, deglutiit, hancque rem, quaſi benè geſtam multo cum gaudio clariſſimæ ſuæ Matri narravit. Attoniti Parentes, id ferè impoſſibile eſſe credentes, annulum in loco nominato quærunt, nullibi vero eundem invenientes, fidem facere verbis infantuli cogebantur inviti. Maximè ergo ſolliciti de ſupervenientibus ſymptomatis, ſimul ac de vitâ infantis, illico Medici auxilium implorant, qui, poſt perceptam relationem, oleum amygdalarum dulcium præſcripſit, cum injunctione paſtus largioris, quibus auxiliis puer die inſequente annulum absque ullis cruciatibus per alvum reddidit.

OBSERVATIO CLXVI.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

De

Abortu ex neglecta pertinaci alvi obſtructione.

SEx Res nonnaturales, Medicis dictæ, innumeros & multivarios ſonticosque affectus poſſe progignere, teſtis eſt quotidiana experientia apud naturæ ſedulos Obſervatores, *Schenckium* ſc. *Riverium*, *Thom. Bartholinum &c.* Et præprimis ſequior ſexus illarum vim ferociamque experiri ſolet, vel circa menſtruorum tempora, vel ingravidationis, ut certè eò cautius ſibi proſpicere opus haberent, niſi vel ſibi, vel fœtui aliquid exitioſi contrahere velint. Verum hoc ſæpius negli-

negligitur, quid mirum, si postea varii effectus tragici exin producantur; sicuti etiam sequens casus, de alvi pertinaci obstructione, hoc attestari potest. Matrona, Mercatoris Uxor, triginta annorum, cholerico-plethorica, per tres menses gravida, quarto mense ob orgasmum sanguinis, hincque dependentia leviora incommoda, venam sibi secari jubet optimo cum successu, & remissione omnium symptomatum, uterumque usque in septimum mensem feliciter gessit; sequior alvus solummodo ipsi faciebat negotium, id vero flocci pendebat, illiusque obstructionem per octiduum reticebat, maximo cum suo damno, vitæ periculo, prolisque jactura. Contingebat enim derepente, ut dolores colici flatulenti vehementissimi, imo convulsivi ipsam affligerent; accurrens Obstetrix varia quidem remedia domestica ipsi applicuit, sed omnia absque levamine; ad Medicum tandem confugiunt in hâc rerum augustiâ consanguinei, qui earum circumstantias explorans, non aliud, quam funestum prognosticum formare potuit, interim clysmata emollientia præscripsit, cum medicamentis analepticis; verum ob incarceratos flatus, clysmata retinere non potuit, & per os ingesta, omnia vomitu reddidit, viribusque planè exhaustis, res ferè conclamata apparebat. Natura vero, & juventutis robur, quæ medicamentis confortantibus non nihil suffulciebatur, fœtum mortuum expulit, insequentibus postea multis alvi scybalis, & ritè profluentibus lochiis, ægra tandem feliciter evasit.

(Exhibitæ Augustæ d. 16. Decemb. An. 1728.)

OBSER-

OBSERVATIO CLXVII.

DN. D. JOHANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI.

De *Calculis Felleis.*

Perillustri

DN. D. LUCÆ SCHROECKIO.

Cæsar. N. C. Academiæ Præsidi Meritissimo.

JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS. S. P. D.

QUod munusculum istud meum Tibi gratissimum fuisse scribis, agnosco Tuam, Vir Amplissime, humanitatem, cum illa etiam ex meis scriptis, quæ non à me quidem, sed ab Amicis publica luce non indigna credita sunt, minime contemnis, sed qua soles benignitate excipis, eoque mihi animos addis ad nonnulla augenda, atque illustranda, quæ in duabus illis *Epistolis Anatomicis* edita fuerunt, ad rem nostram potissimum naturalem, ac medicam pertinentia, velut & quæ in I. Epistola de calculis scripsi vesiculæ felleæ. Igitur ut præclarius intelligas, quanti referat id, quod monui, in experimentis circa ipsos capiundis non esse omittendum animadvertere, veteres sint, an recentes; accipe, quid semel iterum, tertio acciderit mihi: inde enim patebit, non modo inter veteres & recentes, sed vel inter recentes, ac recentissimos magnum intercedere discrimen posse.

Ante hos duos annos III. Kal. Decembris in hujus Urbis Nosocomio cadaver mulieris incidebamus egregii coloris, atque

atque habitus, quam sexagesimum ferme annum agentem thoracis inflammatio sustulerat. In fellea cysti, multo quam soleat, breviore, intra paucam flavamque bilem lapilli inerant, minimum, triginta supra trecentos: ex quibus septem & viginti majusculi, sic tamen, ut maximus sit infra ciceris magnitudinem: reliqui minores, atque adeo plerique minimi. Majorum color is est qui saponis vilioris, cæterorum, qui minus vilis, ut cum omnes ad subviridem inclinent colorem, eo magis ad atrum vergant, quo majores; eo magis ad pallidum, quo minores. Sed & quasi unguinosum quendam ceu confricari saponis lævorem, quantum in nullis aliis vidisse memini, ad hunc usque diem retinent: ac bini, terni, quaterni, plures, adhuc inter se leviter cohærentes spectantur. Quas ob res, aliasque, ipsorum peculiares, non ita miratus sum quod vel tunc, bile adhuc madentes, vel paucis post diebus, vel tribus jam interpositis mensibus, in aquam dejecti, continuo ad imum laberentur, neque inde sese attollerent. Mense tamen fere jam quarto animadverti, ex majusculis duos neque statim, & multo tardiore motu à summa ad infimam aquæ partem delapsos. Anno exinde interjecto, placuit quinque seligere, alios alia magnitudine, quos in aquam projicerem. Hi statim ad fundum universi corruerunt. Inde protracti, cum post horas admodum duodeviginti idem tentarem, tres quidem, duo videlicet majores, & minimus, confestim subsedere; sed ex reliquis duobus, qui mediocri erant magnitudine, alter in summo paulisper substitit, alter etiam paulo diutius, donec aqua digito commota, protinus ad imum descendit: hos postremos singulos singulæ deorsum comitatæ sunt bullulæ, quas eorum lateri adhærentes vidi ex qualibet magnitudine alios in aquam projicere, alios, nulla addita vi projectionis, leniter in summa aqua collocare. Ex his ne unus quidem inventus est qui descenderet; sed omnes tamdiu in eodem loco perstiterunt, quamdiu sicca fuit eorum suprema facies. Ubi vero digito depressos aqua semel ope-

operuerat, vel aquæ gutta aut desuper projecta, aut etiam sine projectione admota supremam faciem attigerat; extemplo ad imum decidebant. Ex illis autem quos in aquam dejeci, minimi omnes illico fundum petierunt; sed majorum quidam posteaquam aliquanto spatio descenderant, inde emissa bulla, cum hac ad summum recurrebant, mox vel ipsa evanescente, vel arcte semper cohærente, ad fundum ruebant. Tunc etiam, si aquam manu in gyrum agerem, ita ut omnes dimoverentur, ex majoribus unus potissimum cui paulo grandior bulla adhærebat, præ cæteris ascendere nitebatur, & tardissime omnium subsidebat. Quæ si non cuncta, certe aliqua ostendunt, esse inter veteres, ac recentes calculos non leve discrimen posse.

Id vero manifestius cognosces ex his, quæ protinus subjiciam. Nonnulli enim ex meis Discipulis superiore anno XII. Kal. Januarii virum dissecantes nequaquam ictericum, sed ob fractam cervicem femoris ante duos menses in idem Nosocomium delatum ibique ex superveniente catarrho mortuum, cum in vesicula ipsius fellea, crassioribus tunicis compacta calculos quatuor deprehendissent non ita parvos eosque prorsus nigricantes, nisi quod aliquot in locis, unde extima abscessisse quam tenuissima lamella videbatur medius inter viridem, & cœruleum, quem in aliis calculis vidisse non memini, apparebat color, cumque ad me domum postridie attulissent, integros duos, jam ruptos reliquos, ego vero illico in plenam aquæ pelvim jecissem; tunc quidem sine mora ad fundum omnes collapsi sunt. Verum mensibus inde vix atribus cum integri illi duo forte sub manum rediissent, eosque in aquam conjecissem; eodem illo vestigio temporis se in summum ambo restituerunt, ibidemque ad duodecimam horæ partem constiterunt, quo spatio bullulis emissis pluribus, tandem in imo subsederunt. Non est meæ fidei dissimulare, inde tum extractos horisque interjectis fere viginti in aquam iterum projectos, quamvis nihilo tardius se in

supre-

ſupremum locum retulerint, in hoc tamen longe breviore, immo quam breviſſimo tempore ſubſtitiſſe. Verum illud eſt attendendum, cum in hoc quoque experimento & priusquam fundum peterent, & dum peterent, bullas edidiſſent, mox de aqua protractos altas utrumque fiſſuras oſtendiſſe, ab altero etiam fragmentum abſceſſiſſe, ut, quantumvis ſine ullo efferveſcentiæ ſonitu, idem utrisque accidiſſe videretur quod lapidibus in calcem excoctis, cum in aquam dejiciuntur. Quod multo evidentius nuper fuit, cum eum videlicet qui unus reſtabat utcunque integer, ad alia, atque alia experimenta adhiberem. Nam cum ſummæ aquæ ita impoſuiſſem, ut facie qua fiſſus erat, aquam non attingeret, cumque ibi tamdiu perſtitiſſet, donec re ſatis ſpectata, totum ipſe digito mergerem, ac tum demum ſubſediſſet, mox autem extractus, & vel aquæ ad eundem modum impoſitus, vel poſtquam extrinſecus madorem abſterſeram, in illam projectus, ſemper ſine mora deſcendiſſet, bullasque ex ima ad ſummam aquam emergentes dediſſet; animadverti in omnibus jam faciebus fiſſuras tot novas, ut qui antea paulo etiam rudiorem attrectationem ferebat, jam jamque ad levem attactum in fragmina abiturus, ut reapſe mox abiit, videretur.

Sed poſtremo loco eam, Vir Clariſſime, obſervationem adſcribam, ex qua conſtet, quantum vel recentes calculi poſſint ab recentiſſimis differre. Anno eodem XVI. Kal. Aprilis in ſæpe memorato Noſocomio fœminam ſecabamus annos aliquot natam ſupra ſexageſimum. Ne hæc quidem regio erat infecta morbo, neque undecim totos quos ibi egerat, dies ulla alia fuerat de re conqueſta, niſi de gravi capitis ictu, ob quem ipſum ex hac vita migravit. Cum ea quæ in I. *Epiſtola Anatomica* cum aliis de rebus, tum præſertim de jecinore, ejusque veſicula tradita erant, nova (id quod ſæpe fecimus) demonſtratione confirmaremus; in eadem veſicula, bile ſemiplena quæ vivida quaſi auripigmenti flavedine quæcunque attingeret, inficiebat, lapillos invenimus decem alios aliis

minores, sed omnes sic satis magnos: qui ibi continuo in aquam projecti extemplo at fundum universi deciderunt, in eoque permanserunt. Neque id nobis permirum accidit, quippe qui singularem quendam in ipsis colorem spectabamus (qualem etiamnum ostendunt, ubi quis eorum superficiem madefaciat) subnigrum videlicet, aureis hic illic maculis, lineisque distinctum, atque ita eleganter splendidum, ut nihil magis quam res peculiari artificio pictas, & vernice, ut vocant, Sinarum perlitas repræsentarent. Illud potius mirum fuit, quod postridie ejus diei cum amplius non maderent, variumque illum (nisi quod minime splendent) referrent colorem, quam in tegumentis videmus librorum, quos ita uti apud Gallos solent, compingunt; in aquam conjecti, nonnulli quidem non secus ac pridie, in imo manserunt; plerique autem è vestigio ad summum redierunt: neque tantum ibi consistebant, verum etiam quantumvis manu ad imum compellerem, statim atque amovebam manum, supremum locum repetebant: eoque id magis mirum erat, quod inter eos, qui innatabant, & qui subsidebant, nullum seu coloris, seu figuræ animadverti discrimen poterat, sed ne magnitudinis quidem, cum in utrisque majores, minoresque promiscue conspicerentur. Proximis diebus idem experiri non vaçavit, donec post septimum jam diem cum forte periculum facerem; ne unum quidem inveni calculum, qui ad fundum usque descenderet, sed universi è medio ipso descensu, victa projectionis vi, sese in summum referebant: neque manu capi poterant ut sub aqua diutius essent, quam manus ipsa, qua sublata, illico in pristinum locum se agebant. Eadem anno post toto, eadem his ipsis diebus, quotiescunque experiri placuit, spectavi. Ex his calculis egredi bullas nunquam videram, cum diligentius, ac propius attendens in iis, quæ anno exacto, & quæ novissime cepi, experimentis, longe plurimas, sed visum ob parvitatem ferme effugientes bullulas animadverti, calculorum superficiei quæ sub aqua natabat

bat, adhærentes, interque has, nonnullas aliquanto majores. Quas tamen cum omnes absterſiſſem ſic ut nulla amplius bullula iterum mergendo conſpiceretur; non minus quam antea in ſumma aqua perſtabant calculi, neque minus prompte cum manu deprimerentur, eodem redibant. Viſum tunc eſt eos omnes ſeu flaveſcentes, ſeu plumbeos, ſeu fuſcos, ſeu demum nigros quos in I. *Epiſtola* commemoravimus, in aquam projicere. Et omnes quidem in ſummum, ut ſemper alias, ſeſe illico reſtituerunt, ibidemque permanſerunt; bullas tamen non omnes, ſed aliqui duntaxat, easque longe pauciſſimas, ſibi adhærentes oſtenderunt. Quæ etſi leviora videri poſſunt; tamen nolui prætermittere, ſi cuipiam forte pertinere exiſtimarentur vel ad cauſas cur alii aliis calculis facilius, aut difficilius innatent, vel ad ſingulorum ſtructuras, & augeſcendi rationes penitus indagandas.

Has veao ipſas ob cauſas quidquid in propoſitis generibus tribus ſive extrinſecus, ſive intrinſecus ſpectando, ſive ad flammam admovendo obſervavi, reticendum eſſe, non puto, præſertim cum in hoc quoque experimento nonnulla aliter in recentibus, aliter in antiquis obſervaverim. Igitur de tot calculis ne unus quidem formam habuit regularem, neque ad ovalem, aut ad ſphæricam acceſſit, ſed magna pars ad eam potius quam in *Epiſtola* indicavi; immo ex minimis illis primigeneris, quos fuiſſe plurimos, ſcripſi, plerique nihil magis referunt quam communis ſalis particulas, ſic, ut non longe abeſſe à cubi, nedum à cuboidis figura videantur. Ex iisdem minimis ut plures inter ſe leviter cohærentes vidi, ita quærere placuit nuper an forte arctius conjuncti majuſculos illos, quos una reperi, compoſuiſſent: quæ res ad calculorum generationem, aut certe incrementum intelligendum prodeſſet. Verum majuſculis diſſectis, nulla ejusmodi compoſitionis veſtigia deprehendi, quin immo hunc certum vidi ſtructuræ modum, ut ſub perpetuo, firmoque cortice obſcurioris coloris, ſtratum ſuccederet flavum, ipſum quoque perpetuum,

nisi quod ex innumeris constabat ac confertissimis lineolis centrum versus contendentibus, quod denique non durius aliquod corpusculum; sed nucleus non ita parvus occupabat ex concreta bile, quæ flavo quidem illo strato obscurior, non cortice, erat, cortice autem mollior. Quod si lapilli majusculi nihil nisi minimi fuissent inter se nexi; eam certe quam descripsi, structuram, hic illic interruptam vidissem faciebus, ac duro cortice minimorum: quem videlicet cum secarem, satis crassum pro mole inveni, & facile, ut siccatus humor oculi crystallinus solet, in lamellas circumjectas nucleo dissilientem; nucleum autem ipsum propter parvitatem non licuit, nisi subobscure, conspicere, neque flavum illud ex lineolis stratum agnoscere. Quæ tamen cum in aliis pluribus præclare viderim, ut in III. etiam *Adversariis* indicatum est, immo in iis quoque calculis quam luculentissime pateant quos supra tertio loco proposui; illis enim amplissimum id stratum est, oblongisque lineolis ab alba corticis lamina quæ extimæ subest, ad nucleum usque biliosum pertinet, qualem in iis *Adversariis* descripsi; profecto ob hanc aliasque præterea causas haud alienum est à veri similitudine easdem formas ne in minimis quidem calculis omnino deesse, præsertim cum in iis, quos inter majusculos, & minimos media magnitudine inveni, calculis biliosus jam sese nucleus satis ostendat, nonnullis hic illic quasi punctis distinctus splendentibus, quibus ut majusculi, & tertii generis calculi secus atque illi quos in *Adversariis* commemoravi, suos quisque nucleos habent distinctos. Huc illud addendum est, me in aliis omnibus; si nigros excipias; quos ad hanc diem secui, cystis felleæ calculis biliosum nucleum singulorum moli respondentem invenisse, minorem in parvis, in grandioribus magnum, in mediis inter utrosque mediocrem, eumque (id quod magnopere est attendendum) molliorem dum recentior esset, ac plane humidum.

Quæ

Quæ omnia vereor, ne quem forte illuc impellant, ut cogitet, per cortices, quantumvis impervii videantur, bilis fortaſſe particulis ſatis patentes, atque adeo per eadem illa, aut alia eorum non abſimilia, unde aër in bullas prodit, foramina novam usque & usque bilem, grandeſcente calculo, ſeſe immittere, ac corticem primum, deinde inter lineolas illas trajectum, has quoque deinceps, noviſſime in centrum corrivatam, nucleum etiam ipſum, eodem universa tempore, in dies augere: neque enim fortaſſe corticis firmitatem, ac duritiem, vel minimis in calculis deprehenſam, vetare, quominus hic novis ſeſe inſinuantibus, ipſumque augentibus bilis particulis dilatetur, nucleoque magis magisque augeſcenti locum det, quando puerorum quoque, &adoleſcentum oſſa non teneriora illo ſunt, & novis tamen intruſis oſſeis additamentis ita laminas diſtendunt ſuas, ut creſcenti in dies medullæ ampliorem intra ſe caveam parent. Hæc etſi mihi, nihil hic, niſi quæ vidi, affirmanti, neque refutare, neque probare neceſſe eſt; hoc tamen dicam, mea quidem ſcripta ipſa per ſe ſatis indicio eſſe, me ex quo primum in felleis calculis laminas laminis circumjectas adnotavi, in eam opinionem veniſſe, has extrinſecus aliam poſt aliam ſuperinduci ab adhærentibus in dies novis ex bile particulis nucleo videlicet primum, laminis deinceps ſingulis, ut quælibet à nucleo ad ſuperficiem ex ordine conſequuntur: quam augeſcendi rationem ea nimirum indicabat, quæ, ut tute ſcis, Vir doctiſſime, non abſimilis iis in calculis apparet, qui in aliis animantium cavis, ac nominatim ventriculo, veſicaque urinaria vel herbæ cauliculum, vel intruſam, relictamque acum, aut turundam, aut aliud ejusmodi lamellatim concrevere. Ab hac opinione etſi non ſum temere diſceſſurus; non tamen facile adduci poſſum, ut credam, cum inter hos ferme triginta annos tot calculos viderim è tot veſiculis felleis, ſive meis, ſive Amicorum manibus exemptos, fuiſſe omnes recens genitos, antiquum nullum: vel ſi alii antiqui fuerint, alii

alii novi, neque ſint perviæ humori lamellæ ſingulæ, nec recentibus incrementis dilatabiles; non quærendum eſſe, quæ cauſa igitur alia ſit, qua nucleus in novis pariter & antiquis calculis mollis, atque adeo humidum conſervetur, & quare iis nucleis, qui magni ſint, plures pro rata portione, craſſioresve laminæ accreſcant, iis vero pauciores, tenuioresve, qui parvi. Quod quidem an repetendum ex eo ſit, quod grandeſcentibus fortaſſe calculis lamellæ hic illic diffringantur (ut certe in majoribus non paucis, fere ad extimum usque corticem diffractas vidi, concreta bile, qualis in nucleo eſt, interſtitia fracturarum opplente) lamellæ autem diffractæ & bili vias ad augendum nucleum, & huic locum ad creſcendum amplificent, atque ea lamellarum infractio an bilis ipſius effectus ſit ſe ſe prius per lamellarum foraminula inſinuantis, & augere nucleum nitentis; non ante auſim conſtituere, quam occaſionem nactus ſim ſæpius, ut ſoleo, in multis aliis præterea calculis, & grandioribus, præſertim quam quos ad hoc tempus inciderim, has omnes, aliasque inſuper obſervationes iterandi, & quid conſtans, quid frequentius, quid rarius ſit, animadvertendi.

Nunc vero; ut illuc jam redeam unde videor divertiſſe; etſi paulo ante nigros calculos excepi, non ideo feci, quod non iisdem ferme rationibus hos creſcere exiſtimem, ſed quod nucleum contineant, qui habitu, & colore minus evidenter bilioſus eſſe videatur. Nam ut alios olim, ita hos etiam quatuor, de quibus ſupra dictum eſt, ſub nigro cortice nihil niſi materiam complecti video raram, ac friabilem, ipſoque cortice in his ſaltem quatuor nigriorem, nonnullisque hic illic punctis ſplendentibus diſtinctam. Quam una cum cortice recentem adhuc cum ad flammam appoſuiſſem, ardere quidem & levius crepitare, ſed neque ſcintillare, neque in guttas liquari, neque flammam ſervare, & quod pennæ combuſtæ olent; redolere, animadverti: quæ ad eundem modum omnia his quoque diebus comperi, niſi quod concepta

pta flamma, quam brevissimum tamen ad tempus, servabatur. Ex iis autem calculis quos primo loco descripsi, eadem hodieque & majores, & mediocres, & minimi observanda præbent, quæ unus ex majoribus olim præbuit, cum vix è vesicula extractus, à me flammæ esset admotus. Scilicet crebro cum crepitu scintillas edunt, resinosum haud ingratum odorem effundunt, toti in guttas colliquescunt; flammam tamen non concipiunt, neque in flamma ipsa ardent, quod in nullis aliis cystis felleæ calculis, non recentibus præsertim, ad hoc tempus observavi. Nam eorum quos tertio loco proposui, fragmentum memini postridie quam de vesicula educti fuerant, quamvis ad flammam crepitando scintillaret, in guttasque, ingrato cum odore, liquefieret; flammam tamen eo quidem tempore non concepisse. Verum cum hæc scriberem, quælibet illius ejusdem calculi fragmenta alia, cum reliqua omnia, de quibus modo dixi, ad eundem adhuc modum præstarent, non tantum flammam conceperunt, sed præclarissimam, si quod aliud unquam, & ad finem usque constantissimam aluerunt.

Quæ si omnia perpendere, & conferre inter se voluerimus, nimirum magis, magisque apparebit, usque adeo verum esse quod in I. *Epistola* scripsimus, sub consimili calculorum facie & colore dissimilem posse compositionem latere, ut hanc uni iidemque calculi spatio temporis interdum mutent. Sive enim aqueis particulis magna ex parte evanescentibus, sive alia id nova internaque causa ferente, nigri illi certe aliquanto, hi autem postremi longe magis idonei facti sunt tempore ad alendam flamam, ea demque ratione minus etiam facti sunt graves, ut nigri sic satis diu, hi postremi semper in ejus aquæ summo innataverint, cujus olim continuo ad fundum ruebant. Hoc autem posito, minus mirum est illos contra, quos primo loco descripsimus, vel longiore interjecto spatio in aquam projectos, non æque innatare potuisse, cum flammam alere nunquam potuerint: quam certe nondum

vidimus ab ullo calculo non servari, quem constanter in aqua natare videremus.

At cum sint tamen innumeræ compositiones ut morbosæ bilis, sic calculorum, qui ex ea gignuntur; nihil facile de hisce in universum pronunciabimus: sed quod ad hanc diem fecimus, id porro facere pergemus, ut quidquid in singulis observaverimus, hoc satis sit nobis cum aliis communicare, sperantes, fore ut sic ipsi, eorumque natura magis, magisque dignoscantur neque Medicis, qui hæc norint, accidat, ut ob unum, aut alterum, quod nonnunquam forte desit, nec diu fortasse defuturum, indicium, quantumvis maxime celebratum, biliosos aliquos, dejectos ex alvo calculos, temere negent esse biliosos; sed exteras, idcirco à nobis semper adjectas, attendant notas, & nimium præceps judicium cohibeant. Hanc si spem nostram haud prorsus inanem Tu, Vir sapientissime, esse censueris; tum hæc in medium proferre poteris: sin autem; apud Te premes neque minus me tamen amabis, & valebis.

Patavii Idibus Decembris CIↃ. IↃCC. XXVIII.

OBSERVATIO CLXVIII.

DN. D. ANDREÆ ELIÆ BüCHNERI.

De

Febre tertiana annua, post æquinoctium vernale periodice recurrente.

HAbent utique Febres *intermittentes*, ad unam fere omnes, hoc quasi peculiare, quod non solum durationis contumacia sæpius admodum pertinaces evadant, nullisque remediis cedentes quam diutissime protrahantur, ac interdum, stupendo vere modo per totam vitam ad ejus usque finem continuent; sed & à consuetis & ordinariis suis

ſuis typis facillimè aberrent, & in tantam non rarò dierum varietatem deveniant, ut ſtatuto ordine non aliquot horarum vel dierum intervalla tantum conſtituant, ſed integras quoque ſeptimanas, menſes, quin & annos interdum interponant. Taceo lubensque jam mitto febres *quintanas, ſextanas, ſeptenas, octanas, decumanas*, & alias hujus farinæ; transeant etiam febres *menſtruæ* & *lunares*, ſingulis modo menſibus, modo lunæ phaſibus recurrentes, de quibus multa, inprimis apud *Schenckium* & *Lemoſium* extant exempla. Brevibus tantum mentionem injicere lubet *febrium annuarum*, ſeu, poſt integri demum anni decurſum periodicè recurrentium, quas utpote rariores, jam dudum mirati ſunt curioſiſſimi Naturæ ſcrutatores, ob ſingulares plane ſub iisdem interdum occurrentes circumſtantias. Sic *Plinius Lib. VII. cap. 51.* & *Valerius Maximus Lib. I. cap. ult* de Antipatro Poëta referunt, quod omnibus annis in ipſo ſemper ſuo natali die, gravi correptus fuerit febre, quæ tandem etiam ipſum ſenio confectum ſuſtulit; cujus exempli fidem, ne forſitan ob raritatem in dubium vocetur, aliis ferè conſimilibus corroborarunt *Gentilis Comment. ſup. Avicennam*, qui febrem per plures annos una eademque die & hora ſemper periodicè recurrentem, & *Benivenius de abditis nonnull. ac mirand. morbor. & ſanation. cauſis cap 84.* qui febrem in ipſo die natali ſingulis annis repetentem in *Johanne Architecto* à ſe obſervatam fuiſſe teſtatur, quæ tandem, pariter ut *Antipatrum*, ſeneſcentem jugulavit. Plura ejusmodi exempla & obſervationes referunt *RHASIS tract. XVI. Thom. à VEGA Comment. ad Libr. II. de differ. febr. & AMATUS Luſit. Cent. VII. Curat. 75. in Schol.* quibus nunc unam alteramve hoc anno in Praxi inopinatò occurrentem adjicere placet.

Ineunte Vere præſentis anni 1728. conveniebat me Studioſus quidam Theologiæ, Conſilium petiturus de præcavenda febre tertiana intermittente, qua ſe abhinc octo prægreſſis annis, ſemper ſtatim poſt æquinoctium correptum & per 3.

vel 4. ad minimum hebdomadas afflictum fuisse asserebat. Erat ille Temperamenti Sanguineo-Cholerici, annorumque 26. & insimul referebat se prima vice anno *1720.* in hanc febrem incidisse, & quidem occasione febris cujusdam acutæ gravissimis capitis doloribus nariumque hæmorrhagia symptomatica, æstu fere intolerabili ac deliriis plane furibundis, stipatæ, quæ tandem, circa diem vigesimum primum, nescio an propria, an vero Medici nimium refrigerantia medicamenta præscribentis, culpa, in talem intermittentem legitimam transierat. Hæc tunc statim temporis per tres ferè integros menses duravit, spretisque omnibus ad eam debellandam adhibitis medicamentis, non nisi sub initium æstatis sponte iterum cessavit; subsequentibus vero tribus annis, stato quidem tempore æquinoctiali, eadem illa recurrebat, sed in paulo mitiori semper gradu, insimulque circa quartam utplurimum septimanam ordinario remittebat. Anno autem *1724.* cum eundem Jenæ Musarum sacra frequentantem, idem ille ingratus hospes, eodem tempore visitaret, licet per V.S. nem & purgationem præservatoriè institutas, aditum ipsi præcludere tentasset, molestiarum hactenus perpessarum & adhuc expectandarum pertæsus, omnia indiscretim, quæ ipsi undique suadebantur, adhibuit medicamenta, maximam partem ex Cortice Peruviano, aliaque heroica antifebrilia, indeque voti sui in tantum quidem compos redditus fuit, ut febris citius quam antehac recederet, ast nihil inde salutis vel levaminis ullius obtinuit, quin potius ex Scylla, ut ajunt, in Charybdim se ipsum petulanter præcipitavit. Febrem enim ita præmaturè suppressam statim excipiebant intensissimi & pertinacissimi dolores spastico-arthritici, per omnia membra & artus, inprimis autem pedes evagantes illosque miserrimè discruciantes, ac tandem gravi cum rigore usque adeo contrahentes, ut iis vix amplius insistere, nedum libere deambulare potuerit. Durabant illi pariter per tres quatuorve septimanas, hisque præterlapsis tandem post usum præ-

præstantissimorum à Magnif. b. m. *Wedelio* ipsi præscriptorum medicamentorum, iterum cessabant. Abhinc febris illa tertiana singulis annis consueto tempore revertebatur, suumque typum, quoniam patiens non amplius illam turbare audebat, exacte observabat, ita ut nunquam ante trium vel quatuor septimanarum decursum remitteret. Hoc anno, cum meum imploraret auxilium, jussi, ut præmisso leni purgante V. S. nem hactenus per biennium neglectam aliquot ante æquinoctium diebus repeteret; Diætæ accuratiori studeret, ab excessibus quibusvis, ipsi non adeo raris, abstineret, sicque an ingratus ille hospes rediturus sit nec ne, cum patientia expectaret. Ast, vix quatuor vel sex à V. Sne elapsi erant dies, cum salutaris illius moniti oblitus, levem quidem, hoc tempore tamen maximè sibi fatalem excessum ingurgitatione spiritus frumenti committeret, qui quidem, oborto vomitu spontaneo tempestivè iterum rejiciebatur, nihilo tamen minus altero statim die consuetus succedebat paroxysmus febrilis & per quinque ad minimum horas durabat, pro quo avertendo, quoniam primas vias jam jam sufficienter repurgatas esse novi, nihil nisi mixturam quandam stomachicam ex Ess. Absynth. compos. aromat. Wedel. amar. Halens. & Pimpin. alb. constantem, bis vel ter de die ad gtt. XLV. sumendam, unacum aliquot pulveribus digestivis, ordinavi, post quorum usum febris etiam statim substitit & nunquam per totum Ver rediit. Quid autem sequenti anno futurum sit, nunc expectandum erit.

Hac occasione recurrit mihi in mentem alius huic fere consimilis casus, quem uxor cujusdam hortulani circa initium hujus anni mihi de se ipsa retulit; quod nimirum cum adhuc extra conjugium vixisset, per 10. annos tempore semper vernali febrem quandam intermittentem, modo quotidianam, modo tertianam, modo quartanam, 3. 4. imo 5. septimanas interdum durantem, experta fuisset, & quidem tanto semper cum frigore, ut totum insimul lectum validissime concusserit,

rit, subsequente etiam dein æstu non minori ad quinque, sex & plurium interdum horarum spatium excurrente sitimque fere implacabilem insimul excitante. Assumsit equidem illa aliquando, molestiæ hujus pertæsa, Electuarium quoddam antifebrile, ab Empirico miris sibi laudibus deprædicatum, sed tam infelici cum successu, ut loco intermittentis, quæ statim quidem remiserat, in gravissimam sibique fere funestam ardentem febrem, quæ tandem in icterum transierat, inciderit, continuante interim nihilo minus statoque tempore semper recurrente priori illa febre. Tandem, matrimonio juncta primumque puerperium passa, sponte ab illa febre liberata, nec unquam ad hunc usque diem eandem, vel alium quendam morbum, experta fuit, præter ante recensitam febrem ardentem & Icterum, cum quibus intra 22. annos, quos in conjugio nunc transegit, aliquoties adhuc, incerto tamen tempore, conflictata fuit.

(Erfordia August. Vind. d. 2. Jan. A. 1720. missa.)

OBSERVATIO CLXIX.

DN. M. JOHANNIS GOTHOFREDI BüCHNERI.

De

Rarioribus quibusdam Plantis ac fructibus in Voigtlandia natis.

Citri rariores omnino nonnunquam inveniuntur fructus. Hinc in *Ephemerid. Nat. Cur. A. 1673. Obs. 54. & 141. mali Citri unius duo alia includentis* fit mentio. Et. D. *Joh. Dan. Major*, peculiarem pariter *de Citro in Citro* nobis dedit *Observationem. Conf. Boneti Medicina septentr. collatit. pag. 982. Joh. Bapt.* vero *Porta in Mag. nat. p. 158.* modum tradidit, *ut citrum humani corporis induat formam.*

Sed

Sed mirabiliora ſanè quædam monſtrat arbor quam in horto Greizenſi, Illuſtriſſimi Comitis ac Domini, Dn. *Henrici XIII.* Sen. Lin. *Rutheni,* Comitis ac Domini de Plauen nuper offendi. *Diverſi generis nempe offert fructus in uno ſtipite.* Producit enim folia, flores ac denique mala citrea & aurea, quanquam unum genus alteri interdum prævaleat. Imò quidam omnino fructus ſtriatim, quod mirari magis oportet, mala referunt citrea & aurea, diverſum ac debitum ſaporem, odorem ac colorem exhibentia. Id vero prorſus hic ſingulare eſt, quod & diverſi generis producantur ſemina, & hoc modo diverſis progenerationis iſta polleat viribus; quæ omnia ab inoculatione arborum citrei & aurantii, unde fructus oritur, inter geminas ſpecie quaſi medius, provenire docent *Acta Philoſophica Anglica p. 553. Edit. Angl.* Quemadmodum enim animalia diverſa in unum coitu miſcentur, ſic etiam inſitione, quæ coitus in plantis eſt, varii in unum fructus componuntur. Hinc non ſine ratione *Columella*, quem præcipue ob ipſius nomen ab Illuſtri Dn. Præſide mihi impoſitum hic nominare geſtio, omne genus ſurculi variis gaudere adulteriis autumavit. Et ſupra dictus *Joh. Bapt. Porta* eodem modo portentoſum producit malum, quod ſua admirabilitate oculos & animum oppleat. Scilicet, *ut citrium intus limonem habeat.* Identidemque *malum aureum* effictum eſſe *duplicatum* refert *Mag. Nat. p. 117.* ubi & liberaliſſime promittit, *malum aureum ut pomum afferat, cujus dimidia pars ſit dulcis, altera acris.*

Interea dubitare vix licet, ejusmodi fructus Veteribus pariter ſatis fuiſſe cognitos, cum *in Pontani hortis* inter alia & hoc occurrat: *Ut citrii arbor diverſa poma ferat, diverſorumque ſaporum.* Verſus ejus animi gratia huc afferam.

Qui diverſa quidem parva ſed ſemine in una
Condat, & educens collo breviore ſtolones,

Sub

Subducatque, arcetque manu, ac sub vincula cogat
Crescentes, hi tandem uno se stipite miscent,
Atque uno obducunt se cortice, ne ve flagella
Dilabi sinito neu summa cacumina ventus
Divellat, cera linito, aut diducat adulta,
Unguine dum proprio corpus junguntur in unum,
Atque operit lentum sub eodem cortice gluten,
Postquam alta steterit radice in fossa, & opimum
Raptarit stirpes succum, mirabere poma
Plenaque grataque, non uno tamen una sapore.

Ac idem quoque eleganter *describit, citria quomodo diversos fructus ferant,* hunc in modum:

Sunt, qui diversos ramos, sed cortice raso
Conjungant, stringantque simul, quo glutine mistio
Increscant æque, ac fixo mox stipite junctos
Infingant pariter: tum vulnus rite coronent,
Et fallax opus admota tueantur ab arte,
Quo ramo ex uno, atque uno de palmite fructus
Non uni veniant, sit honosque & gloria ruri
Gaudeat insolito natura adjuta favore.

Nec aberrare ab hoc etiam *Anatolii* & *Diophanis Citromalum ex malo & citro compositum* videtur, cujus jam dictus pariter meminit *Joh. Bapt. Porta l. c. p. 119.*

Hic vero id silentio præterire nefas est, sæpius memoratam arborem, præter adductos & alios nonnunquam ferre fructus non minus rariores, citra nempe, *quæ figuram manus imitantur compressa.* Et horum aliqui nitide etiam in *Miscell. Nat. Cur. Dec. I. Obs. 3.* exhibentur. Probabilis autem hujus figuræ

figuræ hæc videtur esse causa: Cum nimirum fructus iste ex citro & malo aurantio sit compositus, ab initio statim rutæ æmulatur nodum, malum intus inclutum tenentem. Hinc si casu forsan contigerit, ut superiores ejus partes paululum aperiantur, malum vi quadam interna nonnunquam prosilire cogitur, quo facto deinceps id quod restat figuram quinque digitorum aliquantisper inclinatorum refert & progressu temporis ulteriori accedente incremento majorem nanciscitur similitudinem.

Subministrant vero & superiora tempora plantas quasdam, alio respectu mirabiles, in Voigtlandia natas. Siquidem paulo ante belli triennalis, Germaniæ admodum funesti finem, prope Lobensteinium *frumenti* quidam conspiciebatur *culmus quinque spicis præditus.* & huic non absimilis quoque eodem loco, in agro nimirum Consulis. A. 1694. exsurgebat planta, quæ in hortum deinceps transplantata, sex adhuc novas proferebat spicas, quas quinque septimanarum intervallo duæ adhuc excipiebant, & die tandem 8. Jul. binæ item ex medio nodo spissioris culmi sese offerebant spicæ, uti hæc prolixius narrat *Melissantes* im gelehrten *Historico p. 328.*

Hinc non dubito, quin hæc exempla *Observationi CXII. in Ephem. Academ. Natur. Cur. p. 185.* accenseri jure queant, ubi *hordei* quidam notatur *culmus & 15. majoribus & 9. minoribus spicis* donatus; quam in rem uberiora tradidi in der umständlichen Erzehlung verschiedener merckwürdiger Exempel von sonderbarer Vermehrung der Feld-Früchte. Conf. etiam *Collectiones Wratislav. passim.* Ecquis autem rationem istius multiplicationis hic non statim videt? Scilicet ex nodis, uti hoc exemplum clare indicat, exsurgunt spicæ, quæ si prope terram fuerint, radices utique, & deinceps mediante medulla spicas producunt secundarias. Verosimilem admodum celeberrimus Dominus *Wolfius* istam nuper effecit hypothesin, in der Entdeckung der wahren Ursache, von der Ver-

mehrung des Getraides, quare ulterius cum eo concludere licet, in transplantatione jam dicti fruticis proculdubio unum vel duo folia radici viciniora nodos spicæ, quibus invicem jungebantur, in terra vel juxta eam habuisse, qui postmodum novas, uti supra demonstratum, procrearunt spicas secundarias, & hæ iterum nodis suis prope terram jacentibus, accedente ulteriori succo nutritio, alias quoque dederunt. Qua ratione & in pago quodam Voigtlandiæ, cui *Freyreutha* nomen est, An. 1715. septem spicæ ex uno frumenti culmo prognatæ videbantur.

Hinc sponte cadunt incertæ istæ ac nullo plane fundamento nixæ hypotheses, ac si ejusmodi multiplicatio non ab uno, sed multis proveniret granis, & fortuitæ gemmarum tribuenda esset mixtioni, quamque toties in hac causa multi olim allegabant; siquidem hic plane alia sese multiplicationis manifestarunt vestigia. Sed si dicendum omnino, quod res est, ejusmodi exempla inter rariora hodie referri vix merentur, cum cognita nunc multiplicationis istius causa, quotannis haberi facile queant. Interea tunc temporis rariora sane putabantur, quando causæ sic nondum erant cognitæ.

Tandem his etiam addo *plantam* Anno 1631. in vicinia urbis *Gera* natam, *ubi in glandibus viridis apparebat galea*, in aliis vero figuram referebat coronæ, imò pileum aut mitram mentiebatur Finlandicam, prout forsan Spectatores diversis imaginationis pollebant viribus. Vid. Zopfs Geraische Chronica, P. II. Et nullum omninò est dubium monstra hæc fuisse fructuum ab ordinaria alias qualitate aberrantium. Cum enim Plantis in sano sensu quædam anima denegari haud queat, secundum ideas specifice sibi impressas agens, quemadmodum diversa ista plantarum genera, etsi unico saltem constent principio, clare ostendunt. Hinc in iis etiam eodem ac in animalibus modo, abortuum nonnunquam accidere productiones, pariter in aprico erit positum.

tum. Et ita ex abundantia Succi nutricii, aut impedimento motus ordinarii, quo alias caulis formari solet, summitates istæ luxuriantes in glandibus forsan sunt ortæ, quibus tempestas forte aliquantum calida sua quoque dedit adminicula.

Quare memini etiam, in pago quodam Voigtlandiæ, cui *Steinbrucken* nomen est, *pira* quædam Anno 1719. me vidisse *prolifera*, quæ ex multis piris ad debitam figuram nondum perductis, ac foliis hinc inde interjectis, composita & proculdubio ex eadem causa producta erant.

Quod si vero anima, aut si mavis Natura aut quodvis aliud principium agens nulla in operationibus suis sentiat obstacula, grandiores utique nascentur fructus. Ideo non raro *Greizæ* quædam insignis magnitudinis conspiciebantur *mala persica*, 15. aut 16. semiuncias ponderantia, ac *Melones* 12. aut 14. libras exæquantes. Imò *Kostritii cucurbitæ* plus una vice 113. librarum repertæ sunt.

Judicet igitur aliquis, num tam sterile ac horridum heic loci sit Clima, uti à plerisque describi non raro solet. Dicerem potius permulta adhuc, tam in hortis quam in agris & hic tentari posse, si modo debita non deficeret cultura atque industria.

(*Anno 1729. d. 2. Januar. Augustam Vind. missa*)

 (o) 

OBSERVATIO CLXX.

DN. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

De Phthiriasi insolita.

CAsum oppidò rarum haud ita pridem mecum communicavit. *D. Gutmannus Buxbaum*, Medicus Judæus Francofurtensis, quem casum propriis ejus verbis hic adjicio: Binis abhinc mensibus curæ meæ committebatur Vir quidam, annorum circiter 40. de intolerabili conquerens cutis totius pruritu, etiam somno obicem ponente: siquidem jugiter fricando & cutim unguibus dilacerando multas ferè noctes transegit insomnes. Me ergò accedens intolerabilis suæ molestiæ solamen implorabat. Quoniam igitur, ob continuum, quô divexabatur, pruritum, salium acrium in humorum massa prædominium facilè conjiciebam, hinc corpus diligenter & per epicrasin evacuavi & V. S. eamque repetitam suasi, haud neglectis insuper cucurbitulis scarificatis & internè adhibitis absorbentibus, humorumque acrimoniam temperantibus, quibus omnibus tamen nihil effeci, (& quod mirandum) pruritus hic molestus indies augebatur. Tandem lignorum decoctum suasi, cujus usu per octiduum tota ferè corporis peripheria plurimis tuberculis hinc inde indolentibus quidem, ast immane quantum (ut æger perpetim conquestus) prurientibus, conspersa apparebat. Multa & generosissima, tam pro discutiendi, quàm maturandi scopo tentavi pharmaca, ast irrito prorsus conatu. Æger autem affectus & pruritus continuò lancinantis pertæsus me anxiè rogabat, ut tuberculorum unum aut alterum aperirem & quid intus lateret, inspicerem; siquidem sibi videri mera animalcula viventia subesse. Curiositate ergò ductus, Patientis desiderio morem gessi, accersitoque Chirurgo præcepi, ut unicum

cum tantum aperiret, quo aperto (obstupescas quæso) nullum seri vestigium, nec ulla profluentis puris guttula prodibat, sed tanta congeries *pediculorum*, figuræ & magnitudinis diversæ, quæ data porta subsultando quasi erumpebat, ut fere numerari nequiverint, & æger viso insolito hoc spectaculo fere animo deficeret. Apertis ergo, suasu meo, reliquis tuberculis, omnia uti priora, tanta animalculorum horum caterva scatebant, ut nihil supra. Continuato hinc diaphoreticorum & catharcticorum Mercurialium usu, detersis simul ulcusculis, ægrum intra aliquot septimanarum decursum (auxiliante Deo) pristinæ sanitati restitui, qui jam incolumis & ab omni ulteriori pruritu planè immunis vivit.

OBSERVATIO CLXXI.

DN. D. MICHAEIS BERNHARDI VALENTINI.

De

Judæo androgyno, recens nato, cum ano imperforato.

IDem Medicus Judæus die 21. Jan. hujus anni seqq. Francofurto ad me scribebat: Ante octiduum natus est in platea nostra infantulus utriusque sexûs genitalibus instructus, qui urinam per membrum quidem virile naturaliter & debito modo excernit, excrementa verò s. v. per muliebria exonerat, ano penitus imperforato. Aliâs corporis est sanissimi & lac maternum avidè ac largiter sugit, placideque dormit, ita ut hesternâ etiam luce, prout apud Judæos in more positum est, circumcisus fuerit. Optandum esset, ut, si infantulus forte obdormisceret, cultro anatomico committi posset, cujus Sectio multa rariora detegeret.

OBSERVATIO CLXXII.

DN. D. JOHANNIS SALZMANNI.

Historia Terræ motus.

Anno 1728.


Quandoquidem de terræ motu, qui die tertio Mensis Augusti Anni proximè elapsi 1728. non modo Argentoratum nostrum, sed universam fere Alsatiam modo quodam extraordinario, & in hisce regionibus rarissimo concussit, novellæ publicæ aliqua retulere, quæ vel omnem fidem superant, vel etiam nimium exaggerata à credulis sunt, non pauca denique cum rei veritate conveniunt, haut abs re fore existimavi, ea, quæ de insolito atque tristi hoc naturæ phænomeno vel ipse observavi vel ab aliis fide dignis accepi, paucis describere. Fuit autem dictus Terræ motus ex illo genere, quem Aristoteles speciali nomine τρόμον, Seneca tremorem appellavit; notabilis quippe telluris pars cum super incumbentibus ædificiis quibuscunque undiquaque contremiscere & vibrare (ut Clarissimii *Sturmii diss. de Terræ motu* verbis, uti hic, ita & alibi utar) percipiebatur concussione ad latera utrinque & horizontaliter facta, & impetu horsum atque illorsum in latitudinem veluti diviso; aliquibus in locis nutare terram & superextructas ædes turresque instar navigii faciebat. Unde & illam speciem, quæ Senecæ inclinatio, & Garcæo in meteoris arietatio vocatur, simul concurrisse statuo. Non vero, uti plerumque fieri assolet, uno eodemque gradu atque impetu quæcunque urbis mœnia conquassata fuere, sed pro diverso cuniculorum per terræ viscera repentium situ atque tractu, alia magis, alia vero minus; præ aliis ista ædificia, quæ Bruscæ flumini per urbem decurrenti propiora sunt, ejus effectum vehementiorem persentiscebant. Neque in dies, in menses, multo minus diutius ille duravit, uti *Pli-*

num, etiam è longinquo factus est concursus. Et sane in omni vastissimo plantarum genere nulla hactenus est observata species, quæ post longiorem moram, tam subito protruderet, tamque brevi temporis intervallo perficeret amplissimum caulem, in tot prolixos abeuntem ramos, tot florum millia sustinentes. Nostra certe *Germania*, inter regiones Europæ haud postrema, sed inter primas *florentem* ostendit *Aloën Americanam:* quandoquidem anno sæculi superioris XXVII. talem in Horto Aulico Onoldino jam floruisse constat, & ab illo tempore diversis in locis idem evenit; uti ex adverso (quod mirum videri debet) in *Belgio* usque ad annum 1672. nulla florens observata fuit *Aloe*, *Abrah. Muntingo* teste, *in de vvaare Oeffening der Planten* pag. 243. In *Magna* vero *Britannia* proxime elapso demum anno, primam *Aloen* effloruisse accepimus. Currente hoc sæculo vix unus alterve annus præteriit, quo non alicubi phænomenon istud notatum fuerit, ut hodie, propter frequentiam, non parum minuatur ejus admiratio. Qui observationes circa istam *Aloen* instituerunt autores, quantum mihi constat, omnes de *fœcunditate seminis* ipsius nihil certi pronunciarunt, & *Tobias Aldinus*, sive (quod genuinum Viri nomen est) *Petrus Castellus*, *in Descript. Plant. Horti Farnes.* de eo plane dubitat; ut adeo in hoc usque tempus hortulani non alium *propagandi modum* cognoverint, quam *per stolonem*, sive sobolem, pone radices subinde pullulantem, avulsam & in idoneum solum translatam. Germaniæ autem nostræ, & hujus Emporio nobilissimo, *Francofurto ad Mœnum* debetur hæc gloria, quod felici successu tentaverit, ac primum consecuta sit *Aloes fœcundam sationem*. Nimirum anno hujus sæculi XXVI. in horto domestico, compluribus exoticis stirpibus instructo Viri Magnifici Dn. *Conr. Hieron. Eberhardi*, Medic. Doctoris, t. t. Reip. Patriæ Consulis Senioris, lætissime *efflorescens Aloë*, sub autumnum ultra centum *capsulas*, *maturo semine plenas* produxisse visa fuit; quarum una quædam, cum totius *Aloes* schemate, in Tabula ænea, pri-


mum rei antea nunquam observatæ specimen oculis curiosis præbuit. Inde vero Venerabilis horti Dominus spem concipiens fore, ut, quæ satis matura videbantur semina, terræ commissa germinarent, eorum nonnulla sub initium sequentis anni XXVII. serenda hortulano præcepit, optato penitus eventu. Quem cum animadvertisset Vir Excellentissimus D. *Joh. Georg. Kisnerus*, laudatæ Reip. Physicus & Illustris *Eberhardi* ex Sorore Nepos, Amicus inter veteres mihi carissimus, operæ pretium esse duxit, ut istius germinationis initia & progressus ad sextum usque mensem, in duobus novellarum plantarum individuis accurate delinearentur; quæ schemata venerando Avunculo suo dedicata, cum bona Nobiliss. Autoris venia, in perpetuam rei feliciter gestæ memoriam, hic inserenda curavi, (vid. Tab. XII.) hoc quidem libentius, quo jucundior mihi extitit novi ipsius phænomeni αὐτοψία, cujus recordatio subinde renovatur, quoties intueor illam, eodem satu productam *Aloen*, dono datam à laudato Viro, & pulcherrime succrescentem in Horto nostro Academico. Memorabile autem hoc etiam est, quod idem sationis experimentum, sequenti aut tertio quoque anno repetitum per asservata semina, prospere evenerit; unde patet, ipsa esse ex eorum genere, quorum fœcunditas ac virtus germinandi per annos plusculos durare soleat. Ceterum accuratam *Aloes Americanæ historiam*, è propriis Observationibus, in ista Norimbergensi, quæ anno eodem floruit, singulari industria institutis, Excell. D.D. *Trevv*, Collega noster amicissimus, condidit ac divulgavit.

OBSER-




N I. die 27. April.


I


II.
N II. die 27. Maij.


II.


III.
N III. die 27. Iunii.


III.



IV.
N. IV. die 27. Iulii.



IV.


V.
N V. die 27. Augusti.


V.


N VI.
VI.
die 27. Septembris.


VI.



OBSERVATIO CLXXVIII.

DN. D. JOHANNIS CAROLI ROSTII.

Hepar ſcirrhoſum oſſeis concretionibus & calculis refertum, in viro, qui Aſcite & hernia laboravit, defuncto.

VIr 46. annorum, temperamenti melancholico-cholerico-ſanguinei, texturæ corporis mediocris, ad gracilitatem vergentis, iracundis animi commotionibus ac vitæ generi rudiori, mutationibus tempeſtatum expoſito, inſimulque victui irregulari, non raro cum repentina potulentorum ingurgitatione ſubjectus, antehac ſanus, ſub initium ætatis virilis, dolore ſenſim invaleſcente obtuſo, continuo, in hypochondrio dextro, ſeu Hepatis tractu, cum tenſione & magis magisque palpabili renixu absque evidenti tumore infeſtabatur, quem haud ita diu poſt ictum pedis ab homine petulanti huic regioni illatum, primo emicaſſe, patiens poſtea recordatus eſt, qui eundem ſibi non adeo moleſtum, pectoris anguſtia cum reſpirationis labore irritationibusque tuſſiculoſis ſiccis, ab illo tempore adauctum, negligenter habens, per intervalla largam narium, modo dextræ, modo ſiniſtræ hæmorrhagiam, aliquot libras nonnunquam excedentem incurrit, qualem in juventute parcius expertus eſt. Varia equidem intra biennium fluxui ſanguinis domeſtica opponebantur auxilia, Epate oblito; ſed inconſtanti partim cum ſucceſſu, partim &, hæſitante ſanguinis excretione, cum ſenſibili reliquorum incommodorum, tuſſis præcipue & aggravationis anhelitus incremento, quibus jungebantur abdominis extenſio, flatulentia, & frequens mictionis teneſmodes imminutio, quin ad unum alterumve diem plenaria ſuppreſſio, urina dein interdum cruenta, ſemper vero cum ſedimento craſſo, farina-

ceo-feculento rubello procedente. Rebus ita comparatis accersitus, ponderatis circumstantiis, Hæmorrhagiam hancce narium, utut insolenter ætateque incongrua insistentem, salutari tamen scopo à Natura fultam æstimavi. Ægro etenim inter confinia illa, ab *Hippocrate* S. III. aph. 29. 30. indicata, versante, ubi congestiones ad pectus adhuc diriguntur, proxime cum motibus hæmorrhoidalibus permutandæ, sanguis ab Hepate coarctato impeditius admissus, redundabat ad pulmones, molestiam spirationis, compresso à Jecore diaphragmati ex parte innixam cumulans, infarctumque ibidem, Hæmoptoën, Phthisin imo ac tabem minitans; qualem ab hæmorrhagia narium periodica, uberiori etiam, præcaveri vel protrahi constat: prout ipsemet in aliquot subjectis experientia edoctus novi, & à *Chr. Bennet* in Theatr. tabidor. p. 14. sequ. confirmatur. Incautam adeoque per empirica stringentia depletionis hujus spontaneæ cohibitionem intentatam improbans, suasi Venæ Sectionem in pede, extra Paroxysmum, circa æquinoctia, pediluvia, blanda laxantia, diluentia, resolventia ac temperantia nitroso-salina, antispastica, cinnabarina; quibus non tantum Hæmorrhagiæ innocenter consulebatur, sed & depravato Hepati & consectariis inde pullulantibus, quantum possibile, prospiciebatur: urinæ vitiis egregie quoque sublevatis, quæ adhibitis pellentibus exasperabantur, & deficientibus signis pathognomonicis sufficientibus, non tam Nephritidi aut calculo, uti credebatur, quam aut anomalicis moliminibus hæmorrhoidalibus, aut aliis spasticis evagationibus per consensum ad vesicam, colludentibus, ab inordinato sanguinis per viscera abdominis motu & toni intestinalis variatione oborientibus flatuosis contentionibus deberi mihi visa sunt. Catheteris immissionem æger gravissime & sine fructu ferebat. Enemata demulcentia & carminativa, Cataplasma notissimum è cepis sub cineribus assatis, unctiones perinæi antispasmoticæ oleosæ camphoratæ, ac, si refrigeratio artuum inferiorum præcesserat, later calefactus plantis pedum appositus, præter

inter-

interna ſuperius indigitata, promtum dabant auxilium. Urina craſſa tum libere progrediente, uſus Decoct. nephrit. For. à Zwelfero correct. nec non modeſtorum carminativorum, excluſis acribus aromaticis, è re erat.

Per plurium menſium ſeriem Patiens ſic ſatis commode vixit. Ingruente vere anni 1727. expanſione infimi ventris, cum flatulentia impetuoſiori perterritus, alieno conſilio vaporem Specierum pro Vino abſinthite compoſito reſiduarum, adjectis lapidibus ignitis excitatum, cruribus ac abdomine excepit: ſed brevi poſt una cum Hydrocele transparente, pedumque inflatione œdematoſa, indubitatum ſe ſiſtebat Aſcitico-tympaniticum exordium; quod tamen intra ſex ad octo ſeptimanarum ſpacium, circa medium Junii, adhibito interne vino medicato è reſolventibus aperitivis amaris & diuretico-laxativis, ſubjunctis Pilulis balſamico-viſceralibus, Mixtura tonica &c. tam bene fuit terminatum, ut ſcrotum topicis diſcutientibus provide tractatum, per rimas tenuiſſimas ſub forma intertriginis humorem lymphatico-glutinoſum ſeroſumve copioſe diuque fundendo, ſucceſſive ad naturalem ſtatum rediret, & æger œdemate pedum extricatus, tumore abdominis imminuto, anguſtia præcordiorum tuſſique maximam partem ſublatis, ſiniſtro ac dextro lateri promiſcue incumbere, extraque domum negociis ſuis vacare denuo poſſet; valetudinarius interim & obſtaculorum ſuorum urinandi haud penitus immunis.

Anno 1728. exeunte Februario, certior fio, illum Exomphalo laborare, quem præter Bubonocelen & Oſcheocelen celatas, olim, neſcio qua occaſione, ſe contraxiſſe nunc confeſſus eſt; qualis quidem ipſi non adeo curæ erat: ſiquidem pauca opera, nuda aliquot digitorum applicatione ac preſſione, tumorem ſub audito rugitu retropellere poterat; hinc affectum parvi ducens, faſcia appropriata ſe non munivit. Hac vice formata hernia conſuetam repoſitionem reſpuebat, quam Patiens clinicus factus, ipſe multoties fruſtra tentârat, ſicque

 non-

nonnisi lacessiverat. Dolores hinc accendebantur acerbissimi, cum agrypnia & jectigationibus, alvo tamen nondum obstructa. Tertius jam præterierat dies, cum demum mane vocatus, Omphalocelen cerno pertinaciter incarceratam, tumorem scilicet ex ipso umbilico elatum sphæroideum, pomi grandioris magnitudine, superius nonnihil planum & in medio levissima vestigia umbilici gestantem, basi angustiori, diametri majoris abdomini parallelæ tertiam fortassis partem emetienti insidentem, durum, urentem, summis cruciatibus ægrum exagitantem, qui nullatenus tenuis intestini, jejuni aut ilei portionem captam, prout ego ipsi fidem faciebam, sed unice flatus detentos subesse putabat. Cum pulsus moderate febrilis tactui se offerret, nec sitis nec calor urgerent, potius horridulus aliquis rigor corpus vel pauxillum saltem denudatum pervaderet, præmisso prognostico, ordinavi remedia interna Inflammationi inchoanti resistentia, Clysterem emollientem ac lenientem, nec non Cataplasma emolliens quoque & demulcens, jugiter renovandum; cum cautela, ne nimis diu ipsi inhæreatur, nisi intra paucas horas solutionis spes affulgeat: cum secus tumor vel ob rarefactos intus halitus crescat, vel affluxus cieatur, inflammatioque ac gangræna acceleretur, Operationisq; ultimo subsidio opportunum momentum præripiatur, ad quam communiter serò consentitur; & partium strangulatarum necrosis ante jam accedit, quam topica seponuntur; id quod & in nostro casu advertimus; siquidem nondum paratis pharmacis internis, nascitur singultus, pessimo omine. Clyster ad semihoram retentus, binis dein largis dejectionibus aquosis, absque flatuum consortio redditus fuit. Post meridiem mature ægrum visitans, raucum eundem & in extremis angustiis constitutum comperio, cum pulsu febrili, sed titubante, parvo atque oppresso. Erumpit, me adstante, insolens vomitus iteratus quantitatis prodigiosæ phlegmatis flavescentis spumidi inolentis. Umbilicus tumens, tensus, ex rubro lividus in apice exsudabat saniem purulentam, indu-

sium

sium agglutinantem, claro gangrænæ præsentis & funesti exitus instantis indicio; qualis & altero die circa diluculum contigit.

Insequente nocte cadaver impetravimus, sectione quantum angustia temporis permiserat, lustrandum: ubi decussatim inciso Exomphalo, statim in conspectum prodibat tenuis intestini portio replicata, quinque circiter digitos longa, inanis, undique sphacelosa & inflata, ab annulo umbilici arctissime strangulata. Jejuni erat pars, sicuti plerumque assolet; quamvis Parisiis ex ore celebris Chirurgi Dn. Arnaud habuerim, observasse ipsum Hernias umbilicales, quæ intestini coli partem includebant, absque ullo omento: & hoc etiam aliquando in homine quodam valde obeso. Ita insignis famæ vir, Dn. Petit pariter ibidem narravit, se anno 1714. Operationem talismodi Omphaloceles peregisse, in qua plicam coli repererat, nihilque Omenti; cujus nec nobis Casus noster aliquid obtulit; quod tamen respectu situs necessario semper fieri debere quis existimet. Neque enim Epiploon hanc Herniam intrasse, à priori, præter alia, id mihi persuadebat, quia incarceratione, etsi aliquandiu jam durante, vomitus nullus alimentorum se exeruit, qualis propter connexionem omenti cum ventriculo alias sociatur. Et vomitus quidem ab Herniis umbilicalibus, intestinum jejunum continentibus, etiam imminet, citiusque quam alvi suppressio, ob brevem distantiam hujus intestini à pyloro; quemadmodum Bubonoceles & Herniæ completæ scrotales, ilei quid includentes, ratione contraria, feces alvinas facile remorantur, & vomitus his tum demum familiares quoque sunt: notabitur vero materiam rejectam heic stercoracei fœtoris esse; in Enteromphalocele autem liquida emesi exturbata, haud alimentosa, longeque minus fœtoris spargere: ex hoc sane fundamento, quod supra intestinum jejunum parciora excrementa reservantur, quam in ileo.

Aper-

Aperto abdomine, prosiliente statim largissimo rivo serositatis flaviusculæ, cujus & omentum fracidum, inæqualiter explicitum, in duplicatura sua ultra libram reservabat, Ventriculus protuberabat horrendum distentus, cum vasis suis coronariis nigricantibus, & intestinorum flatibus turgidorum ac inflammatorum canali. Ilei continuationes istæ, quæ antehac Hernias inguinalem & scrotalem repleverant, corruptæ apparebant & gangrænosæ. Mesenterium glandulis aliquot scirrhosis obsessum offendimus, molle, laxum, Herniarum intuitu, & occasione percussionis in infimum ventrem perpessæ, forsitan alicubi à naturali cohæsione separatum aut dilatatum. Verisimillimum namque est, Hernias intestinales hoc primitus requirere, quoniam intestina eidem firmiter alligantur, adeoque è sede sua deflectere nequeunt, nisi mesenterium ob quascunque violentias prius cedat. Ita illi, qui quassante equitatione infeliciter Hernias incurrunt, sentiunt ordinarie prius tensionem dolorificam circa umbilicum & lumbos, quorum primæ & tertiæ vertebræ mesenterium affixum est: argumento haud obscuro mesaræi afflicti, tensi vel diducti; remittente postea simul peritonæo & annulis dilatatis, tandem intestinum propria gravitate descendit: id quod sæpe simul & semel quidem accidit, sed non æque sine prævio hoc supposito. Arte procuranda Enterocele aliqua in cadavere, conjecturæ huic non parum suffragabitur.

Pancreas in subjecto nostro marcidum & vix dignoscendum, Splen infarctus & semicorruptus extitit. Hepar cum diaphragmate alte sursum, Thoracem versus, tractum & retortum latitans, modice tumidum, tunica crassa robustissima, instar corii strepitum crepitantem sub dissectione concitante vestitum, lobis solitis minus interdistinctis contemplati sumus. Nulla in eo corpuscula glandulosa separata, sed lapillos quosdam fuscos, quorum præcipui piperis granum æquabant, deprehendimus; massam autem ejus tenacem, renitentem, albicantem & cinericiam; quamvis in latere sini-

stro

nius lib. 2. cap. 82. vult, terræ motus præprimis vehementiores ante 40. dies haut finiri, sed ad 12. vel 14. solum horas sese extendit, neque continua serie vim suam exseruit, verum interrupta, & per intervalla rediit, quo temporis spatio octonis pulsibus interruptis tandem cessabat. Initium ejus prædicto die tertio Augusti temperie aëris calidissima existente, nulloque vento prægresso, mox post horam quartam vespertinam erat, totam urbem ejusque confinia, & simul incolarum animos haut leviter concutientis, perque octavam circiter horæ partem perdurantis; ab hoc, quia præ reliquis insequentibus magnus fuerat atque validus, infra annotati effectus potissimum dependebant. Hunc aliquot momentis post alius sequebatur priore notabiliter languidior, quos inter sextam & septimam horam eadem vespera duo alii excipiebant pariter haut validi, adeoque non ab omnibus observati. Circa horam circiter nonam quintus ingruebat pariter paulo debilior, majori tamen cum impetu quam quartus sese exserens. Inter secundam atque tertiam à media nocte horam duo alii tremores integram urbem commoverunt, quorum prior, si impetum atque validos succussus, quorum duo erant, spectes, ad primum quam maxime accedebat, in hoc solum ab eodem discrepans, quod breviori temporis intervallo absolvebatur; posterior duratione huic par, impetu vero minor erat. Octavus longo à modo memoratis intervallo disjunctus nonnisi tredecim diebus post, nempe die 16. ejusdem mensis Augusti hora ante meridiem decima se exerebat, impetu & duratione minor; aliquot quippe pulsibus, iisque haut fortioribus finiebatur. Neque intra mœnia urbis substitit hæc calamitas, sed & confinia quaquaversum affecit, imo & ad loca remotissima & multorum milliarium intervallo dissita sese extendit; illud testes αὐτόπται numero haut pauci è pluribus Alsatiæ locis huc convolantes ipsi enuntiarunt, vel per alios ejus rei certiores nos reddiderunt, hoc literæ Manhemio, Wormatia, Heilbronna, Nordlinga, Francofurto, Gissa, Basilea item

item, Scaffhusia, Tiguro aliisque locis allatæ satis superque comprobarunt; quæ simul docuerunt, unum eundemque terræ motum in diversis hisce regionibus fuisse, utpote cui eundem diem non modo, sed & eandem fere horam assignabant; hunc quoque eundem & deorsum ad tractum Rheni versus Septentrionem & sursum versus meridiem in Helvetiam exporrectum fuisse.

Quod jam effectus nostrum terræ motum insecutos attinet, varii illi utique fuerunt; & primo quidem à concussa vehementius etsi non disrupta telluris parte canales super ædium tecta caput exserentes & fumo educendo inservientes, quos Caminos vocant, ultra ducentos vel omnino, qua supereminebant, vel ex parte hinc inde per urbem ab eo dejecti sunt. Secundo pleraque ædificia, præ aliis altioris structuræ templa & turres adeo nutabant, ut jamjam subrui viderentur, nulla vero per Dei gratiam corruerunt, adeo vero contremuere, ut connexiones atque repagula omnia dissolvi crederentur, atque ab illis, qui tunc temporis in ædibus commorabantur, sonus ingens atque tremor ita fortis perciperetur, ac si in superiore domus contignatione rhedæ vel currus plures utro citroque discurrerent; quin & iis, qui in ædibus in plateis paulo angustioribus erant, istæ è regione sitæ super has lapsuræ videbantur & qui in istis commorati sunt idem ab his metuebant. Tertio fornices plures, murique lapidei tum ædium, tum etiam templorum disrupti rimas hinc inde egerunt, parietum superextructorum fissuræ diductæ aut alia super extantia disjuncta fuere. Quarto insuper non quidem intra urbis mœnia sed in confiniis saxa quædam aut partes reliquis infirmius connexæ cum vi excussæ atque projectæ sunt. Quinto non minus excelsa illa turris, quæ

Caput inter nubila condit,

atque structura sua artificiosissima advenas quoscunque in sui admirationem rapit, haut parum nutavit, & tanto cum impetu

petu concussa fuit, ut è lapide insigni concavo & oblongo quadrato, qui in area ejus 327. gradus alta locatus est, notabilis aquæ portio non modo effusa, sed & ultra 6. pedum latitudinem à dicto lapide projecta fuit, atque distantiam 18. pedum in plano profluxit, quod vero aliqui è vulgo tam sibi quam aliis persuadere voluerunt, turrim hanc excelsam pedem integrum loco motam fuisse, atque mox saltu veluti facto pristinam in sedem sponte sua rediisse narrarunt, nemo prudentiorum, qui scientiæ naturalis principia vel summis labris attigit, fidem facile adhibebit, sed potius ad vulgi insomnia & fabulas aniles merito ablegabit. Præterea non solum in rebus inanimatis, nempe ædificiis tristia sui vestigia reliquit, sed & in hominum animos effectus aliquot graviores edidit hoc naturæ phænomenon. Nihil quidem jam dicam de consternatione & terrore insigni, quem plerorumque mentibus incussit, eam maxime ob causam, quia quod alibi locorum frequentius affligere terricolas solet, illud hisce in regionibus atque confiniis, de quo nobis gratulamur, paulo rarius observatum hactenus fuit. Alsatia quippe nostra, utpote Regio mediterranea, & notabili planitie gaudens, non maritima, non montosa, ab ejusmodi calamitate diu multumque immunis fuit, præter quod ante annum, & quod excurrit, similem telluris concussionem, sed adeo levem, ut notabilem noxam haut inferret, neque ab omnibus incolis perciperetur, experta fuerit; quo magis ergo extraordinarium jam erat atque insolitum hoc meteoron, eo majori terrore perculsa inde sunt incolarum pectora & veluti terræ motu microcosmico trepidarunt sibique pariter atque ædibus suis exitium metuerunt, quod proculdubio etiam subsecutum fuisset, si majores paulo successus aut alia phænomena, quæ terræ motum alias comitari solent, accessissent. De reliquo nullus hominum detrimentum inde aut læsionem perpessus est, præter puerulum sexennem qui à silicibus, quibus platearum publicarum pavimentum sterni solet, ingentem in cumulum

congestis, superioribusque à tremore deturbatis oppressus est. Plures ex ædibus suis prosiliendo & per plateas hinc inde discurrendo securitati suæ prospicere voluerunt, tantaque consternatio omnium erat, ubi tecta crepuere & ruinam minata sunt; quid enim (ut *Senecæ quæst. natur. lib. 6. cap. 1.* ore loquar) cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse (tota Civitas) concutitur & partes ejus solidissimæ labant? Si quod unum immobile est fixumque, ut cuncta in se intenta sustineat, fluctuat? Si quod proprium habet terra, perdidit stare? Potissimum vero corpora morbosa haut levem inde alterationem senserunt, inter quæ Medicus erat, qui febre acuta decumbens malo è vestigio in pejus ruente, die proxime insequente motibus convulsivis telluris tremorem veluti referentibus correptus diem supremum obiit. Alius mercaturam faciens & simili morbo affectus, cujus ego curam habui, mente abalienatus in furorem plane extraordinarium abreptus est, à quo post aliquot demum dies sed ægre restitutus fuit. Quidam antea bene valentes varios in morbos inciderunt, quos & similes effectus non tam ipsi terræ motui, quam potius terrori inde oborto quivis mecum adscribet.

(*Argentinâ Gissam d. 6. Febr. An. 1729. missa.*)

OBSERVATIO CLXXIII.

DN. D. PHILIPPI JACOBI WEIGANT.

De

Satyriasi epileptica infantis, à callo in pene.

PRænobilis Domina *Maria Anna*, strenui ac amplissimi D. de R. conjux, temperaturæ sanguineo-biliosæ, sanum enixa filiolum, quem nec ulli morbosæ labi obnoxium, ad

ad unius anni terminum educavit absque lactatione, cum sola aqua fœniculi; spatio hoc temporis finito, tenellus alias constitutionis optimæ, indies *convulsionibus epilepticis* torqueri conspiciebatur, queis cessantibus, *penis erectio satyriaca*, cum urinæ stillicidio insequenti per multas horas observabatur; deplorans filii miseriam pia mater, chirurgum in hac Arte medendi imperitum accersiri petiit, qui inepte tenellum laborare calculo judicans, clysteres & nonnihil vehementiora diuretica, epilepticis admista præscripserat, cumque indies exinde malum adaugeretur, ita ut *vera satyriasis*, frequentiorque *epilepsia* insequeretur, meam Dominus Pater vesperi implorat opem, qui ut infans altero die summo mane in balneo lactis collocaretur, inque eo mediæ horæ spatio detineretur jussi; en! cum pridie calculum non adesse pronunciassem, tenellumque accuratius inspexissem, invenio naturæ aberrantis minerabilem structuram, & inprimis erectum *penem carere præputio*, figuram colli pulli gallinacei plumis spoliati præsentantem, eundemque *duplici mense urinario* instructum, tali modo, ut quilibet aspiciens verum à falso meatu neutiquam dignovisset; inquirens ego, utrum ex utroque infans emitteret urinam, responsum tuli, modo ex uno, modo ex altero, sed non nisi per stillicidium; ego statim interdicens diureticis, post prædium balneum lactis repetere jussi, atque cognatum egregii Viri, *le Prince*, paucas ante septimanas Parisiis hîc advenam accerso, exploratoque meatum origine, utrumque phlebotomo unire jussi, credens rem optimi eventus futuram; experior vero altera die stillicidum interpolatis convulsionibus necdum cessare, rursus exploro ope chirurgica locum, & invenio *callum durissimum* ad radicem, urinæ profluvium impedire, convulsionumque existere causam; hunc convenienti instrumento chirurgico perfodi illico curavi, contra Parentum voluntatem; quod ubi factum est, ultra tres urinæ libras è vesica vehementer, extensa profluxere, infansque non

 tantum

tantum ab hoc periculosissimo affectu liberatus, sed paulo post etiam à variolis supervenientibus feliciter fuit curatus.

(*Vienna Augustam, Vind. d. 22. Aug. An. 1728. missa.*)

OBSERVATIO CLXXIV.

DN. D. CHRISTIANI GOTTLIEB MEINIGII.

De Vera Solis Extractione.

ARtificium eruendi meliorem partem è corporibus mistis, nucleumve à putamine separandi, non parum hactenus Physicæ luctoribus facessit negotii. Nec defuere unquam talia *Alcahesta*, sive menstrua, ad extrahendam veram rerum animam, seu genuinam Quintam Essentiam, à Chymicis excogitata. In regno quidem vegetabili & animali parum subfuit difficultatis, dum *genuinus Spiritus Vini alcoholisatus, modico Salis Tartari animatus*, vel etiam extrahenda eo imbuta longo abhinc tempore unicum idque optimum, fuere ac permansere menstruum, per quod subtile sulphur è vegetabilibus extrahi, atque his ipsis animula sulphurea posset adimi. Non dicam jam, quantum culpæ & hoc in passu admittatur, quod per improvidam ignis, ineptamque Vasorum custodiam, subtilis isthæc animula evaporetur, rudisque ac rancida substantia remaneat; id solum dicturus sum, plus *in regno minerali* desudatum fuisse fini isti consequendo; quandoquidem plurimus Chymistarum labor non in *extractione*, sed solutione mineralium positus fuit, cui rei plerumque *menstruum* quoddam *corrosivum* adhibuere; quin imo sæpe factum, ut menstruum ejusmodi nonnihil coloris assumserit, id quod tamen non ab intrinseca rerum ipsarum essentia, sed potius à diversimoda Salium compositione exortum.

Quod-

Quodsi proinde neque in *Mineris* res succedere potuit, dum & horum vera *separatio philosophica* insigne naturæ arcanum sit maneatque; quanto magis multi Chymicorum circa *Metalla* ipsa, ac præcipue circa *Aurum*, naufragium facere necesse habuerunt; quippe de cujus extractis pariter ac potabilitate, ut ajunt, immensa farrago processuum inutilium ac incassum quæsitorum præsto est; nam & hic tandem menstruum ad aliud nihil, nisi ad corrosivum quoddam redire videas, cujus salia particulas quasdam subtiliores quidem solvant per alembicum destillent, imo & colore donent, ipsum vero auri interius non feriant, sed omnino intactum relinquere cogantur. Hic itaque cum viderint, *Spiritum Vini, Aurum, extrahendo vincere non posse*, mira ipsis in mentem venere instrumenta quibus aurum istud innopium stupendo more distorsere, idem tamen lucrificare nequivere, nisi quod per varias offucias sibimetipsis imposuerint. Non pensitarunt, *Sulphur infensissime Auro adversari*, prout optimam veritatem hanc provide admodum annotavit *Basilius Valentinus*. *Quamdiu* ergo *Sulphur hoc combustibile Spiritui Vini jungitur, tamdiu ex auro nihilum quidem consequi valet; simul ut vero discretio Sulphuris combustibilis à Spiritu Vini facta, subito auro perpulchre conciliatur, animulamque hujus, ipso non reluctante, prædam capit.*

Atque ex hoc fonte procedit iste *Spiritus Salis dulcis Basilii*, quem ipse quidem retexit, nihilominus tamen Instrumentum philosophicum reticuit, quanquam hoc ipsum quoque ab omnibus philosophis occulte admodum sit habitum, hujus namque beneficio Sulphur exustile à Spiritu Vini sejungitur, hic vero, licet rectificatissimus, in *aquam* quandam *mercurialem*, prorsus insipidam suapte natura commutatur; quæ quidem aqua calci præparatæ scil. auri admixta initio viridem, post cœruleum tandemque puniceum & amethystinum extrahendo producit colorem; quo facto corpus auri canum remanet, atque perpaucum ponderis sui perdit. Et hæc *auri*

Purpura, uti persuasum habeo, in Medicina æque ac Chymia altiori, insignes revera producere posset effectus. Hoc itaque Instrumento, cum id mihi suppetat, modumque procedendi perspectum habeam, non potui non, hac de re Naturæ Curiosos, quotquot hujus studii amor tenet, certiores reddere, tuto asseverans, *genuinum Vini Spiritum, rite præparatum, omnium trium Regnorum, quicquid contra statui velit, nihilominus esse atque manere Clavem optimam.*

(*Wurzerio Augustam Vind. d. 20. Mart. A. 1729. missæ.*)

OBSERVATIO CLXXV.

DN. D. JOH. ADAMI LIMPRECHTI.

Multis aliis frustra adhibitis Vinum Hungaricum, remediis Solamen Scabiosi inopinum.

MEdicum triginta annorum, natione Germanum, ab itineribus suis, ultra Octennium per Germaniam superiorem & Inferiorem, Belgium Fœderatum æque ac Hispanicum, quod nunc temporis appellatur Austriacum, Angliam, Galliam, Lusitaniam, Hispaniam & Italiam extensis, in Patriam quæ Poloniæ, Bohemiæ, & Hungariæ adjacet, reductum, *mala* occupat *scabies*, tam altas in eo agens radices, ut magno temporis spatio vix ac ne vix quidem ea funditus eradicari posset. Vana erant, pravos humores corrigentia pariter ac evacuantia, interna & externa, sollicita etiam diligentia assumpta vel applicata, observatâ insuper Diætâ exactissimâ. Sudores in balneo Laconico sæpius repetiti, videbantur ex omnibus remediis optima; sed videbantur saltem; ex uno enim loco cedebat pruritus, ut alium majore cum molestia vexare valeret. Tandem denique anno ferè peracto, chronici hujus affectus tenuisque diætæ pertæsus æger, invitatus ab amico, audet accedere convivium, in quo

melio-

melioris notæ *Vinum* ipsi propinatur *Hungaricum*, quo largius poto, sequentibus diebus in digitorum interstitiis non talem sentit ut antea dolorem, ulcuscula quoque, omnibus aliis medicaminibus sepositis, manifestè deprehenduntur imminuta; breviter ut dicam, cutis extremitas antiquum recipit nitorem. Pertinax etenim seri acritudo liquore isto oleoso, copiosi infuso obtunditur, imò recidivæ.

Cura fugit, multo diluiturq; mero!

(*Berolino Augustam Vind. d. 1. Maji A. 1729. missa.*)

OBSERVATIO CLXXVI.
DN. D. JOH. FRID. HENCKELII.
De
Chamæmelo monstroso.

(vid. Tab. XI. Fig. 3.)

Sistitur hic Chamæmeli mirabile germen
Monstrum formosum, si placet, egregium.
Hinc videas, quantum valeat natura Deastra
In regnis mire luxuriare suis.
Verum, cur ideo tibi fingis prodigiosa?
Raraque cur plus quam quottidiana placent?
Flores quot campis, en tot miracula prostant:
Quin illud θεῖον *gramina quæque docent.*

SCHOLION.

TAmetsi plena sint *Ephemeridum Acad. N. C.* volumina exemplis ejusmodi *monstrorum in plantis*, ipsumque *Chamæmelum* similiter propemodum male conformatum repræ-

præsentetur *Dec. I. Ann. III. Obs. 166.* minime tamen supervacua esse videntur repetita talium naturæ anomaliarum exempla, partim ut majorem fidem priora inveniant, partim ut ex complurium attenta comparatione, in phænomenorum, per tot species, Vegetabilis etiam Regni adeo frequentium, causas penetrare tandem liceat. Quod equidem, sicuti de animalium monstris expeditum hodie nondum est; quamvis in parentum phantasiam culpa communiter & facile referatur; ita *monstrorum in plantis*, eo sensu destitutis, tam frequens productio res est altioris indaginis. Jam pridem *Christ. Frid. Garmannus* singularem tractatum *de plantis monstrosis* promisit, teste immortalis memoriæ Viro *Phil Jac. Sachs à Levvenheimb, in Ephem.* A. N. C. *Dec. I. An. II. Obs. 48.* sed ille adhuc desideratur; cum interim extet *Jo. Dan. Majoris, de planta monstrosa Gottorpiensi Dissertatio*, in qua de coalescentia stirpium, & circulatione succi nutritii per easdem, nonnulla proferuntur. Ceterum plantas, monstroso coalitu sic prodeuntes, ut peramplam ostendant caulium latitudinem, cum exigua crassitie conjunctam, à Botanicis appellari *fasciatas*, versatum in his lectorem fugere non poterit.

OBSERVATIO CLXXVII.

DN. D. JOH. JACOB. BAIERI.

De

Aloes Americanæ, per suum semen felici propagatione.

QUamvis ab uno jam sæculo, & quod excurrit, in magna celebritate passim per Europam fuerit *Aloe Amer. major*, ac inter ornamenta hortorum frequens extiterit, rarius tamen eo perduci potuit, ut florem, nedum *fructum* proferret. Quare sicubi forte illud accidit, tanquam ad Naturæ quoddam miraculum contemplandum, ingens hominum,

num, etiam è longinquo factus est concursus. Et sane in omni vastissimo plantarum genere nulla hactenus est observata species, quæ post longiorem moram, tam subito protruderet, tamque brevi temporis intervallo perficeret amplissimum caulem, in tot prolixos abeuntem ramos, tot florum millia sustinentes. Nostra certe *Germania*, inter regiones Europæ haud postrema, sed inter primas *florentem* ostendit *Aloën Americanam:* quandoquidem anno sæculi superioris XXVII. talem in Horto Aulico Onoldino jam floruisse constat, & ab illo tempore diversis in locis idem evenit; uti ex adverso (quod mirum videri debet) in *Belgio* usque ad annum 1672. nulla florens observata fuit *Aloe*, *Abrah. Muntingo* teste, *in de vvaare Oeffening der Planten* pag. 243. In *Magna* vero *Britannia* proxime elapso demum anno, primam *Aloen* effloruisse accepimus. Currente hoc sæculo vix unus alterve annus præteriit, quo non alicubi phænomenon istud notatum fuerit, ut hodie, propter frequentiam, non parum minuatur ejus admiratio. Qui observationes circa istam *Aloen* instituerunt autores, quantum mihi constat, omnes de *fœcunditate seminis* ipsius nihil certi pronunciarunt, & *Tobias Aldinus*, sive (quod genuinum Viri nomen est) *Petrus Castellus*, *in Descript. Plant. Horti Farnes.* de eo plane dubitat; ut adeo in hoc usque tempus hortulani non alium *propagandi modum* cognoverint, quam *per stolonem*, sive sobolem, pone radices subinde pullulantem, avulsam & in idoneum solum translatam. Germaniæ autem nostræ, & hujus Emporio nobilissimo, *Francofurto ad Mœnum* debetur hæc gloria, quod felici successu tentaverit, ac primum consecuta sit *Aloes fœcundam sationem.* Nimirum anno hujus sæculi XXVI. in horto domestico, compluribus exoticis stirpibus instructo Viri Magnifici Dn. *Conr. Hieron. Eberhardi*, Medic. Doctoris, t. t. Reip. Patriæ Consulis Senioris, lætissime *efflorescens Aloë*, sub autumnum ultra centum *capsulas*, *maturo semine plenas* produxisse visa fuit; quarum una quædam, cum totius *Aloes* schemate, in Tabula ænea, pri-

mum rei antea nunquam observatæ specimen oculis curiosis præbuit. Inde vero Venerabilis horti Dominus spem concipiens fore, ut, quæ satis matura videbantur semina, terræ commissa germinarent, eorum nonnulla sub initium sequentis anni XXVII. serenda hortulano præcepit, optato penitus eventu. Quem cum animadvertisset Vir Excellentissimus D. *Joh. Georg. Kisnerus*, laudatæ Reip. Physicus & Illustris *Eberhardi* ex Sorore Nepos, Amicus inter veteres mihi carissimus, operæ pretium esse duxit, ut istius germinationis initia & progressus ad sextum usque mensem, in duobus novellarum plantarum individuis accurate delinearentur; quæ schemata venerando Avunculo suo dedicata, cum bona Nobiliss. Autoris venia, in perpetuam rei feliciter gestæ memoriam, hic inserenda curavi, (vid. Tab. XII.) hoc quidem libentius, quo jucundior mihi extitit novi ipsius phænomeni αὐτοψία, cujus recordatio subinde renovatur, quoties intueor illam, eodem satu productam *Aloen*, dono datam à laudato Viro, & pulcherrime succrescentem in Horto nostro Academico. Memorabile autem hoc etiam est, quod idem sationis experimentum, sequenti aut tertio quoque anno repetitum per asservata semina, prospere evenerit; unde patet, ipsa esse ex eorum genere, quorum fœcunditas ac virtus germinandi per annos plusculos durare soleat. Ceterum accuratam *Aloes Americanæ historiam*, è propriis Observationibus, in ista Norimbergensi, quæ anno eodem floruit, singulari industria institutis, Excell. D.D. *Trevv*, Collega noster amicissimus, condidit ac divulgavit.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXVIII.

DN. D. JOHANNIS CAROLI ROSTII.

Hepar ſcirrhoſum oſſeis concretionibus & calculis refertum, in viro, qui Aſcite & hernia laboravit, defuncto.

VIr 46. annorum, temperamenti melancholico-cholerico-ſanguinei, texturæ corporis mediocris, ad gracilitatem vergentis, iracundis animi commotionibus ac vitæ generi rudiori, mutationibus tempeſtatum expoſito, inſimulque victui irregulari, non raro cum repentina potulentorum ingurgitatione ſubjectus, antehac ſanus, ſub initium ætatis virilis, dolore ſenſim invaleſcente obtuſo, continuo, in hypochondrio dextro, ſeu Hepatis tractu, cum tenſione & magis magisque palpabili renixu absque evidenti tumore infeſtabatur, quem haud ita diu poſt ictum pedis ab homine petulanti huic regioni illatum, primo emicaſſe, patiens poſtea recordatus eſt, qui eundem ſibi non adeo moleſtum, pectoris anguſtia cum reſpirationis labore irritationibusque tuſſiculoſis ſiccis, ab illo tempore adauctum, negligenter habens, per intervalla largam narium, modo dextræ, modo ſiniſtræ hæmorrhagiam, aliquot libras nonnunquam excedentem incurrit, qualem in juventute parcius expertus eſt. Varia equidem intra biennium fluxui ſanguinis domeſtica opponebantur auxilia, Epate oblito; ſed inconſtanti partim cum ſucceſſu, partim &, hæſitante ſanguinis excretione, cum ſenſibili reliquorum incommodorum, tuſſis præcipue & aggravationis anhelitus incremento, quibus jungebantur abdominis extenſio, flatulentia, & frequens mictionis teneſmodes imminutio, quin ad unum alterumve diem plenaria ſuppreſſio, urina dein interdum cruenta, ſemper vero cum ſedimento craſſo, farina-

ceo-feculento rubello procedente. Rebus ita comparatis accersitus, ponderatis circumstantiis, Hæmorrhagiam hancce narium, utut insolenter ætateque incongrua insistentem, salutari tamen scopo à Natura fultam æstimavi. Ægro etenim inter confinia illa, ab *Hippocrate* S. III. aph. 29. 30. indicata, versante, ubi congestiones ad pectus adhuc diriguntur, proxime cum motibus hæmorrhoidalibus permutandæ, sanguis ab Hepate coarctato impeditius admissus, redundabat ad pulmones, molestiam spirationis, compresso à Jecore diaphragmati ex parte innixam cumulans, infarctumque ibidem, Hæmoptoën, Phthisin imo ac tabem minitans; qualem ab hæmorrhagia narium periodica, uberiori etiam, præcaveri vel protrahi constat: prout ipsemet in aliquot subjectis experientia edoctus novi, & à *Chr. Bennet* in Theatr. tabidor. p. 14. sequ. confirmatur. Incautam adeoque per empirica stringentia depletionis hujus spontaneæ cohibitionem intentatam improbans, suasi Venæ Sectionem in pede, extra Paroxysmum, circa æquinoctia, pediluvia, blanda laxantia, diluentia, resolventia ac temperantia nitroso-salina, antispastica, cinnabarina; quibus non tantum Hæmorrhagiæ innocenter consulebatur, sed & depravato Hepati & consectariis inde pullulantibus, quantum possibile, prospiciebatur: urinæ vitiis egregie quoque sublevatis, quæ adhibitis pellentibus exasperabantur, & deficientibus signis pathognomonicis sufficientibus, non tam Nephritidi aut calculo, uti credebatur, quam aut anomalicis moliminibus hæmorrhoidalibus, aut aliis spasticis evagationibus per consensum ad vesicam, colludentibus, ab inordinato sanguinis per viscera abdominis motu & toni intestinalis variatione oborientibus flatuosis contentionibus deberi mihi visa sunt. Catheteris immissionem æger gravissime & sine fructu ferebat. Enemata demulcentia & carminativa, Cataplasma notissimum è cepis sub cineribus assatis, unctiones perinæi antispasmoticæ oleosæ camphoratæ, ac, si refrigeratio artuum inferiorum præcesserat, later calefactus plantis pedum appositus, præter

inter-

interna ſuperius indigitata, promtum dabant auxilium. Urina craſſa tum libere progrediente, uſus Decoct. nephrit. For. à Zwelfero correct. nec non modeſtorum carminativorum, excluſis acribus aromaticis, è re erat.

Per plurium menſium ſeriem Patiens ſic ſatis commode vixit. Ingruente vere anni 1727. expanſione infimi ventris, cum flatulentia impetuoſiori perterritus, alieno conſilio vaporem Specierum pro Vino abſinthite compoſito reſiduarum, adjectis lapidibus ignitis excitatum, cruribus ac abdomine excepit: ſed brevi poſt una cum Hydrocele transparente, pedumque inflatione œdematoſa, indubitatum ſe ſiſtebat Aſcitico-tympaniticum exordium; quod tamen intra ſex ad octo ſeptimanarum ſpacium, circa medium Junii, adhibito interne vino medicato è reſolventibus aperitivis amaris & diuretico-laxativis, ſubjunctis Pilulis balſamico-viſceralibus, Mixtura tonica &c. tam bene fuit terminatum, ut ſcrotum topicis diſcutientibus provide tractatum; per rimas tenuiſſimas ſub forma intertriginis humorem lymphatico-glutinoſum ſeroſumve copioſe diuque fundendo, ſucceſſive ad naturalem ſtatum rediret, & æger œdemate pedum extricatus, tumore abdominis imminuto, anguſtia præcordiorum tuſſique maximam partem ſublatis, ſiniſtro ac dextro lateri promiſcue incumbere, extraque domum negociis ſuis vacare denuo poſſet; valetudinarius interim & obſtaculorum ſuorum urinandi haud penitus immunis.

Anno 1728. exeunte Februario, certior fio, illum Exomphalo laborare, quem præter Bubonocelen & Oſcheocelen celatas, olim, neſcio qua occaſione, ſe contraxiſſe nunc confeſſus eſt; qualis quidem ipſi non adeo curæ erat: ſiquidem pauca opera, nuda aliquot digitorum applicatione ac preſſione, tumorem ſub audito rugitu retropellere poterat; hinc affectum parvi ducens, faſcia appropriata ſe non munivit. Hac vice formata hernia conſuetam repoſitionem reſpuebat, quam Patiens clinicus factus, ipſe multoties fruſtra tentârat, ſicque

 non-

nonnisi lacessiverat. Dolores hinc accendebantur acerbissimi, cum agrypnia & jectigationibus, alvo tamen nondum obstructa. Tertius jam prӕterierat dies, cum demum mane vocatus, Omphalocelen cerno pertinaciter incarceratam, tumorem scilicet ex ipso umbilico elatum sphӕroideum, pomi grandioris magnitudine, superius nonnihil planum & in medio levissima vestigia umbilici gestantem, basi angustiori, diametri majoris abdomini parallelӕ tertiam forrassis partem emetienti insidentem, durum, urentem, summis cruciatibus ӕgrum exagitantem, qui nullatenus tenuis intestini, jejuni aut ilei portionem captam, prout ego ipsi fidem faciebam, sed unice flatus detentos subesse putabat. Cum pulsus moderate febrilis tactui se offerret, nec sitis nec calor urgerent, potius horridulus aliquis rigor corpus vel pauxillum saltem denudatum pervaderet, prӕmisso prognostico, ordinavi remedia interna Inflammationi inchoanti resistentia, Clysterem emollientem ac lenientem, nec non Cataplasma emolliens quoque & demulcens, jugiter renovandum; cum cautela, ne nimis diu ipsi inhӕreatur, nisi intra paucas horas solutionis spes affulgeat: cum secus tumor vel ob rarefactos intus halitus crescat, vel affluxus cieatur, inflammatioque ac gangrӕna acceleretur, Operationisq; ultimo subsidio opportunum momentum prӕripiatur, ad quam communiter serô consentitur; & partium strangulatarum necrosis ante jam accedit, quam topica seponuntur; id quod & in nostro casu advertimus; siquidem nondum paratis pharmacis internis, nascitur singultus, pessimo omine. Clyster ad semihoram retentus, binis dein largis dejectionibus aquosis, absque flatuum consortio redditus fuit. Post meridiem mature ӕgrum visitans, raucum eundem & in extremis angustiis constitutum comperio, cum pulsu febrili, sed titubante, parvo atque oppresso. Erumpit, me adstante, insolens vomitus iteratus quantitatis prodigiosӕ phlegmatis flavescentis spumidi inolentis. Umbilicus tumens, tensus, ex rubro lividus in apice exsudabat saniem purulentam, indu-

sium

sium agglutinantem, claro gangrænæ præsentis & funesti exitus instantis indicio; qualis & altero die circa diluculum contigit.

Insequente nocte cadaver impetravimus, sectione quantum angustia temporis permiserat, lustrandum: ubi decussatim inciso Exomphalo, statim in conspectum prodibat tenuis intestini portio replicata, quinque circiter digitos longa, inanis, undique sphacelosa & inflata, ab annulo umbilici arctissime strangulata. Jejuni erat pars, sicuti plerumque assolet; quamvis Parisiis ex ore celebris Chirurgi Dn. Arnaud habuerim, observasse ipsum Hernias umbilicales, quæ intestini coli partem includebant, absque ullo omento: & hoc etiam aliquando in homine quodam valde obeso. Ita insignis famæ vir, Dn. Petit pariter ibidem narravit, se anno 1714. Operationem talismodi Omphaloceles peregisse, in qua plicam coli repererat, nihilque Omenti; cujus nec nobis Casus noster aliquid obtulit; quod tamen respectu situs necessario semper fieri debere quis existimet. Neque enim Epiploon hanc Herniam intrasse, à priori, præter alia, id mihi persuadebat, quia incarceratione, etsi aliquandiu jam durante, vomitus nullus alimentorum se exeruit, qualis propter connexionem omenti cum ventriculo alias sociatur. Et vomitus quidem ab Herniis umbilicalibus, intestinum jejunum continentibus, etiam imminet, citiusque quam alvi suppressio, ob brevem distantiam hujus intestini à pyloro; quemadmodum Bubonoceles & Herniæ completæ scrotales, ilei quid includentes, ratione contraria, feces alvinas facile remorantur, & vomitus his tum demum familiares quoque sunt: notabitur vero materiam rejectam heic stercoracei fœtoris esse; in Enteromphalocele autem liquida emesi exturbata, haud alimentosa, longeque minus fœtoris spargere: ex hoc sane fundamento, quod supra intestinum jejunum parciora excrementa reservantur, quam in ileo.

Aper-

Aperto abdomine, prosiliente statim largissimo rivo serositatis flaviusculæ, cujus & omentum fracidum, inæqualiter explicitum, in duplicatura sua ultra libram reservabat, Ventriculus protuberabat horrendum distentus, cum vasis suis coronariis nigricantibus, & intestinorum flatibus turgidorum ac inflammatorum canali. Ilei continuationes istæ, quæ antehac Hernias inguinalem & scrotalem repleverant, corruptæ apparebant & gangrænosæ. Mesenterium glandulis aliquot scirrhosis obsessum offendimus, molle, laxum, Herniarum intuitu, & occasione percussionis in infimum ventrem perpessæ, forsitan alicubi à naturali cohæsione separatum aut dilatatum. Verisimillimum namque est, Hernias intestinales hoc primitus requirere, quoniam intestina eidem firmiter alligantur, adeoque è sede sua deflectere nequeunt, nisi mesenterium ob quascunque violentias prius cedat. Ita illi, qui quassante equitatione infeliciter Hernias incurrunt, sentiunt ordinarie prius tensionem dolorificam circa umbilicum & lumbos, quorum primæ & tertiæ vertebræ mesenterium affixum est: argumento haud obscuro mesaræi afflicti, tensi vel diducti; remittente postea simul peritonæo & annulis dilatatis, tandem intestinum propria gravitate descendit: id quod sæpe simul & semel quidem accidit, sed non æque sine prævio hoc supposito. Arte procuranda Enterocele aliqua in cadavere, conjecturæ huic non parum suffragabitur.

Pancreas in subjecto nostro marcidum & vix dignoscendum, Splen infarctus & semicorruptus extitit. Hepar cum diaphragmate alte sursum, Thoracem versus, tractum & retortum latitans, modice tumidum, tunica crassa robustissima, instar corii strepitum crepitantem sub dissectione concitante vestitum, lobis solitis minus interdistinctis contemplati sumus. Nulla in eo corpuscula glandulosa separata, sed lapillos quosdam fuscos, quorum præcipui piperis granum æquabant, deprehendimus; massam autem ejus tenacem, renitentem, albicantem & cinericiam; quamvis in latere sini-

stro

stro tantillum illius naturaliter fuerit coloratum. Folliculus fellis, lapidibus destitutus, bile saturatiori abundabat. Quam maxime vero mirabamur, cum in jecinoris parte alias concava, circa truncos & ramificationes eminentiores vasorum, inveniremus molem singularem latæ dimensionis, ad latera & retro exporrectam, quæ profundas undique radices agens, in tendineo-fibrosa sua compage intertextas fovebat concretiones copiosissimas materiæ solidæ ex albo dilutissime flavescentis, inæquales, rigidas, frustulatim junctas, transitum nihilominus per aptata interstitia vasis sanguiferis concedentes. Digitis & cultro fortiter resistebat hæc substantia, tophaceo-calcaria vel gypsea idcirco nobis putata; ast exemta ejusdem portione aliqua, & variis modis posthac intimius disquisita, osseæ spongiosæ qualitatis apparuit, sicque particularum chyloso-mucilaginoso-terrestrium condensatarum complexus. Quidnam vero in hoc viscere illarum collectioni & combinationi ansam suppeditaverit, haud liquet; nisi ictus pedis memoratus; excitata scilicet læsione contusoria abscondita apostematode: facta postmodum diuturnitate temporis, cooperante Naturæ industria, humoris extravasati lymphatico-glutinosi inspissatione & lenta induratione. Renum amborum pallidorum illibatorum dexter perexiguo lapillo donatus fuit; nullus vero in vesica latuit, cujus fundus siderationis stigma monstravit, tanquam productum ex vicinia intestinorum inflammatorum, & urachi cum umbilico nexu forte derivandum: Ut adeo culpa tot ac tantarum ab ægro in vita toleratarum mictionis afflictionum & lotii cruenti crassi, non tam domestico cuidam viarum urinariarum pathemati, quam sanguinis viscera abdominis coacte perluentis motui congestorio spastico hæmorrhoidali, vicario modo ad vesicam quandoque directo, probabiliter tribuenda sit. Quod ad pulmones attinet, luridi hi oppletique fuere, lobo dextro ubique costis arcte adnato. Nullam in pericardio aquam exuperantem;

neque in corde, præter pallorem admodum languentem, notatu digni quid deteximus.

OBSERVATIO CLXXIX.

DN. D. JOANNIS CAROLI ROSTII.

Alvus circa eruptionem Variolarum compluribus periculosis symptomatibus stipatarum, ex usu pulverum antispasticorum largiter & critice soluta.

QUæ ab autumno anni 1727. ad veris succedentis finem apud nos grassabantur variolæ, benignæ utplurimum erant, in multis tamen infantibus anomalæ quoque & non absque malignitate: quales, inter alias, observare mihi licuit mense Februario 1728. in puello quadrimo, florido, pro ætate satis sapiente, cujus binæ sorores, natu major una, altera illo minor, omnibus præservativa laxatione ope Mercurii dulcis à saburra primarum viarum liberatis, pari cum ipso tempore, distincta affectus hujus indole laborantes facile eandem ferebant; is vero ultimo correptus, ancipiti adhuc existente morbi statu, in tanto eminentiori discrimine, juncto præsidio divino, Naturæ & artis effectu haud intentato, brevi extra periculum esse cœpit. Invaserant illum variolæ solito quidem more, alvo adstricta; urina parciore &c. vehementiora tamen mox ingruebant symptomata, atrocissimi præsertim dolores spastici in dorso, vix remittentes, absque ulla vomituritione, ac sudor continuus profusissimus, quem *Sydenham* nonnisi adultis tribuit, variolasque hinc minime confluxuras conjicit, adeoque nec nobis tales expectandas esse persuadebat; quamvis eruptionis manifesta indicia, quæ secundo jam die completo apparuerant, id quod in confluentibus accidere vir clarissimus meminit, contrarium iterum indigi-

digitabant. Cum sudoris stupendus profluxus inevitabilem feri difflationem, virium deficientium totale dispendium, sanguinis inspissationem, miasmatis noxii per cutim tardantem exitum ac pustularum insufficientem exclusionem minaretur: opposui dubio malo, præter regimen temperatissimum, Emulsiones temperantes analepticas, præcipitantia absorbentia, addito nitro, omissis diaphoreticis efficacioribus; pro potu humectantia non plane aquosa. Ægrotulus interim ultra quartum usque diem nil mutatus, ad visum semper in deterius ruens, delirabat valde; extra mentis alienationes autem muscas oculis suis obvolitantes accusans, pulsum offerebat admodum febrilem, parvum, inæqualem, alvo adhuc obstructa, urina cruda, sine vomitu, cum agrypnia, siti, anorexia, præcordiorum gravi oppressione. Inter extremas debilitates, quam maxime eum excruciabant dolores tendentes ferocissimi lumborum & dorsi, brachium sinistrum scapulasque in consensum rapientes, rhevmaticis similes, oculis non minus ac facie sub stridore dentium spastico-convulsivos motus monstrantibus, efflorescentia illa variolosa primogenia ad sensum disparente. Instantem juste quis tum suspicatus fuerit funestam catastrophen? Scripsi pulverem antispastico-absorbentem ex epil. March. gr. xij. corall. rubr. ppt. pulv. lumbr. terr. āā. gr. vj. C. C. aurat. & cinnab. antim. rectif. āā. gr. v. in tres partes dirimendum, ut singulis tribus vel quatuor horis una earum cum vehiculo ex aquis fl. til. pœon. ceras. nigr. cinam. bugl. & Syr. fl. pœon. daretur. Deglutita laboriose prima dosi, elapso unius circiter horæ intervallo, alvus aliquoties lubrice & ubertim soluta, cum excretione fusca tetri fœtoris, elucescente statim insigni levamine, cum dolorum dorsi omnimoda pene cessatione. Post alteram exhibitam medicamenti portionem, denuo repetitæ alvi dejectiones liquidæ, vi quasi prorumpebant, puellusque evanidis doloribus dorsi, deliriis ac sudore, quinto nunc die eruptionis variolarum læte & constanter increscentis progressum

decentem experiebatur. Blando abreptus ſomno, poſteaque expergefactus, juſculum & ſcutellam Infuſi Thée deſiderabat. Urina emiſſa ſedimentum depoſuit craſſum, albicans, farinaceum, cum cryſtallulis plurimis tartareis vitri parietes occupantibus. Jam vomitus aliquoties acceſſit. Ex ultima pulveris doſi alvus haud amplius aperta, neque tamen poſtea per reliquam decubitus periodum ſuppreſſa fuit. Ratum itaque habemus cum *Wedelio*, Naturam medicamenta pro humorum diſpoſitione & ſuo modulo actuare, hosque mediantibus illis, ea expurgare via, qua viſum fuerit commodius. Cumque lubricam alvum & diarrhœas in variolis, præſertim earum initio, non innoxias ſolum, ſed & ob præſentem pravorum humorum copiam & ingluviem nimiam congeſtam, morbi fomitem futuram inde imminutam, cum Baglivio aliisque utiles quandoque deprehendamus, ipſeque *Sydenham* eas nonnunquam in confluentibus eruptionem præcedere, & ad diem unum alterumve poſt illam protrahi doceat; ſalutariter hac noſtra occaſione factum crediderim, Principium vitale activum in anguſtiis verſans, particulis cinnabarinis mercurialibus, ſerum liquantibus, opportune adhuc exſtimulatum, hanc evacuationem in tantum urſiſſe, in quantum ea neceſſaria fuerat pro morbo in meliorem ordinem reducendo; cujus etiam ulterior decurſus ſub congruo miniſterio therapevtico felicem nactus eſt exitum, variolis in facie & artubus horride confluxis, in trunco autem numeroſiſſimis, paſſim cohærentibus, in quintam ſeptimanam perſiſtentibus &c.



OBSER-

OBSERVATIO CLXXX.

DN. D. JOANNIS CAROLI ROSTII.

Tumor bubonodes ſuppuratus tormina hyſterica primum ſalutariter excipiens ; denuo reverſus cum Colica inflammatoria lethalis.

VIdua 63. annorum, ſanguineo-melancholici habitus, varicoſis crurum vaſis prædita, Venæſectiones pedis dudum aſſvetas non negligens, præter hyſterico-vertiginoſa & flatulenta chronica incommoda, diu hemicranico-cephalalgicis moleſtiis in latere dextro frequenter afficiebatur, quæ cum torminoſis clandeſtinis murmurationibus in abdomine alternabant. Circa ſolſtitium brumale anni 1728. ſæviores cruciatus colicos ſpaſtico-tenſivos hic illic ſedem figentes, præſertim autem dextra abdominis parte, hypochondrium verſus, dolorem pertinacem percipit, ac ſimul menſium per decennium jam ceſſantium reviviſcentia molimina cruenta. Conquieſcentibus his turbis, dolor oritur in inguine dextro , femur & coxam in conſenſum trahens , præviaque leni inhorreſcentia, calor exſurgit febrilis , æſtuans, cum ſiti, pulſu celeri & frequenti parvo , urina rutila, cruda, agrypnia, delirabunda mentis inconſtantia, anorexia & languore univerſali. Cum locus glanduloſus ſtricte affectus quodammodo intumeſceret , non ſine duritie, ardore & late diffuſo rubore, Eryſipelas fortaſſis latere judicans, quale quid ægra olim ſemel leviter ſaltem perpeſſa eſt, præſcripſi interne diapnoica antimonialia fixa , temperantia cum aquis convenientibus ; externe Epithema ſiccum farinaceum, e pulv. eryſipel. Mynſ. & fl. Cham. R. Samb. &c. Interim augeſcens aliquantum tumor, dolore nunc multo intenſiori lancinante ac

pulſante ſtipatus, ſuppurationem expectandam innuebat. Impoſito hinc Emplaſtro diachylo, inſequente nocte ſponte apertus, largam fundebat copiam materiæ purulentæ ſanguineo-ſeroſæ putidæ, coloris obſcuri excrementa alvina redolentis, adeoque adjacentis inteſtini ſimul afflicti indicio. Propulſo ſic ope motuum febrilium & ad ſuperficiem corporis in locum glanduloſum minus nobilem congeſto ſuperfluo vel noxio latice, ſuccedit omnium ſymptomatum præſentanea alleviatio, urina etiam cocta. Subjunctis internis alvi obſtructionem præpedientibus, Infuſo Theæformi ex ſpeciebus temperatis ab intra repurgantibus, aliisque medicamentis neceſſariis; Chirurgus ulcus profundum ad ſordeſcentiam & livorem pronum, appropriatis mundificantibus balſamicisq; rite tractando, feliciter perſanavit, & ægra plenarie fuit reſtituta. Vixit in hoc incolumitatis ſtatu in ſextum menſem, Venæſectionem æquinoctialem in pede interea cum euphoria experta. Seneſcente Vere, aliquando tacita iracundia cum terrore commota, poſt aliquot dies, ſera nocte, ex improviſo immani dolore colico inflammatorio fixo, in regione illa abdominis ſupra notata dextra denuo inſultatur, cum gravi lumborum tenſione & vomitu creberrimo humoris flaviuſculi, limoſi, intermixta pituita, fœtoris ſtercoracei. Jungebantur mox borborygmi, eructationes flatulentæ, ſingultus & accidentia febrilia ante recenſita. Urinam Patiens cum ardore parciorem reddebat aurantiam, lixivioſam. Alvus, quæ ſub initium ſemel iterumque lubrice aperiebatur, absque flatuum egreſſu, dein ſuppreſſa permanſit. Intra primum ſtatim nycthemerum, vibices maculæque purpureæ in imo ventre, facie colloque, dextro potiſſimum latere, comparebant; quæ tamen medicamentis fundamento rei quadrantibus, quantum ob emeſin retineri poterant, ſenſim diſſipabantur, cum ſenſibili potiorum ſymptomatum ex uſu Enematum emollientium, paregoricorum, diſcutientiumque camphoratorum levamine: ita, ut die tertio, urina rutila turbata, absque

ſedi-

sedimento, cuticula tantum ex albo livida vitrum vestiente excreta, intumescentiæ illius inguinalis antehac suppuratæ, nunc renascentis, indicia manifesta simul accederent, & facta cito dehiscentia spontanea, pauxillum similis humoris prodiret, ac vomitu rejiciebatur. At morbo repente per omnia iterum crescente, cum vomitu bilioso modo dicto continuo, gulæ spasmo, raucedine, ægra finiente die sexto obiit. Sunt in vulgari Praxi, qui docent, in ejusmodi casibus, præ omnibus dolorem vomitumque, tanquam symptomata urgentia, esse demulcendos, idque anodynis ac opiatis: Quo cum successu, videant imitatores. Ego certe hoc scopo, vel maxime innocuis sopientibus externis & internis, caute adhibitis, aliquantulum obtento, angores præcordiales immensum exinde auctos, tanto insolentioribus postea commotionibus & periculis ansam suppeditantes, cognovi.

(*Norimb. Augustam Vind. d. 18. Jun. A. 1729. missæ.*)

OBSERVATIO CLXXXI.

DN. D. JOANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

De

Vulnere lethali, ab ictu Sclopeti, lardo solum & Cannabi contorta infarcti.

IN *Ephemeridibus Acad. Nat. Curios. Cent. VI. Obs. 88.* Celeberrimus D. *Heisterus* historiam recenset Vulneris lethalis in Capite quo rusticus ex Sclopeto majori, sola charta masticata repleto, percussus, subito & improviso obiit, indeque concludit, non semper plumbo aliisve metallis, aut duris corporibus opus esse ad interficiendos homines, sed solam chartam sufficere posse: quam assertionem sequens, elapso

anno

anno observatus fere consimilis casus ulterius confirmabit.

In vicina præfectura Exactor (der Vogt) concedente præfecto; ad inhibendam malitiam subditorum, terrendi non vero nocendi animo sin sclopetum exploderet, frustula lardi cum Cannabi loco globulorum plumbeorum sclopeto intrudit: Obvius ipsi fit juvenis rusticus 18. vel 19. annorum, qui in delicto quodam deprehensus, comminationem illius nihil curans, cum pertinaciter reluctaretur, ut à verbis ad verbera res veniret, vim experiebatur. Etenim exploditur infelici fato sclopetum, & quidem proxime in rusticum: qui vulneratus concidit in terrram, ingenti ex vulnere hæmorrhagia subsequente; exanimis deportatur in proximam casam; vicinus Chirurgus advocatur, qui vulneris curam debito modo suscipit: tertio demum die cum alio Chirurgo accersor, ægrotum invenio agonizantem de nimio & extremo frigore, (cui æquale in nullo moribundo memini me observasse) tum & ineffabili præcordiorum anxietate conquerentem mentis tamen compotem: vulneri in pectore satis amplo, debito modo externis à Chirurgo applicatis prospicio, & internis Bezoardicis, antifebrilibus, Analepticis, imminentem mortem avertere annitor: Spe quidem aliqua per insequentem noctem affulgente, successu vero feliciori eam destituente; altero nempe die post meridiem, sub intolerabili anxietate vulneratus moritur.

Sectione judiciali pro more instituta sequentia annotare licuit 1) Vulnus sub papilla dextra intra sextam & septimam costam, ea amplitudine, quam vix manus tegere poterat, ob musculos subjacentes combustos valde nigrum 2) ictus pulmonem in dextro latere ad manitudinem palmæ ambustum & laceratum efferat: 3) in ipsius substantia deprehendebantur frustula lardi discerpta; 4) integer vero lobus dextri lateris ambustus erat & sphacelatus: 5) cum vero ictus sclopeti ex pulmonibus per diaphragma in hepar descendisset, in diaphrag-

phragmate foramen Unciæ amplitudine conſpiciebatur; 6) Ipſum vero hepar ad medium usque pari Vulnere laceratum, & in profundo ipſius portio Cannabis contortæ, qua ſclopetum infartum fuit, hærebat; 7) Ramificationes Vaſorum hepaticorum omnis generis laceratæ, 8) tota abdominis cavitas ſanie putrida & fœtida, qualis ex Vulnere, dum vixerat ſauciatus, in magna copia effluxerat, repleta; ut adeo complura lethalitatis abſolutæ apparerent indicia, cum manifeſto inſuper documento, propinquam nimis exploſionem rerum, alias ad necem inferendam minus aptarum, interimere hominem poſſe.

OBSERVATIO CLXXXII.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Salacitatis Exemplum ſingulare.

SIne Cerere & Baccho friget Venus, tritum quidem eſt Proverbium; Temperantia etiam & Labor adæquata libidini extinguendæ, aut minimum compeſcendæ, remedia ab iis præſcribuntur, qui corpori & animæ mederi cupiunt. Non univerſale tamen hoc eſſe remedium, ipſa nos docet rerum magiſtra, experientia; cum illi, quibus res anguſta domi parciſſimum etiam & ſimpliciſſimum victum imperat, duriſſimis inſuper laboribus deteruntur vires, numeroſiſſimam ſæpius indignantur prolem, quam gaudeant de ipſa. E pluribus aliis recordor me noviſſe opificem quendam, quinquagenarium, corpore puſillum, gracilem, ſtrigoſum, alacrem vero & bilioſum, in convictu temperantem, & laborioſum, in Venerem adeo pronum, ut, ſi paucis tantum diebus cum uxore concumbere nequeat, pudenda ei inſigniter intumeſcant; quamobrem nec ſtare, nec incedere, nec ſedere tum poteſt.

poteſt. Quin ex eadem jam cauſa pene ad furorem perdu-ctus eſt.

OBSERVATIO CLXXXIII.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Canis Variolis per contagium affectus.

BRuta per contagium hominum infici morbis, monſtrant diverſa exempla. Simile quid & meo accidit cani domeſtico, qui cum infantibus meis variolas tunc habentibus ludens, lotium eorum etiam nonnunquam bibens, exanthematibus rubris varioloſis in Abdomine & circa Penem, iisque præſertim locis, ubi pauci vel nulli aderant pili, per aliquot torquebatur dies, quiritando & ejulando dolorem inde ortum indicans; bene interim appetens, & aſſiduo ea lambendo ac lingendo brevi rurſus curans.

OBSERVATIO CLXXXIV.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Carnium Sapor ſtercoreus.

CUram gerebam viri memoriæ debilitate & Paralyſi correpti, divina tandem gratia ſanitati reſtituti. Hic inter alia ſymtomata ſontica conquerebatur, ſe ante aliquot annos à Medicaſtro quodam remediis incongruis, præſertim Mercurio aliquo ſic dicto Diaphoretico, omni hactenus odore & ſapore naturali privatum eſſe. Carnes autem, bovinam imprimis & vaccinam, ſtercus ſapere humanum, quem ali-

aliquatenus tamen corrigere poterat saporem, si minutim eas concisas cum sale culinari atque Zingibere permiscebat. Revocavit mihi hoc in memoriam casum notabilem deturpati saporis, quem B. D. D. *Joh. Matthæus Faber*, Physicus olim Hailbrunnensis dexterrimus, *Plato* I. dictus, cum B. D. D. *Septimo Andr. Fabricio*, Poliatro olim apud nos celeberrimo atque gravissimo, per literas communicarat, quem ex Manuscriptis hujus cimeliis ipsissimis ejus hic subjungere verbis nullus dubito. Sic autem disserit ille Heilbronn. 1679. proprid. Cal. Jul: Obtulit se mihi paucis abhinc diebus viva cadaveris idæa. Fœmina nobilis, septuagenaria fere, menstruis quidem soluta ab VIII. circiter annis, ejus vero loco hæmorrhoides, mutato duntaxat ramo vicino mesenterico hypogastrico, excretiones periodicas etiamnum sentiens. Hæc ab aliquot septimanis tanto fœtore intraneo laborat, ut nec cibos palato quidem sapientes, etiam famelica, accipere potuerit. Quamprimum enim cibus œsophago imminet, fœtor ille tantus emergit, ut necessario masticata & à ventriculo desiderata fercula cum horrore respuat. Hoc vero potissimum miror, fœtorem illum nullius plane alterius generis esse, quam mere & exactissime cadaverosum, tanquam carnis jam in putrilaginem diffluentis. Recordabar *Hippocraticæ* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν sententiæ, qua Volvulo hæmatiti fœtorem istum per dentes tamen tribuit. Restagnationi ergo tribuebam sanguinis fœdi, qualis per hæmorrhoidales ac uterinas venas excerni consuevit. Mirabar tamen faciem floridam, respirationem facilem, actiones expeditas, (quas quidem ipse etiam *Hipp.* agnoscit) nullum vel morbi vel abscessus ruptionis internæ vel cujuscunque solutæ unitatis dare vestigium. Etsi, antehac obesa satis, notabiliter extenuata sit, quod tamen tam diuturno jejunio merito tribuo. Indicavit pridie per ancillam (sesqui enim milliari abhinc ejus habitatio distat) cibum se nunc recipere paulatim, de fœtoris tamen statu nil memorabat. Saporis mere dulcis, & qui cum fastidio

omnia esculenta & potulenta eadem tinctura inficeret, rarum atque unicum exemplum habeo. Alterum observavit Excell. *Reiselius*, antehac Poliater Wormatiensis, nunc Archiater Würtemberg. suavissima amicitia mihi junctus.

OBSERVATIO CLXXXV.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Hæmorrhoides à Venæsectione Brachii suscitatæ.

Hæmorrhagias uteri & ani salutares Venæsectionibus Pedis magis quam Brachii promoveri, plerumque, nec sine ratione, asseritur & observatur. Novi tamen Principem quendam Serenissimum, qui ab anno hujus seculi quinto Hæmorrhoidibus stato tempore fluentibus cum euphoria hactenus gaudet. Huic, si in Vere, ut assuevit, Brachii vena tundatur, mox post Venæsectionem hæmorrhoides erumpunt & salutariter ad aliquot dies fluunt.

OBSERVATIO CLXXXVI.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Hæmorrhoides à juventute in senectutem usque liberaliter fluentes.

HÆmorrhoides minus & rarius excessu quam defectu peccare, passim inculcavit Ill. *Stahlius*. Documento ex aliis etiam sit Sartor quidam sexagenarius, macilentus, strigosus, egestate, ærumnis, curis, sollicitudinibus per omnem vitam confectus, nullarum sanguinis ventilationum artificialium

lium unquam conscius. Hectica tandem ex imprudenti Colicæ Hæmorrhoidalis per Narcotica suppressione consumtus.

Huic à prima pueritia ad ultimos usque annos Hæmorrhoides fluxerunt, ut ipse mihi narravit, nulla unquam earum in Regimine victus habita ratione. Quod si tamen, pro munere suo, nimium indulserit sedendo, in cœcas transiverunt, Mictu cruento dolorifico stipatas, præsertim ex ira, mœrore, terrore, refrigeriis &c. Recordor hic etiam viri juvenis, animi & corporis dotibus ornatissimi, atque magnæ spei, qui puer sexennis, jam satis crebro & largiter Hæmorrhoidum fluxum, præcipue post intensiores corporis aut animi motus, expertus est, quem tamen per providum magis moderamen, quam diffusum Medicamentorum apparatum incolumem servavi Dei gratia.

OBSERVATIO CLXXXVII.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Malum Ischiadicum Exulceratione Tibiæ solutum.

Metaschematismos Excretionum & Morborum perspexerunt prudentiores omnis ævi Medici; illustrarunt autem & luce nova vel clariore perfuderunt nostri seculi Machaones. Addam plurimis aliorum exemplis unicum sequens: Pistor ann. LIV. habitus strigosi, per omnem vitam medicamentis parum usus, ea nempe nec amans nec ferens, sed statim revomere coactus, Ischiadico sinistri lateris malo sæpius torquebatur; cum autem sub aliquo ejusdem Paroxysmo tibiam forte allideret, & hæc inde exulceraretur, dolor Ischiadicus omnis mox evanuit; hac autem consolida-

ta, etiam rediit, donec, sponte rursus rupto ulcere, denuo evanesceret. In consilium vero vocatus & consolidationem constantem ulceris, & Ischiadici mali felicem curationem, divina annuente gratia, paucis obtinui, ut nunc aliquot annis ab utroque malo immunis vivat.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

DN. D. JOAN. CHRISTOPHORI GOETZII.

Diarrhœa è Sudore matutino suppresso orta, hoc redeunte cessans.

VIr honoratus, aliquot ultra L. annos ætatis habens, vegetus, robustus animo & corpore, parum à morbis per totam vitam afflictus, variis in diæta erroribus ob Legati, quod tunc gerebat, munus obnoxius, mense Augusto anni proxime elapsi corripiebatur Diarrhœa, non parum molesta, cum fastidio, languore, artuum gravitate & lassitudine, anorexia, &c. opem petenti dabam XV. Pilul. Balsamicarum Carlii, quæ cum Becherianis, Hofmannianis, Stahlianis & his paribus conveniunt, sub lecti introitum deglutiendas; ex his autem nulla sequenti mane, ut alias plerumque fieri solet, alvi solutio, sed largus & cum tanta euphoria profluens sudor, ut & Diarrhœa ipsa remitteret, & æger in plenariam cum sanitate gratiam rediret. Interrogatus tunc demum fassus est, sese jam ab aliquot diebus sudores expertum matutinos neglexisse, imo incondito regimine eos suppressisse, vestigia suppressorum illico premente Diarrhœa.



OBSER-

OBSERVATIO CLXXXIX.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Apoſtema Panis melliti eſu curatum.

MUlier ſexagenaria, ſucciplena, obeſa, athletica, eryſipelaciis inſultibus crebrius obnoxia, Venæſectionibus & Scarificationibus ordinatis rite functa, Tumore & exulceratione Pedis per plurimos annos afflicta, à quibus tamen inuſto fonticulo, aliisque Medicamentis à barbitonſore quodam adminiſtratis, per biennium, aut ultra, liberata, ſub coſtis ſpuriis Hypochondrii dextri tuberculum digiti articulum æquans ortum deprehendit, & dolens quidem illud, ſi præſertim thorace ſtringeretur, rubens etiam & inflammatum, quod tandem ſponte ſuppuratum atque ruptum apoſtema reliquit diu pus plorans, ſine inſigni tamen aliqua alia moleſtia. Cum autem fortuito filia manipulum fragmentorum panis melliti ſine aromatibus ac amygdalis parati (ungemandelte Leb-Kuchen) attuliſſet, eum meditabunda inopiato ſucceſſive comedit. Triduo vel quatriduo poſt apoſtema exſiccatum & conſolidatum deprehendit ſine ulteriori aliquo ſubſecuto incommodo, & mali hujus reditu.

OBSER-

OBSERVATIO CXC.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Sternutatio crebrior, ab ingluvie, & Vomitus Avtocraticus.

SEnis curam gerebam, quintum ultra ſeptuageſimum agentis annum, vegeti, Hæmorrhoidarii, qui tandem è ſuppreſſis malo regimine Hæmorrhoidibus in Inflammationem internam & Vomitum cruentum lethalem incidit; cum eum biennio ante iisdem malis decumbentem divina aſſiſtente gratia, mortis faucibus eripuiſſem: Huic ſolennis erat ſternutatio crebrior quoties ventriculum cibis plus juſto oppleverat, & vomitus ſubitaneus avtocraticus, quo copioſam rejiciebat pituitam: Hoc finito per bihorium placide dormiebat, & dein ſtrenuus atque ſanus ad negotia & epulas revertebat.

OBSERVATIO CXCI.

DN. D. JOAN. CHRISTOPHORI GOETZII.

Contagium Diarrhœa & Sudore ſpontaneis enervatum.

MAtrona honeſta, patre athletico & vegeto nata, ipſa primo aſpectu non adeo robuſta, ærumnis etiam & malis non paucis detrita, animi vero virilis, medicamenta nec amans, nec ferre poſſe exiſtimans, annorum circiter L. adſtitit alii in eadem cum illa domo degenti feminæ,

quæ

quæ purpura miliari decubuerat; inde autem & ob cœlum tum summe æstuosum (accidebant nempe hæc mense Julii) tetra citissime correpta fuerat putredine, cujus cadaverosa effluvia superiorem domus partem, quam occupabat nostra, implebant. Tacita inde nausea affecta, & vigiliis, mœrore, debilitata incepit languere, fastidire, minus appetere, obtusa Cephalalgia & levi Cardialgia, post pastum imprimis, affligi, & paris mali insultum imminentem timere. Sed supervenit spontanea Diarrhœa ephemera, & hanc secutus sudor largissimus, per aliquot profluens noctes, nec tamen debilitans, sed reficiens potius; hunc autem aeri tunc perquam æstuanti externo non deberi probe animadvertebat, sed ab impetu quodam interno, inprimis circa spinam dorsi, propelli notabiliter sentiebat. Sic post paucos dies, subjuncta (meo consilio) diæta analeptica, plenariam rursus adepta est sanitatem.

OBSERVATIO CXCII.

DN. D. JOAN. CHRISTOPHORI GOETZII.

Pustula Genæ Variolarum vicaria.

FEmina XXX. & aliquot annorum, vegeta, variolas nunquam experta erat, liberis tamen suis variolosis impune adstabat. Cum autem filiolo iisdem decumbenti sedulo adesset, enascebatur in gena sinistra, sine ullis aliis Symtomatibus, pustula, quæ sponte suppurata & rupta saniem plorabat variolarum per omnia, fœtore imprimis illo subdulci nauseoso, simillimam, qua consolidata optime rursus valuit. Paucis tantum alvum leniter subducentibus & diapnöen servantibus magis, quam pellentibus, usurpatis.

OBSERVATIO CXCIII.

DN. D. JOAN. CHRISTOPHORI GOETZII.

Hydrops ascites Diuresi spontanea solutus.

COnsilium meum petebat femina hydropica, annorum LV, quæ jam ante quinquennium eodem morbo laborans liberata tamen fuerat, cum post iter curru Altdorfium peractum urina per multos dies sponte & largissime profluxisset. Redibat tamen, post semestre elapsum, morbus idem, sed rursus solvebatur post aliquot menses Diuresi spontanea, cum insigni strepitu prorumpente. Sic per tres aut quatuor immunis vivebat annos, donec circa Festum Michaelis denuo invaderet & in tantum augesceret hydrops, ut Prognostico suo relicta ægrota, variis medicastrorum experimentis enervata, mense Januario sequentis anni malo tandem succumbens expiraret.

OBSERVATIO CXCIV.

DN. D. JOAN. CHRISTOPHORI GOETZII.

Vomitoriorum diversus Effectus.

OPem meam petens Hecticus quidam conclamatus, inter alias Morbi sui Historias referebat, se nuper Pharmacopœo Tartari emetici gr. VII. vel VIII. extorsisse & pro una dosi assumsisse : nihil autem inde aliud, quam ali-

aliquot alvi dejectiones, secutum. Impatiens autem inde patiens hancce reiteravit dosin, nec eadem tamen vel ἄνω vel κάτω semel quidem motus, licet & largius superingesserit pinguia, & aliquoties præmiserit præparantia ac Digestiva. Secus evenit Principi Serenissimo supra laudato: Hic enim à prima jam juventute sæpius corripiebatur Vertigine atque vomitu, cum Cephalalgia & debilitate XIV. nonnunquam dierum. Hæc mala tunc ejus Medici Vomitoriis aggrediebantur, è quorum uno tam atroci convultus vomitu, ut dextri oculi bulbus ad angulum externum detortus constanter in eo ad hunc usque diem permanserit situ, rerum tantum aliquos radios, non autem distinctas species, recipiens.

OBSERVATIO CXCV.

DN. D. JOAN. CHRISTOPHORI GOETZII.

Remedia variorum Affectuum varia, usu confirmata, & Euporista.

AD æquos rerumque peritos provoco arbitros, annon insigne Rei Medicæ emolumentum & incrementum sperandum foret, si Remediorum, quæ alii prudentes & fide digni jam tentarunt ac laudarunt artifices, ulteriora prudenter fiant experimenta, &, pensitatis probe singulis momentis necessariis, effectus eorum observati candide vulgarentur. Præcipuum autem inter illa locum mereri *Euporista*, quin nec peritus rejicienda esse *Specifica* atque *Sympathetica*, quis negabit? Non incongrue itaque me facturum confido, si ea, quæ vel ipse observavi, vel ab aliis fide dignis

comperta habeo breviter enarrem. Quorum adeo catalogum, & alphabetica quidem illum serie contextum, hic subnectam.

I.

Abortum præcavens & Molas pellens.

Matrona quædam prudens & honesta in se ac pluribus aliis crebiori experientia probatum deprehendit remedium, à B. D. D. *Bürlino* olim præscriptum, seq. *Mali cydonii,* eo modo decocti, quo à mulierculis nostris inter dapes ultimas mensæ apponitur, frustum cum jusculo suo rursus calefactum, & singulo mane comestum; subjuncta paucarum horarum ab aliis cibis abstinentia, & abortum præcavet, & Molas, salvo legitimo fœtu, exturbat.

II.

Alvi Segnities.

Efficax & utile deprehensum illud *Borelli* Cent. II. Observ. XIV. Si nempe *mica panis tosta, oleo olivarum irrorata,* mane deglutiatur, idque bis vel ter repetatur.

III.

Ambustio à Pulvere Pyrio.

Asseruit Serenissimus quidam Princeps, se ex *Tabernæmontano* edoctum, *Artemisiam*, tam interne in decocto, quam externe in cataplasmatibus & pulvere insperso, ambustis pulvere pyrio tum & sclopeto vulneratis certissime & præsentissime mederi, idemque plurimis in obsidione urbis cujusdam cum fructu suasisse optato.

 VI. *An-*

IV.

Angina.

Retulit mihi femina, curæ meæ credita, filiam suam tunc decennem sontica laborasse angina, per aliquot dies durante. Supervenisse autem hospitem quendam ignotum, qui *Cataplasma, è Panis melliti, & Baccar. Junip. contus. āā. Mj. ac Vini* ℥vj. *coctum*, calidum inter lintea scrobiculo cordis imposuerit, jubens, ut per nychthemerum illic relinqueretur. Cum autem mater ab adstantibus post paucas ab impositione horas comperiisset, illum ter cataplasmati, cum parasset, insputasse; indignabunda statim id remotum in fluvium projecit, quod quidem è peregrini jussu post XXIV. demum horas fieri debuisset. Sed, eadem modo vespera optime rursus appetiit atque cœnata est ægra, angina penitus inde profligata, sine ulla notabili crisi, nedum insecuta molestia.

V.

Aphonia.

Vidua quædam vetula loquelæ usu per aliquod tempus omnimode privata, è consilio Theologi cujusdam pii, linteolum Aqua destillata Salviæ calida imbutum linguæ imponebat, & post horæ spatium loquelam recuperabat.

Verbi Divini cuidam Ministro propter minus rite succedentes Hæmorrhoides varia Pathemata Rhevmatica, & præsertim Ischiadica, familiaria sunt; in palato etiam crebrius prope uvulam vesiculæ minores exsurgunt, ultro rursus sine ullis aliis consectariis disparentes, aliquoties autem major ibidem pustula enata est sanguine turgida, quem sponte rupta emisit; semper inde patiens Apoplexiam incurrit cum

Aphonia, quibus jam tertia vel quarta vice correptus decubuit. Huic quatuordecim aliquando dies apoplectico & aphono uxor, suasu generosæ alicujus feminæ, *Folia Pulegii* in Aqua Fl. Salv. macerata linguæ subdiderat, unde brevi & plenarie rediit sermonis usus, quod experimentum dein in similibus casibus cum fructu repetiit.

VI.

Apoplexiæ Præservativum.

Idem Vir per plures jam annos ab apoplecticis insultibus liber, illud sequenti post divinam gratiam tribuerat remedio, olim ab Illustri nostro D. D. *Volcamero*, Patre, suppeditato: Nimirum *Sem. Sinapi* integr. ℥ij. in novem æquales dispertitur doses, quarum quotidie unam mane *cum ficu masticat* & deglutit Mense Martii, luna decrescente.

VII.

Calculus.

Pro vero mihi affirmavit Vir quidam gravis atque honestus, se ante hac crebrioribus & vehementioribus calculi cruciatibus obnoxium fuisse. Immunem autem tum ab his, tum aliis etiam, incommodis per plures jam annos vivere, quod die quovis Novilunium præcedente *tria allii capita, cum Spiritus Vini Rhenani cochleari uno*, comedat ac deglutiat.

VIII. *Car-*

VIII.

Cardialgia.

Corripiebatur mercenarius quidam juvenis vegetus atque robuſtus, poſt externum incaute admiſſum refrigerium & largiorem frigidum cereviſiæ hordeatæ, minus ſolitæ, hauſtum, horrore cum inſequenti levi ac brevi æſtu; faſtidio porro, laſſitudine, languore, faucium & deglutitionis moleſtiis, epigaſtrii dolore, alvo ſegniori, imprimis autem Cardialgia; abſentibus tamen æſtu, Cephalalgia, & pulſu febrili. Sanitati autem legitima methodo & adæquatis remediis poſt paucos dies redditus. Fatebatur tunc demum mihi, ſe notabile cardialgiæ levamen perſentiiſſe *è Cataplaſmate*, quod *è Foliis Salviæ recentibus cum Butyro frixis* pararant, & cum linteis ſcrobiculo cordis ac Abdomini impoſuerant, me inſcio, adſtantes mulierculæ.

IX.

Catarrhus & Raucedo.

Eximium *Æthiopis Mineralis* uſum perquam ſolide, pro ſuo more, edocuit CL. D. D. J. H. *Schulzius*, Profeſſor Medicinæ Altdorfinus celeberrimus. Hujus vero tum in aliis, tum præſertim in Catarrhalibus, & ortis inde faucium affectibus ac raucedine, laudatam efficaciam in me aliisque crebrius cum ſummo gaudio expertus ſum veriſſimam. Uſu etiam in ſimilibus faucium moleſtiis ſe probarunt *Species pro Tabaco*, quas communicationi venerandi alicujus Domini Collegæ grato debeo animo, ſunt autem ſequentes:

℞. Herb.

℞. Herb. Trifol. fibr. j. Heder. terr. āā. pt.ß. Cort. Cascar pt. $\frac{1}{8}$.
inc. Msc. pro Suffimigio, aut cum, aut sine, Tabaci foliis.

Catarrho detentos Chronico insigniter sæpius levabat femina plebeja *Pediluvio è Frutic. & Bacc. Junip. Fl. Chamom. Sale comm. Pipere, & Aqua comm.* parato.

Raucedinem autem cum siccitate atque ariditate faucium in se ipso feliciter sæpius curavit beatus nunc aliquis Theologus pius ac vere reverendus *vitello ovi recentis cum Sacchar absorpto.*

X.

Colica.

Colica Nephritico-Hæmorrhoidali atroci torquebatur diu satis & vehementer Matrona quædam honesta, selectissima etiam eludente remedia. Suaserat tandem, nescio quæ, *Mulsi cum Oleo Amygd. dulc. mixti haustum*, unde notabile ad tempus sensit levamen, hocce etiam cum fructu aliquoties reiterans remedium; donec tandem, accedentibus & aliis sub legitima methodo efficacibus remediis, penitus conquiesceret malum.

Animam Rhabarbari, seu Tincturam ejus cum Sale Tartari & Aqua Cichorii paratam, ad obsoleta & effœta medicamenta plurimorum suffragio relegatam, postliminio quasi in efficacium & polychrestorum classem reduxit Cl. Dn. D. *J. Storch*, in Observationibus suis Clinicis sub nomine *Hulderici Pelargi* editis. Et hunc merito isti remedio deberi honorem, crebriora cum illo facta experimenta mihi confirmarunt. Præter alios autem morbos in Colica etiam perutilem esse post Pelargum ipsa edocuit me repetita experientia: obti-

Obtigit imprimis opifex quidam gracilior, ſtrigoſior, in iram pronior, qui à refrigerio externo & carnis dyſpeptæ eſu Colica flatulenta inſigni torquebatur, ſtipata cum alvo clauſa atque ſegni. Jubebam ℞. *Rhabarb.* gtt. 50. ſingulis ut ſumat trihoriis, ſuadebam vinum aromatiſatum calidum, ſacculos, fomenta, & ſim. ſed nihil præter Tinctur. Rhabarb. uſurpabatur, ex hac vero majora oriebantur Tormina, circa umbilicum præſertim ſævientia, ac decumbentem ardor circa Præcordia & fauces verſus aſcendens non parum cruciabat: alvus interim ſolvebatur. Propinabam ſecundo die Pil. Carlii Balſamicas & decoctum Sem. Cumini, calidum crebrius ſorbillare mandabam; ſubjunctis ſimul externis debitis Remediis; Subduxerant ſic quidam Pilulæ alvum, ſed non tormina, quæ potius cum abdominis inflatione aucta viſa, ardore tamen Præcordiorum remittente. Repetebam eas tertio & quarto die cum reliquis; inde quidem aliquod levamen, ut muniis ſuis rurſus vacare potuerit, alvus etiam libera, ſed penitus ceſſare recuſabant Tormina. Quin potius die quinto tam atroci impetu recurrebant, ut deſperabundus tandem æger, me abſente, *Tincturæ Rhabarb.* ℥ij. pro doſi aſſumeret. Inde mox exoptata omnium Torminum halcyonia, ſexto die aliquoties alvi ſolutio, & ſic plenaria ac conſtans ab omni hactenus Colica liberatio. Nec aliud quid præterea uſurpare voluit reconvaleſcens, niſi Juſculum Cereviſiæ cum Cardomomo paratum, quod mane per paucos dies in lecto cum notabili ſumebat euphoria.

Tormina Infantum Colicæ annumerare claſſi nemo credo dubitabit. In his autem, ut & aliis puerorum affectibus, ſedem ſuam atque fomitem in viſceribus habentibus, quid præſtet vile hocce viſum medicamentum, vix quisquam credet, qui non ipſe expertus eſt. Fidem interponere queo, me in ſimilibus caſibus vix unquam ab eo deſtitutum, ſi tantum alicujus curationis ſpes & legitimæ adhibendi methodo locus

superfuerit. Unius recordor puellæ à torminibus & flatulentiis enormiter exagitatæ; erant autem hæc omnibus hujus familiæ infantibus quasi hæreditaria, quin aliquibus eorum lethalia. Huic *Tinctura Rhabarbari* nunquam alvum, ut alias facere sueverat, solvebat, sed potius obstruebat & flatulentiam anotericam augere videbatur, aliis tamen medicaminibus superato malo.

Cœterum cum felici successu tum in torminibus Infantum, tum Colicis Adultorum, pertinacioribus *oleum Scorpionum* & ad aliquot guttas *interne* propinasse, & Abdomini ac umbilico applicuisse, feminam quandam scio.

XI.

Epilepsia.

Puer è terrore in Epilepsiam inciderat, quam etiam nullis cedentem tentaminibus in ætatem juvenilem secum transtulerat. Cum autem, nescio cujus suasu, *indusium* ejus sudore perfusum à proxime exantlato Paroxysmo agnatæ primiparæ *demortuæ cervici subdidissent* parentes, & cum eadem terræ concredidissent,, ab omni postmodum insultu epileptico liber permansit juvenis, per plures jam annos incolumis, sub nostris copiis stipendia merens.

XII.

Convulsiones Puerorum Epilepticæ.

Obstetrix vicini alicujus oppidi famam sibi acquisiverat in curandis puerorum Convulsionibus insignem. Fassus mihi est illius maritus, artificium suum à Chirurgo olim Castrensi hausisse uxorem, idque tam internum quam externum esse. Prius constare *pulvere è Lapid. Lincis* ℥ß. *Fl. Bellid.*

lid. pulv. cultri cusp. 1. & *Rad. Pentaphyll.* pauxillo mixto, cum pulmento aut lacte materno propinato. Posterius esse *Rad. Carlinæ,* ante solis ortum in festo Johannis effossam, quam per triduum *retrorsum appensam* in fluentem postea projiciat. Sit fides penes Autorem.

XIII.

Excoriatio.

Multo cum levamine adhibitum vidi foliolum eorum libellorum (Formen dicuntur) quibus Bractearii (Goldschläger) aurum suum laminandum interponunt; inungebantur nempe albumine ovorum & sic loco excoriato imponebantur. Sunt autem hæc foliola (Leisten vocant) lamellæ Tunicarum Intestinorum animalium, Cœci præprimis, tenuissimæ, tenerrimæ, & lævigatissimæ, quæ tunicæ ante, quam in usum vocent auri laminatores, in peculiari liquore è Spirituosis & Aromaticis parato diu macerantur; de quibus fusius nos instruit Dn. D. *Ranouvv, in Kabinet der natuurlyke Historien. An. 1719. Mens. Mart. & Apr.* §. 10. & 11. p. 344. seqq.

XIV.

Febris Continua.

Vir quidam egenus feminæ suæ continua febri decumbentis universum *corpus fermento panis obducebat*, quod post elapsum biduum vel triduum sponte rursus delabebatur, peraridum, femina simul ab omni æstu & febri libera. Hoc igitur felici confirmatus successu id in se ipso, eadem correptus dein febri, reiteravit experimentum, cum pari dextro eventu.

XV.

Febris Intermittens Tertiana Chronica Sulphure Antimonii aurato domita.

Sulphur Antimonii auratum, rite præparatum, à solertibus aliquot nostri ævi Medicis non frustra laudari, quemlibet tentaturum convincet rei successus. Sæpius profecto illo in variis subjectis variisque affectibus me fuisse usum, nunquam adhuc pœnituit, cum, si etiam nullum inde notabilem observaverim effectum, nullum tamen etiam unquam insecutum sit damnum. Adhibeo autem utplurimum illud, quod in officina Orphanotrophei Glauchensis paratur, & cum Tartari Vitriolati anatica parte miscetur. Ex aliis morbis febribus intermittentibus specifice quasi mederi, benevole me edocuerat Cl. Dn. D. *Joh. Juncker*, Patronus multum mihi colendus, & Professor nunc Medicinæ Regius Halensis dignissimus. Cujus asserti veritatem comprobavit mihi experientia, cujus bina saltem jam recensebo exempla: Uxor nempe cujusdam locum tenentis annorum aliquot ultra XXX. gracilis, alacris, ante annum jam Febre Intermittente Tertiana diutissime laboraverat, quam tandem Electuario antifebrili ex Chinæ cortice compescuerat Medicus vicinus: Cum autem Cardialgia & Languor remansissent, data ab eodem Lapidis de Goa dosis, quam Variolarum, in pueritia jam exantlatarum, secuta eruptio. Et hisce feliciter superatis, post aliquod tempus nova suppeditabatur & assumebatur Lapidis de Goa dosis, successit autem Febris purpurea miliaris, quam similiter evasit. Proxime secuto denique vere denuo invadebat Febris Tertiana Intermittens, statum suum Paroxysmi tempus circa horam octavam atque nonam servans, & cum vomitu ac reliquis solitis Symtomatibus decurrens:

rens: Ad mensem autem Junii usque eam affligebat, omnes præfracte eludens medicationes. Cum igitur hoc tempore in loco, ubi degebat ægra, per aliquot dies commorarer, obnixe roganti miseræ Pulveris supra dicti gr. XII. exhibebam, ut versus Paroxysmum sumeret. Sed vix pulverem deglutierat uxor, en refert maritus, Hæmoptysi eam crebriori & ad lipothymiam usque largiori obnoxiam, quam quidem lapsu è curru sibi contraxerit. Non parum inde perterritus succensui illis, quod non prius id indicaverint, pejorem pertimescens eventum. Sed nihil ideo timendum esse maritus & uxor asseverabant; nam non præsto fuisse aut adhuc esse pressionem circa Præcordia & Hypochondria, quæ alias ut prænuncius indubitatus Hæmoptysin præcurrere soleat. Quid quod per totum hujus Febris decursum Hæmoptysis semel tantum proruperit, licet numerosis & vehementibus vomitibus exagitata fuerit. Respondebat etiam dictis eventus, aliquoties enim sine hæmoptyseos vestigio cum euphoria vomuit ægra, & febris impetus notabiliter decrevit. Impense igitur efflagitantes & de quocunque metuendo periculo securam fidem interponentes conjuges novam pulveris dosin extorquebant, qua denuo aliquoties vehementes vomitus, sine ulla tamen Hæmoptysi, provocati, quibus autem simul frustum quoddam carneo-membranaceum tenacissimum simul ex ventriculo exturbatum, quod tamen, me tunc absente, incauti abjecerunt. Interim post ultimos hosce vomitus omnis penitus & constanter cessavit febris, cum tanta quidem euphoria, ut etiam biduo post nobiscum iter Norimbergam curru susceperit, nullamque aliam, quam levem aliquam & mox transeuntem, sentierit ægritudinem, insolitæ potius vecturæ, quam alii causæ, adscriptam.

XVI.

Febris quotidiana cum Abdominis Inflatione eodem sublata.

Puella quædam orphana, annorum VI. animi admodum vivacis, cachectica autem, & ab incunabulis in summa egestate educata, è crudorum olerum devoratione, terroribus, mœroribus, aliisque in diæta ataxiis, primo Febri intermittente Tertiana, per quatuor septimanas affligente, dein autem Quotidiana, correpta fuit. Durarat hæc, cum me Mense Septembri accederet, per quinque jam septimanas & plerumque hora prima pomer. aggrediebatur cum horrore, qui æstum duratione & vehementia superabat: vomitu insequente bilioso, & sudore post æstum largissimo: A quatuor septimanis insignis etiam semper jungebatur abdominis inflatio, nec extra paroxysmum penitus recedens. Dabam *Pulveris supra dicti* gr. viij. in duas doses dispertita, quarum priorem post horam XII. diei insequentis sumebat. Succedebat quidem solito tempore horror febrilis, sed levior ille ac brevior; Æstus penitus emanebat; alvus aliquoties turbabatur, & sudor largissimus scenam tandem claudebat. E posteriori autem dosi omnis penitus evanescebat febris, nunquam amplius rediens; Ejus autem locum appetitus vegetus, omnes corporis functiones integræ, & somnus profundus, occupabant: Sudor tamen capitis largus spontaneus per tempus adhuc fluebat, & abdomen non perfecte detumebat, sed interdum inflabatur; cui autem incommodo Zingibere pulv. mane & vesperi cum pane assumto brevi etiam consultum est.

XVII.

XVII.

Flatulentia.

Oleum Olivarum genuinum ac purum ad Cochl. j. ij. iij. mane *cum jusculo, Cerevisia calida*, aut *Infus. Thée* aut *Caffée*, absorptum in Flatulentia suppressa, Torminibus spasticis, Nephriticis, Calculosis apud aliquot subjecta utriusque sexus, mitigando & avertendo, majora, quam vulgo credi queat, præstitisse novi.

XVIII.

Hæmorrhoides Cœcæ.

Radicem Fabariæ à multis, Ill. præsertim B. G. W. *Wedelio*, ad Hœmorrhoides cœcas laudari notum est. Perscripsit de hac ante novennium Illustrissimus olim *Comes de Metternich*, Legatus Regis Borussiæ ad Comitia Imperii Ratisbonensia primarius, ad me in Historia sui morbi sequentia: Multis abhinc annis Hæmorrhoides expertus sum cœcas, quæ autem semper rursus evanuerunt, *appensa* collo per spinam dorsi *fabaria*.

XIX.

Hemicrania.

Fœmina Hæmorrhoidaria, Hystericis, Spasticis, Rheumatico-Hemicranicis, otalgicis atque odontalgicis pathematibus multum obnoxia his posterioribus nuper summe excruciabatur: Cum autem, suadente vicina, *vaporem Asphalti*, Juden-Pech vocabat, prunis injecti, corpore inferiore exciperet, mire exin conquieverunt symtomata. Post aliquod tamen

tamen tempus ſacrificationem ſolitam ſuſtinens denuo iis adeo correpta, ut ſpretis hoc aliisque remediis meum tandem imploraret auxilium, cujus etiam per Numinis gratiam ope tandem mitigata pathemata.

XX.

Icterus.

Femina quædam, Exulceratione Renum & calculo extincta, poſt cujus obitum Veſicula etiam Bilis obſtructa reperiebatur, Ictero ſingulis Menſibus recurrente laborabat. Hæc, multis aliis incaſſum adhibitis, è Medici cujusdam apud nos celeberrimi ſuaſu *urinas ſuas per aliquot dies collectas cum carne coquebat bovina, & atro hæc devoranda porrigebat cani,* unde Icterus ſtatim evanuit, nec per vitam amplius rediit.

XXI.

Lactis Abundantia & Defectus.

Pro certo affirmarunt mihi nuper matronæ binæ prudentes & honeſtæ, ſe in ſeipſis efficaciam *Seminis Nigellæ* multoties expertas eſſe, quod nempe *retro appenſum lac abundans diſcuſſerit, antrorſum* autem *auxerit.*

XXII.

Lumbrici.

Curam gerebam puellæ plebejæ, ann. XIII. ubi etiam de Vermibus, annon eorum indicia quædam obſervarentur, inquiſivi; reſpondit autem mater, antehac quidem eam illis infeſtatam fuiſſe, cum autem ex aliorum ſuaſu *Lumbricum* à filiola excretum & *in pulverem redactum* eidem propinaſſet,

naſſet, hactenus ab omnibus lumbricis immunem & liberam eam vixiſſe.

Dauci, ſeu Paſtinacæ luteæ, radices mane quotidie comeſtas ut inſigne Anthelminticum, cum viveret, laudavit & crebrius tentavit feliciſſimus olim & dexterrimus Wunſidelienſium Poliater B. D. D. J. C. *Pachelbel de Gehag*.

XXIII.

Mammarum Affectus.

Optimum adverſus quoſcunque Mammarum atque Mammillarum in puerperiis affectus amuletum, ut nec Terror etiam nec ira quid nocere queat, è ſua experientia laudavit Matrona perita atque honeſta, ſi *lintea cum urina ab eadem Puerpera poſt partum primum emiſſa* imponantur, ſicque in illis, donec ſicceſcant, relinquantur.

XXIV.

Mammillarum Excoriatio & Fiſſura.

Nutrici cuidam mammilla ſiniſtra diu fiſſa erat, unde infanti rariſſime & coacta tantum eam porrigebat: cum autem, ſuadente aliqua femina, *menſtruo ſanguine* inungeretur; adeo exinde reſtituta, ut poſtea frequentius & libentius ſiniſtræ illum quam dextræ appoſuerit ſugentem.

XXV.

Panaritium.

Faber quidam apud nos ſtannarius plurimos jam Panaritio laborantes reſtituit *Linimento* quodam rubicundo, inter-

ſperſas nigricantes habente miculas. Confeſſus eſt tandem percontanti, eſſe *oleum Hyperici cum linteis ad fomitem crematis*, Zunder.

XXVI.

Partum facilitans.

Linguam porcinam vertici difficulter parturientis *impoſitam* fœtum certo pellere, adfirmavit quidam ex amicis.

XXVII.

Singultus.

Matrona quædam honeſta, ructibus & ſingultui crebrius obnoxia, non parum levaminis experta eſt, ſi *chartam quadruplicatam aqua aniſi deſtillata irroratam* ſcorbiculo cordis impoſuerat.

XXVIII.

Spirituoſorum Liquorum Ingurgitatio aſſueta, ſublata.

Præſtans Spiritum ardentium heluonum antidotum eſſe, ſi ſpiritus ardens per *linteum, quo facies homines defuncti tegebatur*, colatus inſciis ebibendus detur, experientia docuit.

XXIX.

Strumæ.

Serio mihi aſſeveravit vir gravis, ſtrumas quaſcunque, à Partu difficili etiam ortas, ſolis tantum hæreditariis exceptis,

ptis, certiſſime tolli poſſe, ſi *filum triplicatum, collo recens mortui* maris in mare, feminæ in femina, *circumligetur*, & per nychthemerum illinc relinquatur. Dein autem *ſtrumoſi collo circumdetur*, & per horas XXIV. ibi geſtatum eadem, qua applicatum, hora deſumatur, denuoque mortui collo applicetur & cum illo ſepeliatur.

XXX.

Tuſſis.

Piſtor quidam *oleo olivarum cum Floribus Hyperici infuſo* in juſculis ſumto Tuſſim in ſe ſuisque feliciter profligabat, quod ſecretum diuturno familiæ ſuæ uſu probatum erat.

XXXI.

Viſus debilis.

Typographus quidam ſenex diu jam perſpicillis uſus hæc tandem neglexit, cum ad ſerum usque vitæ ſuæ finem acuto rurſus potitus fuiſſet viſu; id quod *Cerumini aurium* acceptum referebat, quo quotidie mane canthos oculorum internos & Palpebras inungebat.

XXXII.

Uteri Impuritates.

In ſterilitate, Fluore albo, aliisque Uteri Impuritatibus & concrementis arcanum erat Illuſtris alicujus Archiatri probatum atque efficax ſequens:

℞. *Cancros mares* bene mundatos n. iij. contundantur vivi in mortario; Semi-*contuſis* ſucceſſive aſſunde *Vini Malvatici* ℥iij. & f. l. a. Emulſ. Liquor per linteum purum colatus,

decrescente hauriatur Luna ; duabus aut tribus dosibus. Quod si optatum primo non statim mense exseruerit effectum, secundo, quin tertio, idem reiterabatur Medicamentum. Hocce tum serenissimam aliquam olim Principissam, nunc Reginam ; feminam aliquam honestam, è cujus utero mirandam copiam impuritatum fœtidissimarum, cum insignibus frustis pituitosis tenacissimis, expurgarat ; & se ipsam, feliciter per eundem sanatas sancte affirmabat matrona quædam gravis, quæ idem illud dein in aliis subjectis cum fructu tentarat.

Vetula rustica pro suo modulo satis prudens, & longo rerum usu perita, plurimas sui aliorumque vicinorum locorum mulieres *Emulsione Sem. Cannab.* ab Inflammatione & Gangræna Uteri liberabat, quam parabat è Sem. Cannab. conquass. Mj. coquendo cum Aqu. fontan. q. s. Colaturam lactiformem successive propinabat ægræ ; & sic post aliquot horas insignia frusta atra ex Utero excernebantur, quæ illa quidem **den Brand** vocabat, Sanguinem autem congrumatum potius fuisse credibile est.

XXXIII.

Uvulæ Procidentia.

Pastorem, cujus sub Aphonia & Apoplexia mentio facta, uvulæ elongatione crebriori afflictum levabat uxor *Fl. Matricar. exsiccat.* n. iij. *vertici capitis impositis.*

OBSER-

OBSERVATIO CXCVI.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Ardor & Tumor Faucium à Concremento Canis Cineribus Tosto.

MUltas nos adhuc latere rerum causas seculo hoc nostro oculato & sagaci, evincere præter alia poterunt Sympathetica atque Antipathetica Phænomena, nec non affectus hæreditarii, & Nævi materni. Circa quæ inter credulitatem & incrudelitatem medio tutissimus ibis. Liberum spero erit quædam hujus farinæ recensere exempla: Princeps Serenissimus, aliquoties jam nobis memoratus, à cane adhuc juvenculo mordebatur. Jubebat, ut semper his in casibus facere consueverat, ut catulo concrementum illud ligamentosum sub lingua ereptum in fluentem projiceretur. **Man soll dem Hund den Wurm nehmen, und in das fliessende Wasser werffen.** Sed brevi post intensissimum persentiscebat faucium & maxillæ inferioris ardorem: Qua propter à servo, cui res commissa erat, sciscitari imperabat, an omnia ad nutum peracta fuerint. Hic vero concrementum illud lento cinerum igne concremare deprehendebatur: quod igitur illico in fluvium projiciebat ipse indignabundus Princeps: Hocque facto mox omnis constanter cessavit faucium ac maxillæ ardor & tumor.

OBSERVATIO CXCVII.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Inflammatio Tibiæ ab Hirudinibus Igne crematis.

VIr quidam meæ curæ creditus *sanguisugas* tibiæ applicuerat, & sanguine turgidas igne cremandos injecerat. Vix autem hoc peracto mirum in modum intumescere, dolere, ac rubere incepit pes. Cum tamen cinerem residuum aquæ injecisset fluenti, omnia post paucum tempus remiserunt symtomata.

OBSERVATIO CXCVIII.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Odontalgia Magica, curata.

CUrabam filiam civis cujusdam nostratis, de qua narrabat Pater, vir verax & sagax: Eam adhuc decennem crebriori Odontalgia utriusque maxillæ ferocissima & ineffabili adeo excruciatam fuisse, ut maxillæ diffractum iri visæ fuerint, & clamores ejulatusque enormes extorserit miseræ. Idque toties, quoties ancilla ignem in culina accenderit, contigisse. Innumera quidem in usum vocata, sed incassum omnia: Tandem, nescio quo autore, *Cornu Hirci raspati carbonibus injecti fumo* filiolam afflatam, eoque omnem repletam fuisse domum, quo statim ancilla, Venatoris filia,

fugam

fugam capessiverit, nec unquam redierit; odontalgia autem puellæ simul in perpetuum profligata.

OBSERVATIO CXCIX.

DN. D. JOAN. CHRISTOPHORI GOETZII.

Impotentia Virilis à fascino.

IN Provincia quadam Germaniæ nostræ, non ignota, in aliquot sibi contiguis pagis plures successive viri evadebant impotentes, à vetula tamen quadam circumforanea loca illa pererrante pristinam omnem recuperantes Virilitatem. Cum autem ob vicorum vicinitatem & casuum crebritatem anguem in herba latere subolfacerent aliqui sagaciores, in carcerem tandem conjiciebatur & rigoroso examini subjiciebatur vetula. Quæ etiam fassa est, se acum veretroalicujus defuncti antea immissam & per horas xxiv. ibidem relictam terræ, quam lotio suo irrigaverat mas, infixisse, & tamdiu ibidem reliquisse, eo ipso autem simul eundem impotentem reddidisse, donec ab eo in auxilium vocata fuerit, ubi acu è solo rursus exemta virilitatem simul restituerit. Dignas autem nefandi hujus facinoris pœnas corpore suo luit hæcce Medea.

OBSERVATIO CC.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Vomitus e fulgure.

PUer quidam vegetus, imo ferox, corripiebatur indubitato vomitu, si fulgura videbat aut tonitrua audiebat; quin sæpius

ſæpius tantum, ſi de illis ſaltem ſermo fieret. Neque id per omnem ſuam vitam, ſed à biennio demum.

OBSERVATIO CCI.

DN. D. JO. CHRISTOPHORI GOETZII.

Melancholia ex eſu Columbarum.


IDem ille Vir, cujus ſub Inflammatione Tibiæ ab Hirudinibus crematis memini, quoties de columbis aliquid, parce etiam, comedebat, certiſſime ſemper in Melancholiam præcipitabatur.

OBSERVATIO CCII.

DN. D. JOANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Sambuci abhorreſcentia.

IDem ille Sambucum, omniaque ejus Præparata, adeo abhorreſcebat, ut nudo etiam ejus aſpectu male haberet. Si autem aliis, maxime licet refracta doſi, intermiſceretur, & primis tantum labris inſcius ea deguſtaret, lypothimiam incurrebat. Quin ſoror ejus in convulſiones & deliria inde conjiciebatur. Cum tamen eorum Parentes Sambucum & Sambucina plurimum amarint, optimeque tulerint.

OBSER-

OBSERVATIO CCIII.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Halecum Appetitus & Nausea.

FEmina quædam, è meis ægris, haleces olfaciens à denegato eorum esu pallescit & debilitatur, bene habens si frui illis queat. Triduo nempe ante ejus partum mater, devoratis jam quinque crudis è muria halecibus, à superveniente amica impedita fuit, quo minus reliquos tres comederet. Filius autem hujus feminæ nec hos nec asellos odorari, nedum degustare, sine virium deliquio valet: cum ipsa mater eum utero gestans vehementi illorum flagrans desiderio eas adipisci nequiverit. Eadem in Brachii dextri superficie habet Nævum asperum, latum, verrucosum, **wie eine Schweins-Schwarte,** itidem à matre profectum, quæ paucis ante partem diebus sororem invisans carne tunc suilla vescentem insigni hujus appetitu capta, sed similiter eadem frustrata, fuit. Licet etiam statim postea alii amici ejusmodi suppeditarint carnem, appetitu tamen jam extincto nihil inde amplius profecit.

OBSERVATIO CCIV.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Ptyalismus Gravidarum.

FEmina sub molæ, & sub septem successive insecutorum fœtuum, utriusque Sexus, gestatione, à primo conceptionis momento ad ultimum usque exclusionis pun-

ctum per os atque oculos continuum & largissimum semper sustinuit effluxum seri tam acris, ut etiam catulus inde lingens convulsus expirarit, & periculum visus amittendi non levem incurrerit illa. Simile quid etiam experta matrona alia honesta, pumila, spongiosa, succulenta, quæ decies utero gerens, nunquam non illico post factam conceptionem ad partus usque finem perpetuo laboravit *Ptyalismo* adeo largo, ut tria vel quatuor de die, tot etiam dormiens nocte, madefaceret strophiola, liquore quadruplicata quoque penetrante ac perfundente linteola. Hic si deglutiebatur, aut alio modo impediebatur *Ptyalismus*, in vomitus & nauseabundas ægritudines prolabebatur gravida, hoc redeunte cessantes. Excluso autem fœtu statim sine ullo alio insecuto conquievit incommodo.

OBSERVATIO CCV.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Hydrophobia, nullo præcedente animalis Morsu orta, & in famem Caninam tandem soluta.

NOn possum non hic inserere rariorem aliquem casum, quem equidem non ipse observavi, sed CL. DD. Joh. E. *Junckerus*, Poliater Halis Saxonum dexterrimus, benevole hoc anno mecum communicavit, illum publicandi veniam facile, ut spero, largiturus:

Femina

Femina quædam quadragenaria, hyſterica, ſellæ mediocris inſiſtens altitudine, ex ea vacillante in humum proſternitur, & latus capitis fornaci allidit. Accedens inde D. D. *Junckerum* Spiritum Vini camphorat. ab eo petit, cum aliquantum alliſus doluerit locus, in quo tamen externe nulla alia læſio, quam exiguum aliquod tuberculum, conſpiciebatur. Dabatur ad terroris conſectaria præcavenda, præter deſideratum Vini Spiritum Camphoratum, Pulvis etiam temperans. Poſt biduum autem vocatus feminam reperit hydrophobicam, ad cochlear cum Pulvere temperante vehiculo immixto labiis admotum contremiſcentem, nec liquidi quidpiam deglutire valentem. Inquirebatur quidem, an non acerbiſſima hac hyeme à cane rabido, aut fele, aut alio morſa fuerit animali? an aliquis à lapſu ſenſus moleſtus in capite reſtitet? an fiſſura cranii adſit? ſed ne minimum quidem horum omnium veſtigium. Mentis ſuæ penitus compos erat; bibitura autem inſignem anxietatem & ſpumam oris exſerebat. Cum igitur nulla materialis cujusdam veneni cauſa in cenſum veniret, cauſæ Terroris moralis ratione habita vena ſecabatur. Inde etiam motuum remiſſio & aliquot horarum quies, ſed alia motuum excedentium Scena: omnia enim tam ſolida quam fluida propinata aviditate & rapacitate ſumma, canis inſtar eſurientis, ingerebat, ſuccedente continuo vomitu & ipſa circa diem ſeptimum poſt lapſum prægreſſum, tertio autem poſt Vſnem inſtitutam, morte. Sectionem anatomicam ſtupidorum prohibebat agnatorum ſuperſtitio.

OBSERVATIO CCVI.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Frustum Cordis bubuli post biennium exclusum.

FEmina plebeja, LXV. annorum, pro suæ ætatis ratione satis adhuc vegeta, durioris vitæ generis, frustum membranaceo-tendinosum cordis bubuli cocti, fervidum adhuc, incaute deglutiebat; statim autem inde minus commode habebat, increscentibus paulatim adeo Symtomatibus, ut sub Febris lentæ vel Hecticæ larva Medicorum & Medicastrorum varia per biennium eluderent tentamina. Insigni autem præcipue dolore in sinistro affligebatur Hypochondrio, inde ad caput usque se extendente; qui, si sese erigeret, in Hypochondrio exacerbabatur; si vero decumberet, vertiginem inducebat. Usurpato tandem, nescio cujus suasu, infuso aliquo ex Aloë, Myrrha, & Spiritu Vini cochleatim sumto, per aliquod temporis spacium, tantis aliquando corripiebatur angustiis suffocatoriis & debilitatibus, ut è lecto sese proripere & sellæ insidere cogeretur. Sentiebat sub his concrementum aliquod è sinistro Hypochondrio versus gulam ascendere, per quam sine ullo vomitu aut Tussi, ut aliquoties interrogata constanter affirmavit, demum erumpebat, frustum cordis deglutitum per omnia referens, sed cuticula alba tenaci obductum, quæ passim stigmatibus purulentis notabatur, quasi alicubi accretum vi inde abruptum fuerit. In aquam projectum corragabatur, & cochleæ instar contrahebatur. Dolor autem illius Hypochondrii per octennium

nium obtuſus remanſit, & ſemper ſub morbis aliis invadentibus exacerbatur, per antiquum tractum caput petendo.

OBSERVATIO CCVII.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Hydrops lapſu ſanatus, & ejusdem ſubjecti poſtea defuncti Anatome.

VIrgo ann. LXIX. ſtaturæ brevioris, carnoſa, ante plures jam annos dextro pede in planitie gliſcens cecidit, & exinde pedetentim in Aſcitem delapſa eſt, quem per multos geſtavit annos; donec tandem à Medico quodam Medicamentis variis, præſertim autem neſcio quo Emplaſtro Abdomini impoſito, ab illo liberata fuerit. Rediit autem poſt paucos annos Aſcites, Abdomine ad inſignem rurſus molem excreſcente, & per plures duravit annos, nec prioribus nec ſexcentis aliis adhibitis ceſſans remediis. Ante aliquot denique annos fortuito caſu è ſella, cui inſiſtebat, in pavimentum, & quidem Abdomine, proſternebatur, ſimul autem ſonum aliquem ſeu fragorem notabilem percipiebat, (es plazte etwas) ſuccedente per muliebria & anum largiſſimo liquoris alicujus fluxu, quo ſucceſſive elapſo Abdominis tumor penitus detumuit, & poſtea dein per reliquos octo annos quam optime valuit. Sub horum vero fine denuo decubuit, ac de inſigni lumborum dolore, ſiti, Spiritu difficili, & ſub hoc vehementi cruciatu, conqueſta fuit, ſicque, pedetentim decreſcentibus viribus, die quarto vivere deſiit. Abſente atque annuente ordinario tunc ejus Dn. Medico, Sectioni præſens ſequentia obſervavi: Corpus ipſum ſuccoſum,

 ſanum,

ſanum, albidum: Latera dorſi à Mammis ad Lumbos usque livida & ſugillata.

Abdomen prægnantis inſtar tumens; quod autem poſt obitum demum adeo inflatum eſſe aſſerebant adſtantes:

Pinguedo poſt integumenta remota trium digitorum latitudinem æquans, laudabilis:

Peritoneum craſſum, carnoſum, cum integumentis una lamina arcte cohærens, altera Inteſtina craſſa inveſtiens.

Omentum craſſum, flavum, ſurſum ultra Inteſtina retractum, ultra ventriculi etiam fundum aſſurgens, & cum Peritonæo coalitum.

Lien fracidus, mollis, inter digitos diffluens.

Hepatis pars gibba univerſa diaphragmati & Partibus vicinis firmiter annexa; in ſima autem, ubi ventriculo adjacet, ſideratum.

Folliculus felleus omnimodo vacuus, cum Colo coalitus.

Ren dexter veſiculis aliquot livido-atris, juglandis magnitudine, exterius obſitus, in pelvi copioſiſſima pinguedine infarctus: Siniſter ſimiles, ſed plures atque majores, in externa ſuperficie habens veſiculas, interne ad Pelvim hydatidem unam & multam pinguedinem.

Ventriculus & Inteſtina flatibus turgida; & tenuia paſſim ſiderata.

Sub his in Pelvi per regionem Pubis, & in dextro præſertim latere, novus quaſi ventriculus, à dextra magis rotundus, ſiniſtram verſus oblongior, (faſt wie ein Sau-Sack) pallidus, turgidus, cum maculis ſideratis atro-rubris emicabat, qui, remotis reliquis viſceribus, ovarium dextrum eſſe deprehenſus, & apertus liquorem brunnum, mulſi inſtar turbi-

turbidum, inodorum, & insipidum, ad ℔iij circiter, emisit, cum paucis intermixtis corpusculis scirrhosis, pisum majus æquantibus. Evacuato hoc liquore, solus remanebat saccus, tunica constans satis crassa & expansa; in loco tamen oblongiori tenuior quam in reliquis. In ejus superficie interna sparsim adnata varia tubercula, diversæ magnitudinis, à pisi majoris ad minoris seminis Cannabis magnitudinem accedentia, nunc solitaria, nunc racemosa, scirrhosa, dura, discissa nihil liquoris aut gelatinæ plorantia. Interspergebantur passim punctula seu stigmata parva purpureo-nigricantia, aspera, miculis sanguinis congrumati similia, capitella acicularum æquantia, & superficiei tam arcte adhærentia, ut ne unguibus quidem descalpi potuerint; Hæ per tunicam transparentia maculas supra dictas sideratas constituebant.

Ovarium sinistrum magnitudine mali Persici in parte superiori Hydatibus pluribus limpidis, nucem juglandem æquantibus, plena; reliquo corpore transparens, atro-lividum; discissum Hydatibus refertum.

Utero, solitæ magnitudinis & conditionis, in parte fundi postica adnatum steatoma, nucis juglandis magnitudine, & peculiaribus gaudens vasculis; quod discissum è folliculo suo levi exprimebatur opera, in uterum autem ipsum nullum aut flatu aut stylo quæsitum exhibebat meatum. In uteri cavitate pauca lympha gelatinosa, flavescens. Hymen illæsum.

Peritoneo denique, ad Pubis regionem, excrescentia adhærebat scirrhosa, juglandis majoris magnitudine.

Reliquæ autem Partes intactæ relictæ.

OBSER-

OBSERVATIO CCVIII.

DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOETZII.

Margaritarum aversatio & Nævus maternus.

MAtrona quædam honesta Margaritas præparatas nullo ferre potest modo, quin nec odorari, inscia etiam assumtas & aliis refracta dosi intermixtas. Animadvertit autem hanc aversionem ante triennium demum, ubi Margaritas præparatura fragranti earum & balsamico odore deliquio proxima facta. Ante hoc autem tempus nunquam Margaritas assumsit, Medicamentis scilicet per omnem vitam parcissime usa. Ostendebat aliquando pater ejus matri, illam utero tunc gerenti, margaritam recens perterebatam, elegantiam ejus admirans uxor duobus digitis collum anterius attingebat. Nostra post aliquod tempus in lucem enixa in eadem colli regione colliculum quendam aliquantum à reliqua superficie assurgentem secum afferebat, coloris paululum quam reliqua cutis saturatioris, & in medio perforatum, qui per sex annos duravit, increscens magis quam decrescens. His elapsis perfricabatur ille, nescio cujus peregrini suasu, fructu primo arbusti alicujus (Johannis-Aepffel nostratibus dicto) per medium discisso, qui colligatus postea rursus in terram sub tecti stillicidio defodiebatur, unde notabiliter quidem diminutus tumor, ita tamen, ut adhuc conspectui satis patescat, præsertim ejus foraminulum. Eidem cum filia sua adhuc superstite gravidæ nunciabatur incendium periculosum ædificii alicujus propinqui, quod tamen videre non poterat: Perterrita inde occiput & cervicem,

cem, pro more suo, meditabunda scalpebat, quibus iisdem locis filiola post tempus enixa maculas rubras secum apportavit, remotis capillis adhuc conspicuas. Simul autem etiam aderat nævus ad radicem nasi inter utrumque oculum, numerum Romanum V. exacte referens, saturatior paululum quam vicina superficies; qui tamen, cum variolis puella corriperetur, & una præsertim aliqua in hoc loco profunde exulcerata, exantlatis his similiter in perpetuum evanuit.

(*Norimberga Altorfium Mense Augusto An. 1729. missa.*)

OBSERVATIO CCIX.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

Constitutio epidemica Ferrariensis

Anni 1729.

O Quam amara est, ac semper erit, apud Ferrarienses memoria anni hujus 1729.; cujus calamitatis initium fuit Lunaris cursus Septemb. anni elapsi 1728. Tunc enim austro spirante

Post Largos imbres pluviamque madentem

inceperunt aquæ pertinaciter adeò super terræ faciem effusæ, ut totam telluris superficiem aquis pluvialibus contectam, semina futuræ messis respuentem, inspicere fuerit coactus infælix noster Agricola:

Hinc moderatrix Cynthia noctis

in quavis periodo aqua pluviali scatebat, & usque ad Majales dies cæli claritas non effulsit, sic corruptæ in imis vallibus aquæ fætentes dabant nebulas, & in illis, non ex illis, penè

infinita oriebantur insecta, hinc erucæ, culices, muscæ, & varia ranarum & bufonum genera totam terræ superficiem infecere, quod fortè corruptionis aquarum ac aëris signum evidens fuit; sic apud *Plutarchum* legitur, artem medicam pestilentem æstatem ex aranearum frequentia prænunciare; Accessere æstivæ Luces, cum derepente in vinariis cellis totus Bromii liquor excanduit, qui erat solatium cordis, & in ipso excitata præternaturali fermentatione, mutato colore, sapore, ac motu, ejus omnis compages vitiata computruit; unde rectè caneret *Silius*

Et marcida vina largiuntur;

Hic ego exclamavi cum discipulis meis, ò nos infælices, ex vini corruptione humorum discrasiam experiemur; inter vinum & sanguinem enim intercedit mutua analogia; unde ex illius putrescentia corruptio humorum nostrorum erit timenda; & hic cæpere in hominibus *febres*, primò sub *tertianæ* figura cum vomitibus, ac alvi fluxibus biliosis, aliisque pravis stipatæ symptomatibus; nullis cedebant remediis, à venæ sectione complicabantur. Et hic bilem continere nequeo, cum enim in meis publicis ac privatis Sectionibus, in meis scriptis, typis datis, docuerim venæ sectionem Panaceam non esse, imò suadente *Celso* anceps esse ac periculosum præsidii tale genus, attamen, velut si esset aqua fluminis, sanguis inutiliter, imò damnosè, disperditur, & cum venæ sectio sit magnum remedium, non nisi urgente necessitate in morbis magnis, ac internis inflammationibus, apoplexiis usurpari deberet; Ast in tertiana suasu Doctorum, & speciatim *Joh. Fortis, Ramazzini, Rotarii &c.* venæ sectio usurpata duplicat febrem, ut in praxi faciendâ meis ostendi Tyronibus; ex missione enim sanguinis fomes tertianæ febris, stabulans in primis viis, mutato loco in venas transit, unde ardens facta morbus evadit læthalis; & ut verum candidè dicam, nescio in quò libro Doctorum legerint hæc isti nostri Pseu-

Pseudo-Medici vel non studentes, vel non legentes, aut non intelligentes, quod pejus est: Ast redeamus in viam; si à cortice Peruvano sistebantur istæ *febres*, post paucos dies in fortiores redibant; uno invaso tota afficiebatur familia.

Cui latebat in corpore pestis,

& brevi temporis intervallo repleta Nosocomia, & nulla penè domus à furore hujus febris exempta; omnia monasteria ægrotabant, & nullus in urbe locus ab hac lue imunis evasit: In multis causa mutato loco *febres* produxit *ardentes*, unde ad plures, sivè ad Alibanthas, migrarunt,

Quos labor & duræ rapuit inclementia Mortis.

Nec audax lues timuit Principis habitaculum, sed sacram illius ædem ingressa ejusdem turbavit venas, & pene totam illius familiam solita febri affecit, atque multos aulicos enecavit

Perque omnes sævit Mors inopina vias.

Sanctimonalium Septa pene omnia febricitabant, multæ ecclesiæ absque sacerdotibus erant, & sine sacrificio populus remanebat, præsertim ruri, ubi pessima ista lues totum expandit vexillum. Hic mihi notare liceat, plebeios nonnullos, neglectis remediis, *solo usu vini generosi* convaluisse, & ego justè fateri possum me, meosque familiares, hac febre affectos fuisse, & nunquam vini potum reliquisse, & ego in hac constitutione recidivans solo usu pul. Chinæchinæ, aut Cascarillæ cum vino malvatico ad plures vices assumpto, convalui, cujus pulveris ac vini potioni successit alvi fluxus, ac si assumpsissem Cassiam, vel Mannam.

Accessit Autumnale æquinoctium, quo tempore putarunt multi hujus constitutionis finem videre; sed incassum spes ivit, nam post æquinoctiales dies multi denuo ægrotarunt, aliique nondum *febrem* passi, Octobris diebus, hac

febri affecti, affectionis hujus tyrannidem experti, in febriles insultus incidere: Sic Mater ministrans filiis ægrotavit, sic Dominus servis, sic maritus conjugi, sic familiares invicem sibi effervescentias febriles communicabant, ita ut omnis penè familia ægrotaverit; In nonnullis variabat febris, & præsertim in *recidivis*, unde modo sub formâ *hemitritæi*, nunc *rheumaticæ febris*, nunc deliræ &c. morbus redibat, aliquando absque ullo remedio cessabat, nunc in *quartanam* transibat, modo in pustulas, ac scabiem commutabatur: in aliquibus aparuerunt vermes, per vomitum & alvum excreti, modò vivi, nunc mortui, quod fortè indicium erat summæ corruptionis humorum in primis viis stabulantium, urina in aliquibus turbida reddebatur, ac penè jumentorum lotio similis, in aliis albescens, subviridis, ruffa, sabulosa, ac fœtentissima; unde judicavi concoctiones non fieri in corpore, sed potius corruptiones; Liberi enim à *febre* pristinum calorem non recuperabant, vires non redibant, nutritio impediebatur, & excrementa semper biliosa, vel cruda, concoctionis signa non dabant. Bombyces in veris initio catervatim peribant, volucres fugêre, pisces solummodo crescebant. Nonnullis apertis corporibus hoc morbo denatis, in ventriculo ac omnibus intestinis inventa est magna copia humoris viscido-flauo-viridis, una cum aliquibus maculis lividis in ipsis intestinorum tunicis; vesica fellis erat in statu præternaturali, nam liquor felleus penè gypseus erat, mutato sapore, sicuti succus pancreatis austerus apparuit, cætera vero viscera erant sana, & ne minimum quidem à statu naturali recedebant; in aliquibus nonnulli vermes in intestinis reperti sunt, in aliis non.

Communes autem morbos à communibus causis progigni certum est, ut etiam fatetur Cl. *Ramazzinus*, communes verò causæ sunt potissimum aër, alimenta mali succi, & aquæ corruptæ, ità in nostrâ urbe, & agris, hæc fuere morborum hujus constitutionis causæ, & semina, ex his ergo omnibus,

sed

ſed promptius ab aëre tanquam è communi fontè, è quo nemo non potare cogitur, morbos quosdam derivari, qui multos eodem tempore afficiant, omnium pariter eſt conſenſus. Ad hanc porro noſtram *epidemiam* excitandam, in unum conveniſſe, & aërem vitiatum, & prava alimenta ingeſta fas eſt arbitrari; primum quidem locum aëri à ſua naturali temperie, non ſolum ſecundum anni tempora recedenti, ſed particulis humanæ naturæ incongruis ad ſatietatem pleno concedendum dixit *Cl. Ramazzinus*; ſecundum autem locum pravis alimentis & aquis vitiatis; Quamvis autem de miasmate contagioſo aliqua poſſet eſſe ſuſpicio, namque in unâ domo uno infecto, ſtatim alii ejusdem familiæ febricitabant; id tamen potius in communem diatheſim ad maturitatem eodem tempore evectam, non ſecus ac cum Autumno fructus omnes eodem tempore matureſcunt, referendum puto potius, quam in effluvium aliquod contagioſum, exiens è corpore primi ægrotantis; Hic autem non pigeat referre *remedia*, quæ, ut ſciam, fuere ægris appoſita, ut hæc febrilis prava conſtitutio evinceretur; Primò nonnulli medici in principio leniens pharmacum exhibebant, mox cucurbitulas ſcarificatas dorſo applicabant, inde pul. Chinæchinæ propinabant, & febris ſiſtebatur ſaltem per aliquot dies, ſi vero redibat, iterum China porrigebatur, ita ut aliquis fuerit qui plures libras talis pulveris ſumpſerit: Alii porrò medici ſanguinis miſſionem celebrabant, & febres duplicabantur; multi aſſumpſere pulverem rad. contrajervæ, corticum auranticorum, corticum med. fraxini, decoctum amarum D. *Lemeri*, Coriandr. pulv. Theriacam *Andromachi*, rad. Carlinæ; alii experti ſunt Mithridatii uſum frequentem; Diaſcordion *Fracaſtorii*, Decoctum centaur. & verbenæ, vinum abſynthio correctum, Chinæ corticem actuabant alii addendo modo rahabarbarum, modo cremor. tartar. vel Sal. catharticum Angliæ, ad hoc, ut fuſi humores corrupti in primis viis facilius per alvum exirent; Ego verò, quod ad me,

quotiescumque aſſumo in vino pulverem chinæ febrifugæ, ſtatim alvi fluxum patior, ac ſi caſſiam, vel mannam, ſuſciperem; Ol. noſtrum contra peſtem, vulgò *del Caſtagna*, à multis adhibitum fuit, ſicut etiam vomitoria ipſa, & immenſus aquarum potus; verum ait *Ramazzinus*, quid opis expectandum in his febribus ab aquæ potu? imo ex ejus uſu ſanguis pigriore motu per vaſa efflueret, ac tandem cachexiæ & hydropes ſuccederent; uti accidit in Juvene à *Ramazzino* memorato; ego certè modico vino ſum uſus, nec unquam vidi aliquem pravum effectum ab eo: Infinita propemodum curavi corpora in hac conſtitutione, & juſtè fateri poſſum, neminem affectum febri talis conſtitutionis, à me curatum, mortuum fuiſſe; præter duas fæminas, unam 65. annorum iliaca paſſione necatam, aliam ex ſuppreſſione menſium, inflammatione cerebri extinctam; Hæc currenti calamo ſcripta ſint in memoriam hujus conſtitutionis peſſimæ.

(*Ferraria Altorfium M. Febr. An. 1730. miſſa.*)



APPENDIX
AD
VOLVMEN SECVNDVM
ACTORVM
PHYSICO-MEDIC.
ACADEMIÆ CÆSAREÆ
LEOPOLDINO-CAROLINÆ
NATVRÆ CVRIOSORVM
IN GERMANIA.

CONTENTA
APPENDICIS.



AD

VIRVM

DIGNITATE ET LITERIS ILLVSTRISSIMVM

MAGNIFICVM EXCELLENTISSIMVM

DOMINVM

PIVM NICOLAVM

DE GARELLI

REGII ORDINIS CHRISTI

IN LVSITANIA EQVITEM

S. C. ET R. C. MAIESTATIS CONSILIARIVM

AC PROTO-MEDICVM

BIBLIOTHECAE CAESAREAE PRAEFECTVM

VNIVERSITATIS BONONIENSIS PVBL. ET PRIMAR.

MED. PROF. AD CATHEDR. EMINENTEM

CONDVCTVM ETC.

DE

MORBO COMPLICATISSIMO

PAVCISSIMIS MEDICAMENTIS

SVBLATO

EPISTOLA

CAROLI FRIDERICI LOEW

NOB. HVNG.

SERENISSIMI DVCIS SAXO-MEININGENSIS

CONSILIARII ACTVALIS ET ARCHIATRI

S.R.I. ACAD. N.C. ADIVNCTI D. PITTALI.



PERILLVSTRIS, MAGNIFICE, EXCELLENTISSIME DOMINE.



Quo magis notum *humanitatis Tuae* fastigium : hoc audacius *Magnifico Tuo Nomini* haec inſcribo. Inſtituti haud aliud incitamentum, praeterquam *ſalus Reipublicae*. Quanto maior *Tuus fauor* erga hanc, quantoue maiori et *uitae*, *ſanitatisque* conſeruandae, et *morbi* depellendi *prudentia* polles : tanto mitiori cenſura meam caſtigabis audaciam ; hoc magis, quo fidelius cum *orbe Erudito* communicauero *caſum rariorem*. Etſi vero neque doctrinae copia, neque ingenii ubertate ullo modo expectationi Tuae reſpondere poſſim ; tamen ſpero, fore, ut humillimi clientis in eiuſdem caſus admiratione atque *curatione* defixi, ſtudium, conatusque orbi probetur, neque *Tua Excellentia*, quae omnium conſentiente elogio ſummae et *lectionis*, et *experientiae* gloriam, proprio quodam iure ſibi conſeruat, inſti-

tutum ſpernet, aut improbabit. Vtut enim ſimiles *obſeruationes* partim in *Actis noſtris*, partim etiam ab *aliis* ad nauſeam ſint recenſitae: hae tamen a noſtra in eo ſunt diuerſae, quod in pluribus ſubiectis *ſeparatim* ea exhibeant, quae noſtra in una eademque perſona *iunctim* oſtendit. His ita de cauſis, magna ſpero fiducia, fore, ut hoc pietatis meae pignus benigniſſime interpreteris, ſinasque ut, quod feci ſcriptum, *Nomine Tuo Illuſtri* ſplendeat, majoremque apud lectores gratiam, ſtudiumque ea re promereatur. Notum eſt, *morbos* plerumque non incurrere in ſenſus, per conſequens horum *effectus* ſenſibus magis obuios, *ſymptomatumque* nomine uenientes, tanto accuratius a nobis eſſe attendendos, quo certius his mediantibus ad morbi cognitionem deueniamus. Hinc pace Tua, *Vir Celeberrime*, eo ſollicitius *effectus* circa morbum *compoſitum*, *intricatiſſimum*, atque ob ſtatum complicatum, partes nobiliores affectas, maiorem a ſtatu naturali receſſum, indolem chronicam, inanem ultra annum laborem, a *magnae famae Medico* pro *inſanabili* habitum, mihi ante aliquot annos in *Virgine* quadam oblatos perſcribam. Nonne *ſuppreſſio menſium* longa, atque ultra annum durans: *alui conſtipatio* pertinacior, per tres, quatuorue dies continuans: *reiectio ingeſtorum* minus mutatorum per *uomitum*: *ſputatio* frequens: *haemoptyſis* leuior: *ſudores colliquatiui*, partim de *Excernendorum* menſium, faecum aluinarum *retentione*, partim de *Retinendorum* aſſumtorum, lymphae ſalиualis, ſeri laudabilis,

dabilis, ſanguinis uitioſa *Excretione* teſtantur, ſicque *ſymptomata Excretorum* et *Retentorum* conſtituunt. Nonne adſpectus oculorum triſtis, oculi concaui, orbeque liuido cincti, pallor faciei conſtans, atque huic ſeſe interdum iungens fugitiuus faciei rubor *colorem* uitioſum oſtendunt: tinnitus aurium *ſonum* uitioſum indicat: caloris & frigoris crebriores mutationes, ardores uolatici, ſudor frigidior, flacciditas atque rigiditas totius corporis alternans, tumor lienis durior *tactum* uitioſum innuunt, per conſequens *Qualitates ſenſibiles* & ratione *uiſus*, et ratione *auditus*, et ratione *tactus* tam in partibus *ſolidis*, quam *fluidis* mutatas confirmant. Vti uero non modo *ſymptomata Excretorum* & *Retentorum*; ſed et adducta ſymptomata *Qualitatis mutatae* ſemper *Actionem* laeſam praeſupponunt: ita & hic *ſymptomata Actionis laeſae* plurima ſeſe nobis offerebant. Siue enim *Vitales*, ſiue *Animales*, ſiue *naturales* Actiones ſpectemus, ſiue his *miniſtras*, ubique uel *abolitionem*, uel *imminationem*, uel *deprauationem* deprehendimus. Sic *pulſus debilior*, uix deprehenſibilis affectibus *lypothymicis* atque *ſyncopticis* accedentibus de languore motus ſanguinis progreſſiui, per conſequens de minus proportionata ſanguinis propulſione, atque de *motu tonico cordis*, reliquorumque *uaſorum imminuto* teſtatur. Sic porro *circulus ſanguinis* per *pulmones, lienem, uterum*, aliaque *Viſcera depuratoria* laeſus, atque inprimis in pulmonibus *reſpiratione difficili* ſub initium morbi, deinde *intercepta* in ſuffocationibus hyſtericis,

atque *penitus fere disparente* in syncope sese exerens, *musculorum diaphragmatis*, *thoracis*, aliarumque partium *tonum imminutum* praesupponit. Flatulentia, suffocatio cardialgica, ructatio anxia, uomitus, *resolutionem imminutam* ciborum, atque hinc neque decenter inchoatam in *uentriculo*, neque in *intestinis* rite absolutam *chylificationem* innuunt. Iam quis laeso motu sanguinis progressiuo, siue ipsa *circulatione sanguinis* laesa, laesa *sanguificatione* ob chylum non sufficienter resolutum, atque partibus heterogeneis scatentem, laesa *depuratione*, *respiratione*, *chylificatione* non & *cordis*, & *uiscerum* tam in alimenti *praeparatione* inseruientium, quam in *depuratione* officium praestantium *actiones* partim *imminutas*, partim *deprauatas*, sicque ipsas actiones *uitales* laesas cernit. Actionum *Animalium* laesionem & *deprauatio* actionum *intellectus*, & *motus* uitiatus probat. Licet enim & *sensus externi* inter actiones animales alias referantur, accuratius tamen inspicienti patebit, sensionem tam *externam*, siue *gustu*, siue *olfactu* siue *auditu*, siue *uisione*, siue modo *tactus* perceptam, quam etiam *internam* & actionum *intellectus*, iudicii, ingenii, memoriae, & *uoluntatis* actionum, cupiditatum nempe & auersationum, & ipsius *sensionis* sensionem esse magis *passionem* intellectus, quam *Actionem*. Has tamen & hic laesas fuisse non modo *uisus*, *auditus*, *tactus* aliorumque sensuum *abolitio* ad tempus in *syncope* atque exacerbatione mali obseruata; sed et *tactus deprauati* species tristi fibrarum neruosarum sensione, siue *dolore*

modo

modo *leuiori*, grauatiuo magis ob tenſionem *flatuum* in cardialgia, colica, tenſionem *humorum* in dolore capitis, modo *grauiori* tam *punctorio*, mordaci ob uermem in inteſtinis haerentem, quam *tenſiuo* in *ſpaſmis* ob criſpaturam fibrillarum uehementiorem, atque ſubitaneam nimiam, impetuoſamque tenſionem ſeſe exerens ſatis ſuperque confirmat. Vitia actionum *Intellectus* partim iudicii, ingenii, memoriae *imminutio*, imminutis atque abolitis ſenſionibus, partim harum facultatum, atque actionum *deprauatio* ſiue *corruptio* oſtendit, quarum utramque ratione *memoriae* ex *obliuione* geſtorum, *confuſione*, ratione *iudicii* atque *ingenii* vero ex *falſa*, *fictitia*, imo *neque poſſibili* compoſitione atque diviſione idearum videmus. Teſtantur de hac ipſa *deliria*, tam ab ideis *laetis*, ſaltatione, quam a *triſtioribus*, mortem praeſagientibus, atque *melancholiam hypochondriaco-hyſtericam* innuentibus deſumpta. Tantum abeſt, ut laeſis ſic coniunctim omnibus tribus facultatibus Intellectus *Recta Ratio* adfuerit. Vti vero *Voluntatis* actiones *Cupiditates* & *Averſationes* conſtituunt: ita cupiditatem animalem hic laeſam cernimus ex *inappetentia*, *uigiliis* ob dolores, curas, imo & ex *ſomno* praeternaturali, *ſoporoſo*, cum *inſomniis* terrificis, atque *deliriis* interdum accedente, cum nec decens *proſecutio grati* ob neglectionem cibi, ſomni ad conſeruationem indiuidui neceſſarii, facta fuerit, neque *fuga* ſomni *moleſti*. Motus animales *imminutos* obſeruare licuit in *lypothymia* remiſſiori, uero *uirium defectu*, *tremula partium*, ſpecia-

tim

tim *pedis impotentia* ob tonum deperditum: *abolitos* perſpeximus in *ſyncope*, *paralyſi* pedum *ſcorbutica*, purpurae rubrae ſuperueniente, atque culpa muſculorum tam ob ſtricturam, quam ob infarctum a tartaro proueniente: *deprauatos* vero atque *exacerbatos* deprehendimus hic in *horrore*, illinc *tremore* ab ira *ſemiconuulſiuo*, nunc *epileptica*, iam *non epileptica* conuulſione, atque *ſpaſmi* nomine Recentioribus ueniente, ut de *motibus Conuulſiuis*, uaga contractione, *ſenſibus* tamen praeſentibus ſeſe exerentibus nil adducam. Illam, nempe *epilepticam* oſtendebat partim *ſenſus deficiens*, partim *reciproca* antagoniſtarum uehementior irritatio, atque *contractio*: hanc indicabat inuoluntaria *conſtans ſpaſtico-dolorifica* muſculorum *contractio*, membris *rigidis*, atque ſenſibus *integris* manentibus. Atque huius *ſpecies* omnes, quocunque nomine a Medicis recenſeantur, hic coniunctae occurrebant. Vidi ex *uniuerſalibus* ſpaſmis & *Emproſthotonum*, corpore *antrorſum* incuruato, genubusque capiti adductis, irritatis nempe neruis ad partes anteriores tendentibus, & *Opiſthotonum*, *retrorſum* incuruato corpore, & *Tetanum*, toto corpore rigido, atque immoto, in *ſitu recto* iacente, et ipſam *Catalepſin*, corpore repente ita obrigeſcente, ut oculorum, oris ac membrorum geſtus praeſentes permanſerint. *Particulares* ſpaſmi ſeſe ſiſtebant in *manibus*, *digitis*, imo omnibus fere corporis partibus. In *capite* utplurimum lethalis *ſpaſmus cynicus*, huic uero iungente ſe delirio *riſus ſardonius* ſaepiſſime in conſpectum prodiit. Aderant ple-

rumque

rumque et in *occipite* pathemata ſpaſtica ſexui ſequiori familiaria. Neque ſolum in *externis* partibus; ſed et in *lingua*, *oeſophago*, imo in ipſo quoque *uentriculo* nauſeabunda contentione reiiciendi aſſumta ſpaſmi ſaepius ſeſe exeruere. Nonne ſpaſticae ſtricturae in *inteſtinis* ſub ſpecie *colicae*, in *diaphragmate* autem per *ſingultum* ſe prodentes, indicant ſpaſticum affectum recurriſſe etiam ad partes *internas?* Quid, quod & *ſpaſmi* ſaepius cum ueris *conuulſionibus* conſpirarint, atque illorum interſcenia quaſi ſint obſeruata, ita, ut partes nunc ſpaſmo *rigidas*, mox *reciproco motu* conuulſiones perpeti, ipſamque *Epilepſiam uterinam* conſpexerimus. Verbo, in mea poteſtate non eſt, recenſere omnes *phaenomenorum* mutationes, cum omni hora plures factae ſint. Exempli loco nobis ſit, quod toto corpore ſaepius exiſtente *rigido*, huic ſpaſmo ſeſe interdum iunxerit inſignis *ſuffocatio*, atque tanta actionum *uitalium* laeſio, ut per longum ſaepe temporis ſpatium ſine *pulſu* & *reſpiratione* inſtar mortuae iacuerit. Hanc rigiditatem excipiebat denuo *flexilitas* artuum, ubi iam *anxio motu* manuum innuebat, adeſſe aliquid in *faucibus*, quod & *loquelam* interciperet, & *dolorificum* eſſet. Inſpiciens deprehendi *Retractionem* ſpaſticam totius *linguae*, quae diutius ob tenſionem graviſſimam doloroſa extitiſſet, niſi manu retrahendo linguam ſuccurriſſem. Hos ſpaſmos deinceps denuo affectus *ſpaſtico-conuulſiuus* excipiebat, atque ſimilia *interſcenia*, certum tamen interuallum non ſeruantia, triſtiſſimo ſpectaculo

culo per totum fere diem ludebantur. Accedente ſemel *riſu ſardonio*, hic deſiit in *cachinnum*, imo hunc *delirium* de *morte*, breuioris periodi, ſequebatur, hoc denuo *cachinnus* ſummus excepit, hunc tandem *delirium laetum* de ſaltatione, atque *conuulſiones* epilepticae, quibus ceſſantibus inſecuta eſt *flacciditas* corporis cum aliquali *quiete*. Talis tamen erat, qualis *ſyncopticarum*, cum et *ſenſus*, et *motus*, et *pulſus*, et *reſpiratio* officia ſua amiſiſſe apparuerint, oculis exiſtentibus *clauſis*, *frigore* extremorum, atque faciei *pallore* mortuarum inſtar praeſente. Vt paucis multa dicam, tanta, tamque grauia circa hunc morbum obſeruata ſunt *phaenomena*, ut crediſſent alii, eundem ab impreſſione per *faſcinum*, aut nefarias artes magicas inductum. De cetero cum *atrophia*, atque contabeſcentia corporis non modo *imminutam*, ſi non *abolitam* nutritionem oſtendat; ſed etiam minorem *ſanguinis* ad partes pro nutritione diſtributionem praeſupponat: patet, hinc et *laeſio* actionis *naturalis*, et *conſpiratio* actionum reliquarum *imminutarum*, quae ex praemiſſis tanto luculentius apparent, quo fuſius adducenda fuere. Iam cui perſpectis *ſymptomatibus* omnibus, tam *eſſentialibus*, quam *poſteſſentialibus*, ſiue deinde in *capite*, ſiue in *thorace*, ſiue *abdomine* ſint obſeruata, non et *laeſio* actionum, et actiones exercendi *impotentia* tam in partibus *ſolidis*, quam *fluidis*, ſicque ipſe *morbus* antea ſenſibus minus obuius in ſenſus incurrit. Nonne calor *continuus*: accedens per interualla quotidie poſt prandium hora circiter tertia, uel quarta *exacerbatio* cum *frigore*

diutur-

diuturniori, ſubſequente *calore* maiori: iunctus pulſus *celer, frequens;* ſitis, dolor capitis, uigiliae, aucta transpiratio: purpura *ſcorbutica rubra*, poſt decurſum fere morbi in toto corpore pruritu ſeſe exerens: morbi *diuturnitas*, aliaque ſymptomata extraordinaria *ſcorbutico-hyſterica* de Morbo *Intemperiei, calidae, uniuerſalis, febrilis*, ſiue de febre *compoſita, quotidiana-continua, ſcorbutico-hyſterica, chronica*, atque in *lentam* degenerante ſatis ſuperque teſtantur. Nonne, cum *alterationes* febriles, tum *dolor* punctorius atque *tumor* in ſiniſtro hypochondrio, tum ipſa *induratio*, atque ſcirrhoſa *lienis* ſubſecuta conſtitutio innuunt, prioribus temporibus et *Intemperiem, calidam, particularem*, ſiue *Inflammationem* lienis adfuiſſe? Nonne tam *flacciditas* in *inteſtinis* ex minori ſtrictura, hinc minori propulſione, atque imminuta faecum aluinarum excretione arguenda, in *uentriculo* uero ex ciborum imminuta reſolutione, per conſequens ingeſtorum minus mutatorum reiectione per uomitum coniicienda, quam etiam *diapedeſis* in minoribus uaſis *ſanguiferis* pulmonum magis patulis, transſudatione *ſanguinis* retinendi, atque aliquali haemoptyſi, *lymphaticis* ſudoribus colliquatiuis, atque excretione uitioſa *ſeri* laudabilis per poros partium extremarum magis patulos ſeſe prodens, utrobique ſpatium auctum, atque uaſorum uitioſam *dilatationem* probat? Nonne et *irritatio*, ſeu coarctatio *temporaria* uentriculi, eaque *fortior* uomitu perſpecta, et *obſtructio*, atque *conſtans* coarctatio, ſiue in *totum*, ſive ex *parte* circa uterum, lienem, hepar, uentricu-

triculum, pulmones, caput, uasa lactea, sanguifera, aliaque obseruata, atque modo ratione *transeuntis* ex eiusdem motu amisso, *subsistentia*, sicque transitu *chyli* per uasa lactea ad sanguinem, transitu *sanguinis* circa uenam portae, ramum splenicum, uterum, pulmones, aliaque uiscera impedito colligenda, modo ratione *partium*, ad quas chylus, sanguis, bilis *pervenire* debuisset, ex earum laesa *actione*, atrophia, suppressione mensium, cessatione motus paralytica, chylificatione laesa coniicienda, modo ratione *partium*, ubi transiens impeditum *haerebat*, partim ex maiori *affluxu*, hinc maiori *congestione* circa lienem, pectus, caput, uentriculum, consequenter ex maiori partium mollium repletione atque *distensione*, sicque non modo ex *doloribus* tendentibus hinc inde, sed et ex *tumore* lienis probanda, partim etiam ex *propulsione* humoris mobilis in *alienum locum*, hincque et ex regurgitatione *bilis* ad sanguinem, et ex conspurcatione massae sanguineae partibus recrementitiis, *tartareis*, *uiscidis*, *acidis*, et ex regurgitatione sanguinis *menstrui* ad pulmones, ibique etiam ob maiorem impetum *apertionem* uasorum post se trahente statuenda spatium angustius, atque uitiosam *coarctationem* ostendit. Nonne ulterius haec ipsa uitiosa *coarctatio*, atque *dilatatio formam*, siue figuram in specie cauitatum *internam* uitiatam, per consequens morbos *cauitatum* demonstrant? Non attingam *tumorem lienis*, *abdominis* flatulentum, *atrophiam*, quorum illi partes solidas molles magis *increscere*, haec decentem extensionem non fieri,

imo

imo partes ſolidas *decreſcere*, ſicque *magnitudinem* uitiatam confirmant. Non adducam, et *ſitum* uitiatum ex *retractione* ſpaſtica linguae, aliarumque partium ſpectandum, et *connexionem* uitiatam, tam ob uitioſam *ſeiunctionem* partium ligamentis connectentibus, poſt nimiam tenſionem ſpaſticam relaxatis, quam ob uitioſam partium, quae non cohaerere deberent, *cohaeſionem* in contractura, *immobilitate* partium, uitio *articulationis*, ob ſpatia tartaro uiſcido repleta, partim uitio *muſculorum* conſtanter ſtrictorum uel ob materiam tartaream ſpatia muſculorum replentem, uel ob laeſionem antagoniſtae ortum ducente, teſtari, partes non fuiſſe in *debito loco*, atque hinc et morbos *Poſiturae* innoteſcere. Hoc ſaltem addam, et ex *Poſiturae*, et ex *Magnitudinis*, et ex *formae* uitiatae morbis adductis *Conformationis* morbos quoque ſufficienter patere. Quis autem praeſentibus morbis *intemperiei*, *Conformationis*, *unitatis ſolutae*, quam *ruptura* in pulmonibus per *haemoptyſin* ſeſe prodens euincit, non uidet *morbum* hunc fuiſſe *complicatiſſimum*, *compoſitum* et ex *diſtinctis*, et ex *affinibus* aliis, tam *uniuerſalibus*, totam maſſam *ſanguineam*, totumque genus *neruoſum* occupantibus, quam etiam *particularibus* innumeris. Quis non ob genus neruoſum, cerebrum, uterum, aliasque partes *nobiliores* affectas, morbos *graviores* de die in diem ſuperuenientes, periodum atque durationem *longiorem*, *inanem* ultra annum laborem, *uehementem* atque *magnum* fuiſſe ſtatuet; quamuis tantum abſit, ut uel *lethalis* euaſerit, uel *inſanabi-*

nabilis juxta Medicorum prognoſin permanſerit, ut potius adhibitis a me, uocato licet in ἀκμῇ atque ſummo gradu morbi, decentibus medicamentis *declinatio* morbi ſucceſſerit, atque breuiſſimo temporis ſpatio *ſanabilis* fuerit. Quemadmodum autem ſuperius adducta ſymptomata *morbum*, ita hic *cauſam* praeſupponit. Vnde, ſi cauſarum partim cum morbo, partim inter ſe inuicem *connexionem* attendamus, deprehendimus, *immediatam*, proximam, atque impotentiam producentem hic conſiſtere et in *fluidarum* partium *intemperie*, motuque efferatiori maſſae ſanguineae, et in *ſolidarum* partium laeſa *conformatione*, laeſa *unitate*, de quibus pluribus iam egimus. Cauſam *mediatam proximiorem* quod attinet, et *uaporoſa*, et *humoroſa* hic concurrunt, quarum hanc non modo ſeparatorum, atque excrementitiorum humorum; ſed et ſanguinis et ſeri uitium oſtendit. Peccarunt etenim tum *quantitate exceſſiua*, ob plethoram, *ſublatam* tamen ſucceſſiue ob inappetentiam, concoctionem fruſtratam, uermem depaſcentem, ſanguinis intemperiem, maiorem diſſipationem: tum *qualitate*, tum etiam *motu*. Qualitatem uitioſam prae ſe ferebant, cum non modo partes *balſamicae*, atque *ſeroſae* demulcentes hic defecerint; ſed et aliae *heterogeneae* ſint accumulatae. Siue enim ſalino-alcalico-uolatiles, iunctas partibus ſulphureis, *bilioſarum* nomine uenientes, atque ob acrimoniam, modo *rarefaciendo*, in humoribus motum febrilem, modo *irritando* neruoſum genus affectus hyſtericos, motus ſpaſtico-conuulſiuos producentes

ſpe-

ſpectemus : ſiue alcalico - fixas, de terra fluorem mediantibus ſalibus acidis adepta participantes, atque *ſalia tartarea* obſtructiones uiſcerum, hypochondriorum inducentia conſideremus : ſiue *ſalino - acidas* tam *fixas*, innexas *ſero*, huicque fluxilitatem largientes, ſicque ſudores copioſiores cauſantes, quam *uolatiles*, iunctas partibus *blilioſis*, harumque *acrimoniam*, hinc et *rarefactionem* et *irritationem* augentes attendamus : ſiue tandem *uiſcidas* uel in *ſanguine*, uel in *primis uiis* praeſentes, atque nunc in liene, aliisque uiſceribus *actiuioribus* particulis interpoſitas ob nimiam *conſiſtentiam* harum *motum* impedientes, ſicque ad *coagulum* diſponentes, iam uero in uentriculo et inteſtinis *incruſtationem* praeſtantes, per conſequens *reſolutionem* ciborum impedientes, debitam *nutritionem* peruertentes examinemus, id ipſum luce meridiana clarius eſt. Quis quaeſo *calore febrili*, quotidie ſtato tempore ob actiuitatem partium ſalino - ſulphurearum, *bilioſarum*, poſt paſtum in ſanguine auctam ſeſe exerente, non et motum *inteſtinum* uitiatum perſpicit? Nonne et motus *progreſſiuus* tam *per ſe*, quam ratione *uiarum* laeſus, cum illum et *citatior* humorum rarefactorum in toto corpore motus, et ob ſtaſin *maior* ad lienem, aliasque partes contingens affluxus probet, hunc autem partim humorum *extra corpus* delatio in haemoptyſi, uomitu, partim *bilis* ad maſſam ſanguineam *reductio*, atque ad minus deſtinatas uias contingens regurgitatio euincat. Cauſam proximiorem *uaporoſam* conſtituebant *flatus*.

Vti

Vti autem hi *uitiosam* humorum *uiscido* iunctorum *resolutionem* pro fundamento agnoscunt: ita non modo *cruditates* imminutam *resolutionem* ciborum ob uentriculum laxiorem, uiscera secretoria laesa, lympham neque in ore, neque in uentriculo, neque in intestinis decenter separatam, cibos dyspeptos assumptos, excipientes; sed & *alui obstructio*, aliaque inferius adducenda hanc insigniter fouebant. Vnde non solum in *maioribus* cauitatibus, uti ventriculo, intestinis sese manifestarunt *distensione*, subsequa hinc ob irritationem spastica fibrarum *strictura*, atque hic ob flatus hinc inde agitatos *rugitibus*, illinc *doloribus* cardialgicis, colicis accedentibus, nunc in| *uentriculo*, fiente uitiosa *excretione* per ructus, uomitum, iam excretione per *aluum*, excretione *bilis* in ductu choledocho non rite contingente; uerum etiam in *minoribus* motum *intestinum* turbarunt. Restant adhuc causae mediatae *remotiores* cum *naturales*, tum *non naturales*, tum *praeter naturales* recensendae. Illae nobis dispositionem partium *solidarum* & *fluidarum* naturalem ad hunc morbum ostendunt. Vnde inter has refero & *temperamentum* antea *sanguineum*, successu temporis autem ob serum absumptum transiens in *sanguineo-melancholicum*, et peculiarem subjecti *sensibilitatem* a graueolentibus saepissime admotis, et corpus *spongiosum*, et uasa *angusta*, transitum humoribus eo minus concedentia, et fibras *delicatiores* a leui acrimonia irritationem subeuntes, & fibras *laxiores*, atque ob maiorem tensionem *flaccidiores*,

res, minus propellentes, et *poros* humorum ſecretioni deſtinatos ſucceſſiue *ſubſidentes*, ut neque de *aetate* iuvenili, xx. annorum, teſtante de temperamento ſanguineo, fibris tenerioribus, aliisque, neque de *haereditaria* diſpoſitione, quam hic multum contuliſſe cenſeo, neque de *uitae genere* quicquam adducam. Ratione cauſarum *nonnaturalium* in *cibo* et *potu* non exiguos commiſit errores, cum nec cibum, nec potum decenti *quantitate* aſſumſerit. Vnde neque *balſamicae*, neque *ſeroſae* partes et humoribus *fluxilitatem* largientes, et acidas, bilioſas *demulcentes*, *diluentes*, *corrigentes* reſtitutae, per conſequens humoribus maior *ſpiſſitudo*, maior *acrimonia* inducta eſt. Vitioſa ciborum *qualitas* multum quoque ad hunc morbum fecit. Amauit enim noſtra Patiens magis *acida*, *flatulenta*, leguminoſa, cruda, *uiſcida*, gelatinoſa, lacticinia, caſeum, imo *contraria* ſaepius eadem hora adhibuit. Pro *potu* diu *decocto graminis* cum *mercurio crudo* utebatur. Forte hinc *contractura*, atque illa *paralyſis?* cum plures obſeruationes proſtent, ubi *mercurialia* in malo *hypochondriaco-hyſterico* adhibita, contracturas, paralyſes induxerint. Partes ob ſtricturam ſpaſticam diutius in eodem ſtatu permanentes nimiam quidem tenſionem, *nimiumque motum* oſtendunt: erat tamen inſimul *minor* ob vitam *ſedentariam*. Atque hinc *motus* humorum tardior; hinc *ſecretio* parcior: hinc *viſcidarum* particularum *accumulatio*: hinc tandem morbi a *ſpiſſitudine* humorum oriundi. *Vigiliis nimiis* ob dolores, curas,

triſtitiam exortis, non modo *lympha*, atque partes *balſamicae*, actiuioresque abſumptae; ſed & omnes *actiones*, ſicque et *ſecretio* et *depuratio* remiſere. Neque *animi pathemata* praetereunda. Siue enim motum humorum *efferatiorem* in *ira*, oblatis animae obiectis ingratis *ſuperabilibus* ſpectemus, ſiue motum *depreſſum* in *triſtitia*, metu ob tale infortunium perpeſſum, quod *ſuperari non uidebatur*, conſideremus, utrobique *deprauatus*, atque *inordinatus* erat. Vnde in ſenſibiliori atque debiliori noſtro ſubiecto denuo decentes inutilium humorum *ſecretiones* laeſae, per conſequens et ob partium *bilioſarum* accumulationem in maſſa ſanguinea *febris*, et ob harum decubitum ad neruos motus *ſpaſticoconuulſiui*, affectus *hyſterici*, aliique producti ſunt. De *excretis* et *retentis* uitioſis ſuperius iam mentionem fecimus. Prout enim uitioſa *excretio* retinendi *ſanguinis* per pulmones, retinendi *cibi* per uomitum: prout porro maior excretio *lymphae* per ſputationem crebriorem, maior excretio partium *ſeroſarum* per ſudorem, multum ad hunc morbum contribuit: ita et excernendorum *menſium*, et *faecum aluinarum* per plures etiam dies ob *recrementa* ſicciora, ſtimulum *bilis*, uenâ portae ductibus biliariis atque poris hepatis obſtructis, deficientem, *muſculos* abdominis relaxatos, *uermem* in inteſtinis haerentem ...ata *retentio*, malum hoc inſigniter fouebat. Nam et *utilibus* balſamicis, demulcentibus, temperantibus partibus ſic excretis, et *inutilibus*, uiſcidis, bilioſis, ſalinis retentis improportionata *miſcela*, atque *temperies*

humo-

humorum uitiata ſubſecuta eſt. Inter cauſas *praeter naturales internas*, κατ' ἐξοχὴν tales, refero partim *morbum*, partim recenſita *ſymptomata*. Inter *toto genere praeter naturales* uero ſpectat *uermis* latus, *cucurbitinus*, *teniae* ſeu *faſciae* nomine aliis ueniens, catenatim ex *quinquaginta* minoribus ſibi implicatis cohaerens, in longitudinem *unius* et *dimidiae ulnae* circiter diductus, atque ſymptomatibus urgentibus *ſpaſtico-conuulſiuis*, diu iam ſublatis, tandem per aluum ſecedens rarior. *Morbum* diutius durantem aeque ac *ſymptomata* alios morbos produxiſſe ex adductis cernimus. *Vermis* autem, cuius ſeminii excluſio promota humoribus ob partes *balſamicas* depreſſas, *putrilaginoſa* aſſumta, magis ad corruptionem tendentibus, hic inquam partim *irritatione dolores*, motus *ſpaſtico-conuulſiuos* induxit, partim partium *laudabilium abſumtione atrophiam* poſt ſe traxit, partim etiam ob humorum a recrementis acrioribus *conſpurcationem* non modo *cruditatibus*, atque *flatulentiae* in primis uiis; ſed et in maſſa ſanguinea *febri lentae*, imo *motibus conuulſiuis* anſam dedit. Forte ob conſtrictiones *ſpaſticas* et fibrae inteſtinorum ita in *ſpiram* contortae ſunt, ut *anguſtatae* faeces non transmiſerint, *obſtructionemque alui* comitem habuerint. *Prognoſis*, uel *ſubito*, terminando in morbum *acutum*, uel *ſucceſſiue*, abeundo in morbum *chronicum* grauiſſimum, *funeſta* contingere potuiſſet. Nam quid obſtat, quod affectus iſte non tranſierit in *ueram paralyſin*, quod *ſcirrhus lienis*, *febris hectica* non ſuperuenerint? Mirum eſt, quod *ſpaſtici mo-*

tus caput saepius affligentes, non et *rationis deprauationem* post se traxerint, uel, quod *uermis* uniuersum intestinorum systema fere occupans, atque tamdiu ibi haerens, non et *erosionem* praestiterit. Nonne *uomitus cruentus*, maior *haemoptysis*, *inflammatio* interna grauior eo magis timenda erant, quo grauiora *pathemata* sese circa *lienis* confinia exeruere, quoue minus patiens *medicamenta* assumere uoluerit? Nihil tamen horum subsecutum est; sed facta decenti *motuum se- et excretoriorum* promotione, breui morbus soluebatur. Iam si totam *morbi historiam* perpendamus, probeque *nexum* atque conuenientiam *phaenomenorum* cum adductis *causis* ponderemus, statim circa *methodum medendi* patebit, ratione causae *humorosae* ante omnia *quantitatem sanguinis* primis temporibus fuisse *imminuendam*. Hoc autem per *Venae sectionem* obtineri non potuit, cum non modo facta semel ad hanc *praparatione*; sed etiam alias audito saltim *sermone* de eadem, in *lipothymiam* inciderit, atque terribilissima symptomata *hysterica* incurrerit. Vnde uocatus eo omnem intentionem dirigendam censui, ut huic *indicationi* per *reuocationem mensium suppressorum* satisfacerem, quam quoque intra breue temporis spatium, imo illo adhuc *mense*, per *pilulas balsamicas Stahlii*, nunquam satis laudandas, obtinuimus, subsequa imminutione atque alleuiatione *mali hysterici*. Deinde & *qualitas* uitiosa humorum *corrigenda* erat. Hinc partim *balsamicae*, atque *serosae* partes diluentes, demulcentes acriores *restituendae*, partim *heterogeneae*

tam

tam *uiſcidae*, quam *bilioſae*, quam etiam *tartareae incidendae*, *corrigendae*, atque ex corpore *proſcribendae* fuiſſent. Vtut autem plurima *medicamenta* proſtent, quae huic *indicationi* ſufficienter ſatisfaciant, tanta tamen hic fuit *auerſatio* a medicamentis, ut neque ex regno *uegetabili*, neque ex reliquo *pharmaceutico* fonte quicquam fuerit, quod non recuſauerit. Neque per remedia *diaetetica*, ſatis ſufficientia alias huic indicationi, *motum* nempe et *potum* quicquam ſperandum erat, cum motus ob *tremorem paralytodeum* inſtitui non potuerit, ratione potus uero *praeſcriptum* non obſeruauerit. Vnde ad *continuatum* uſum *pilularum Stahlianarum* confugiendum erat. Cum enim hae ex *amaricantibus extractis*, *gummi-reſinis*, atque *aloë* ſint concinnatae, *uiſcidum*, ſanguini ſpiſſitudinem inducens, optime *incidunt*, reſoluunt, ſicque partes *bilioſas*, *tartareas*, aliasque heterogeneas ab hoc liberando per *uias urinarias*, *uterum*, *poros cutis*, *aluum*, blando modo proſcripſere, ita, ut *balſamicae* partes denuo *praedominium* obtinuerint. His ipſis iunctus interdum *puluiſculus abſorbens* cum *nitro*, atque *antimonio diaphoretico* et partes *bilioſas* temperauit, et per *poros cutis*, *uiasq. urinarias* excreuit; ut non dicam, hinc *nitroſa* non modo *motum inteſtinum* correxiſſe, ſed et *progreſſiuum* tam *per ſe* interdum *citatiorem* refraenaſſe, quam ratione *uiarum* laeſum in ordinem reduxiſſe. Huic tamen pulueri in *uomitu* antiſpaſmodica, *cinnabarina*, *corticem caſcarillae*, *lumbricos terreſtres praeparatos*, in *haemoptyſi* uero, praeter lauda-

ta *corallia rubra*, *species de hyacintho*, aliaque cum ſucceſſu addidimus. In *haemoptyſi* quidem ipſe *Celeberrimus Stahlius pilularum balſamicarum* uſum reiicit, niſi *plethora* per *Venae ſectionem* prius imminuta fuerit, tantum tamen abeſt, ut *pilularum* adhibitioni ſuperuenien-te etiam *leuiori haemoptyſi*, neque *Venae ſectione* ob ſuperius adductas cauſas celebrata, earum continuationem interdixerim, ut potius, *menſibus* eodem tempore inſimul in conſpectum prodeuntibus, earum aſſumptionem ob *reuulſionem* ſanguinis ad uterum, ſanguinis copioſioris *depletionem*, ſpiſſioris *correctionem*, omni modo ſuaſerim; quamuis *menſibus* denuo *diſparentibus*, contra *haemoptyſin* leuiorem interdum accedentem, *pilulis* laudatis *puluerem ex coralliis*, *cortice caſcarillae*, *ſpeciebus de hyacintho*, *nitro* atque *cinnabari* concinnatum optimo cum effectu interpoſuerim. Ratione cauſae *flatulentae* etiam adductae *pilulae* humores *uiſcidos*, partim *reſoluendo*, partim *abſtergendo*, partim etiam *educendo* officium ſuum praeſtitere. De cetero uti *tonum* partium nimis diſtentarum *interne* partibus reddidere *antiſpaſmodica*: ita *externe* vel ſolus *ſpiritus ſerpilli*, atque *pediluuium ex rad. ualerian. angelic. pimpinell. alb. leuiſt. fraxinell. irid. Flor. cyper. herb. maioran. mari uer. beton. puleg. ſerpill. origan. meliſſ. fl. lil. conuall. chamom.* aliisque *neruinis plantis* paratum, atque *quinquies*, uel ad ſummum *ſexies* uſurpatum, pedibus *paralyticis* robur addiderunt. Quod tandem ad *diaetam* attinet, neque *cibum* atque *potum* uel decenti *quantitate*, uel decenti *qualitate* etiam ſub ipſa curatione aſſumſit, neque ab *ira* ſibi temperauit. His non obſtantibus, tamen poſt adhibitionem laudatorum *medicamentorum*, et *excretio ſanguinis* per *pulmones*, ſublata *rarefactione*, et excretio *cibi* per *uomitum* ſpaſtica *ſtrictura* ſedata, et partium *ſeroſarum* per *poros cutis* maior *diſſipatio*, uitioſa *reſolutione* humorum imminuta, atque

atque *poris laxioribus* restitutis cessauit. *Retentio mensium* aeque ac retentio *faecum aluinarum* remota post usum *resoluentium*, *abstergentium*, *stimulum bilis*, obstructionem circa hepar tollendo, *restituentium*, *uermemque* ob specifica amara proscribentium *pilularum*. Vides ergo, PATRONE SVMME, praeter *pilulas Stahlianas*, *puluerem absorbentem nitroso-cinnabarinum*, pro diuersitate tamen circumstantiarum aliquatenus immutatum, atque praeter *pediluuium* adductum, nec quicquam a me fuisse adhibitum, imo per haec solâ *medicamenta* omnibus *indicationibus* nos satisfecisse. Quamuis autem sic breui *spastico-conuulsiua pathemata*, *symptomata syncoptica*, *tremor paralytodeus*, omniaque reliqua phaenomena successiue disparuerint, atque nostra virgo *paucissimis* medicamentis intra *mensis* spatium, licet *pedibus* ultra quadrantem anni ad gressum inualidis, quoad cetera restituta fuerit; *continuationem* tamen *remediorum* in hoc malo *chronico* suasi, etiam *praeseruandi* fine, decenti tempore quaedam commendaui. Haec uero neque *curationi* ulterius insistebat, neque *praeseruandi* fine quicquam iam ab aliquot annis adhibuit, neque *remediis diaeteticis* auscultat, et tamen ad hunc usque diem *optima sanitate* fruitur, nulla amplius subsecuta *recidiua*. Similes casus tragici tum in *Actis Haffniensibus*, tum a *Theophilo Boneto*, *Pechlino*, aliisque tum in specie in *Miscellaneis nostris* per omnes *Decades* recensentur. In eo tamen differt casus noster ab aliis, quod omnia ea, quae alii auctores separatim, atque in diuersis subiectis obseruarunt, hic coniuncta conspexerim. Sic *Naturae Curiosi* describunt *epilepsiam a uermibus*: adducunt *horrenda symptomata* quotidie circa horam tertiam pomeridianam sese exerentia, per horam durantia: recensent *loquelae difficultatem*, *mensium retardationem*, *mentis alienationem*, *contracturam*, *continuum atque*

con-

contumacem horrorem a lumbricis, quae omnia in *nostro subiecto* uisebantur. *Dec. II. A. V.* p. 10. *App.* legimus, puellam *chorea S. Viti lunatica a uermibus* laborasse, cum quolibet *nouilunio* per integrum diem saltauerit. Chorea finita leues superuenere *conuulsiones epilepticae*, quibus cessantibus suauis insecutus est *somnus*. Saltare nostra non potuit ob *tremorem paralytodeum*; animus tamen saltandi fuit sub *risu sardonio*, imo *cachinno* atque *delirio*; hoc de saltatione finito, superuenere etiam *conuulsiones epilepticae*, atque his perpessis aliqualis *somnus*. Tandem et in *Actis Phys. Med. Acad. Caes. N. C. Volumine I. p.* 287. *obs.* CXXXVI. adducitur *casus*, nostro aliquatenus similis. Licet autem ille pro *magico*, atque ueneficis artibus producto habeatur; *uermis* tamen teres, longus excretus, cum *menstruo irregulari*, motus illos *epilepticos*, *paralysin dextri lateris imperfectam*, *aphoniam* sat diuturnam, *deglutiendi difficultatem*, *febrem intermittentem*, intercurrentibus *conuulsionibus*, uel solus producere potuit, confirmante id ipsum satis superque *obseruatione* nostra. Haec sunt, *Vir Excellentissime*, quae Illustri Tuo Nomini inscribere ausus sum. Hoc autem uehementer opto, ut et *inscriptionem* hanc benigne accipias, et inter maximos, *Te Domine*, Maecenates uenerari *Societati Nostrae* semper liceat. Ac sicut hanc singularem felicitatem spe maxima, nec uano omine expectamus: ita id studebimus semper, ut illustria Tua in remp. literariam merita, eminentissimaeque laudes, ad seros usque posteros referantur. Extremo precor Deum immortalem, cum, ut quicquid publice, priuatimque agis, ac suscipis, felicissimum semper sortiatur euentum, tum ut Remp. literariam meritorum gloria diutissime illustres: tum denique ut quicquid nomen meretur felicitatis, illud abunde semper cumulateque consequaris. Vale. Dab. Vindobonae, d. VI. Febr. A. S. R. CIϽ IϽCCXXX.

AD

AD

CONSVMMATAE ERVDITIONIS MEDICVM

PERILLVSTREM MAGNIFICVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM VIRVM

DOMINVM FRANCISCVM FRIDERICVM POSSINGER

S. R. I. EQVITEM DE PECHENSTEIN

CONSILIARIVM ATQVE ARCHIATRVM CAESAREVM ETC.

DE

MORBO PETECHIALI

QVI ANNO 1683 EPIDEMICE POSONII GRASSATVS EST

EPISTOLA

CAROLI FRIDERICI LOEW

NOB. HVNG.

SERENISSIMI DVCIS SAXO-MEININGENSIS CONSILIARII ACTVALIS ET ARCHIATRI

S.R.I. ACAD. N.C. ADIVNCTI D. PITTALI.



VIR
PERILLVSTRIS, MAGNIFICE,
EXCELLENTISSIME.



eniam dabit audaciae meae, qua *ardua negotia Tua* turbare non ſum ueritus, par *faſtigio Tuo humanitas*: tanto facilius, quo maiori fide Tibi affirmare poſſum, non alia cauſa, quam *pietatis lege* impulſum me ad hoc ſcriptionis genus acceſſiſſe, ut extaret aliquando gratae mentis documentum, pro illo inſigni *fauore Tuo*, quo Tibi me dudum tam in *publicis*, quam *priuatis conſiliis* reddidiſti obſtrictiſſimum. Non facile ſuccurrebat, qua ratione Tibi grati animi pietatem probarem: nihil ex propria ſupellectile, quamuis plurima ſeſe offerrent, ad dandam erga Te mei ſignificationem, di-

gnum esse censui: urgebat interim, quia relaturum me gratiam affirmare non audeo, habendae saltem, et quauis ratione declarandae gratiae officium. Malui proinde ex re, non tamen prorsus aliena, nempe beati parentis, *Virtutum Tuarum* ueneratoris, laboribus, aliquid depromere, quod *Magnifico Tuo Nomini* sacrum simul animi, referendae gratiae cupidissimi publicum esset documentum. Suscipe igitur serena fronte *historiam morbi petechialis*, qui *anno* 1683. *Posonii epidemice* grassatus est, a *Parente* meo pie defuncto, solicite conscriptam, *Illustrique Nomini Tuo* inscriptam in lucem publicam emittendam. Si quantum per *occupationes Tuas grauissimas* licuerit, hanc qualemcunque publico bono destinatam opellam perlustrare uolueris, inuenies forte non plane contemnenda, et digna, quae in publicum emittantur. Fiet autem hoc eo felicius, si, pace Tua, *Perillustri Nomine Tuo* sese hoc opusculum multis probauerit. Huius summa, ut supra monui, est *expositio morbi petechialis*, qui *Posonii epidemice* grassatus est, ad fidem scripti, a beato parente relicti. Initium huius historicae expositionis ducitur ab anno 1683, quo per Dei gratiam soluta obsidione Viennensi, *regno Hungariae*, misero fatalique *bello* miserrime afflicto, sigillatim *mense Septembr.* *pax* restituta fuit. Tunc uero *copiis militaribus* hyberne dimissis, et *Posonii* etiam per suburbia dispositis, mali semina sparsa sunt. *Milites* enim, quod *gregatim* in contuberniis *arctius* collocati erant, omnia *squalore*, *tetra*

immun-

immunditie, et foedis odoribus compleuerunt, ipſumque quaſi aerem inquinantes, *cateruatim*, et ueluti per manipulos in *febrem malignam petechialem* inciderunt. Morbus breui inualeſcens, quamplurimos ex illis conſumens, in malum tandem *epidemium* degenerauit, et in *incolas* plerosque, ſine *aetatis* diſcrimine, maxime uero in *iuuenes*, maturae et robuſtae aetatis homines, non modo *plebeios*, uerum etiam *nobiles* et diuites, uehementer graſſari coepit, ita, ut ferme nullam domum intactam reliquerit. Incepit morbus hic epidemius *menſe Nouembr. anni ſupra citati*, qui ſtatim *horrore* artus corripuit, interdum *intenſiore*, interdum *remiſſiore*, nonnunquam *per interualla recurrente*, quem preſſo pede excepit *calor* in principio leuis, qui aegrum primis adhuc diebus uix a negotiis ſolitis detinuit, interiora tamen occupans ſenſim auctus eſt. Ob ſanguinis ergo rarefactionem maiorem, et noxam uiſceribus impresſam multa ſtatim oriebantur *periculoſa ſymptomata, nauſea, anorexia, uomitus, cardialgia, ſitis*, nonnunquam remittens, *dolor capitis, uigiliae, laſſitudo ſpontanea*, quae *ſymptomata* ad IV *diem* ſenſim aucta perdurabant, tanta interea nonnunquam lenitate, ut quamplurimi uim morbi laxatam crediderint, eiusque *cauſam in errorem externum* commiſſum reiecerint. Verum progreſſu temporis morbus *malignitatem* ſuam prodidit, *intenſiſſimi caloris* ſui effluuia per totum corpus diffundens, horrendeque producens ſymptomata. In unico

ſaltem homine *mitior uis morbi* obſeruata fuit: in *blandiſſimo* per totum morbi decurſum *calore* nulla *ſitis*, nullum oriebatur *delirium*, de ſolo *capitis dolore*, et *proſtratis uiribus* querela fuit. Ceterorum fere omnium, hoc morbo laborantium corpora quaſi incendio fumare, *inſolito calore* grauari ac corripi uiſa ſunt. Hinc obſeruabatur *laſſitudo* et *iactatio totius corporis*, *ſubita uirium proſtratio*, in nonnullis *uigiliae diuturnae*, quas ſtatim excepit *delirium*, nonnunquam in *incremento*, nonnunquam in *ſtatu morbi*, aliquando *mitius*, et per *unum* ſaltem *diem* durans, aliquando *ferocius*, nonnunquam *muſſitando* proditum, nonnunquam *nullum* fuit obſeruatum, ut in *piſtoris* cuiusdam *uxore*, nunquam *delirio* correpta, et tamen *die* VIII. praegreſſis *conuulſionibus* mortua. Sed praeſtabat *delirium ante nonum* acceſſiſſe *diem*, quam *poſt nonum*; quoscunque enim *poſt hunc* inuaſit, omnes fere mortui ſunt. Horum *delirium* nonnunquam degenerauit in *furorem*, quo agitati ſurrexerunt, et robuſtiſſimorum alioqui hominum actiones ediderint. In *declinatione morbi* nonnunquam *ſomnus* obrepſerat continuus, ita, ut aegroti et cibum et potum neglexerint. Sic et *mentis emotiones taciturnae* in eo, qui alioqui facultate loquendi pollebat, utplurimum erant *periculoſae*, quale exemplum in *ſaponario* quodam habui. Porro *ſomnum* aegrotorum plerumque turbabat *inquies nocturna*: hinc *delirare* coeperunt, et abſurda loqui. *Tinnitus* et *ſuſurrus*

rus aurium utplurimum in *incremento* iam huic morbo accedebat, quibus sese *auditus difficultas*, modo *salutaris*, modo *funesta*, collatis nempe reliquis *symptomatibus* periculosis, adiunxit, ut et *oculorum dolor* et *ardor*. Saepissime illis *coruscationes* uariique coloris figurae obuersabantur. *Vultus*, inprimis apud moribundos, *ferox* fuit. *Tremor manuum frequens*, sed *labiorum continuus*, et semper *exitialis*, et *intra* XXIV *horas imminentis mortis nuncius*, quod uidere licuit in duobus *Viris illustribus*, ut aliorum exempla praetereamus. *Tremorem* autem statim uel sequebantur, uel praecedebant *conuulsiones*, non tamen adeo *funestae*, utut periculoso satis indicio *floccos legere* coeperint decumbentes. Quorum aliqui *motibus* tandem *conuulsiuis* et ipsa *epilepsia* correpti, uiolentia morbi consumpti sunt, cuius exemplum praebuit quidam *iuuenis* XXI. *annorum*, qui post *conuulsiones* incidit in *motus conuulsiuos*, et ipsam *epilepsiam* LV. *horas* durantem. Curatae tamen *epilepsiae* huic morbo *die* XII. superuenientis, et *per integrum diem* obseruatae exemplum habui in *iuuene* quodam pannifice. Ad unum fere omnes *caput rotari*, seque *uertigine* laborare dixerunt. *Vertiginis* inseparabilis comes erat *dolor capitis*, qui et in *artus* et *lumbos* nonnunquam sese diffundit, ut ingentes *nephritides*, *uterique affectus* adesse crediderint, quod in *uirgine* quadam obseruaui, *causam* tamen semper a *miasmate maligno* infestante sanguinem, quod in maioribus venis

nis et arteriis ad illas partes deuoluebatur, deducendam esse duxi. *Gustus* saepissime plane fuit *deprauatus* ac peruersus in hoc morbo, ut aegroti nonnunquam *aquam* pro *uino* biberint, *poma citrina* pro *uuis recentibus*, quod meo exemplo testari possum, comederint. *Aphonia* quoque, non semper tamen *lethalis*, obseruabatur, cuius per *integrum* ferme *diem* durantis, et tamen *curatae* exemplum praebebat quidam *iuuenis* uiginti aliquot annorum. *Respiratio* saepenumero *difficilis* fuit, et *frequens*, *expiratio* uero nonnunquam quasi *flammea*, quae semper *mala*, uti uidere licuit in quodam *saponario*. *Pulsus* nonnunquam, inprimis in *principio*, *sanorum* fuit quam simillimus, nonnunquam *celer*, *frequens*, *intermittens*, *debilis*, *inaequalis*, ut saepissime iudicium de *signis* morbi *prognosticis* fefellerit. Erat tamen quoddam genus *pulsuum*, quo praesente *mortem* certo praesagire potuimus, si nempe decumbentes ad contrectationem *pulsus* aut *manus* retraxerint *tremulas*, easque *introrsum* duxerint, uitae quasi suae timentes, aut si *tremens*, *palpitans* et *caprizans* obseruatus fuerit *pulsus*. *Anxietates*, *lipothymiae*, *syncope*, in hoc morbo maximum cordi facessiuere negotium, ut nonnunquam per *tres dies* iteratis uicibus continuauerint. *Tussis* nonnunquam in *principio*, ut plurimum in *incremento* et *statu*, aliquando *humida*, aliquando *sicca*, sese exerebat, quarum *posterior* peior, et semper *malignitatis* arguebat praesentiam. *Cardial-*

gia

gia correpti prae dolore ingenti ſolum de *dolore* et *grauiſſima mole pectoris* conqueſti ſunt, exiſtimantes, hoc ſublato ſe priſtinam recuperaturos ſanitatem. Morbi *principium* ſemper erat cum *anorexia*, *nauſea*, interdum *uomitu*, qui ſi per *aliquot dies* durauit, nullisque *medicamentis* mitigari potuit, neque *macularum* eruptione ſuperueniente ceſſauit, *funeſti* ſemper exitus erat ſignum: aliquando *die ſeptimo* aut *octauo* demum oboriebatur. *Sitis* in his ſymptomatibus cum morbo *incrementum* ſumebat; nonnunquam tamen ferme *nulla*, praeſente licet *ingenti* et totum corpus quaſi corripiente *calore*, obſeruata fuit, quod *peſſimum* erat *ſigum*. *Singultu*, huic morbo utplurimum *in ſtatu* ſuperueniente, plerique, quos ſub mea habui cura, ſunt *mortui*, quidam tamen etiam *ſeruati*, ut adeo *ſingultus* non ſemper *ſignum* imminentis *mortis* in *febribus acutis* infallibile ſit; ut refert *Epiphan. Ferdinandus*. *Haemorrhagia* quoque ſaepiſſime hunc morbum ſecuta eſt, *periculoſa primis diebus*, et in ipſo *morbi ſtatu*, quod multis exemplis probare poſſemus, aliquando tamen *critica*, et ſibi relicta, *ſalutaris*; ſed imperitia *chirurgorum die ſeptimo ſuppreſſa*, funeſta. Sequiorem *ſexum* morbus iſte *duplo grauius* affligebat. Pleraeque enim hoc tempore *menſes* erant expertae, aliae *primis* ſtatim *diebus*, aliae *nono* demum *die*, qui ſemper exacerbabant *ſymptomata*, ut pauciſſimae euaſerint; *benignior* uero fuit morbi uis in *menſium fluxu* deſtitutis.

Sed nec *puerperae*, et *grauidae* ab hoc morbo fuere immunes, licet non omnibus *exitioſo*. Soror enim mea hac *febre epidemiali* correpta per Dei gratiam conualuit, et robuſtum ſuo tempore enixa eſt puerum. *Aluus* quamplurimis per *aliquot dies* fuit *obſtructa*, ut eam tandem *ſuppoſitorio* reſerare debuerimus. Nonnulli aegrotorum iam in principio *diarrhoeam* perpeſſi ſunt, quae ſi nullis *medicamentis*, eiusmodi affectibus alioqui maxime accommodatis, cedere uoluit, *res deſperata* fuit; ſaepiſſime tamen et in *principio*, *incremento*, et *ſtatu*, remediis rite adhibitis, optimo cum ſucceſſu *ſedata* fuit, imo *diarrhoea critica*, *die* VII. cum aegri leuamine, quae ſequentibus diebus ſua ſponte ceſſauit, oborta eſt. Et fateri quoque debemus, fluxum alui *moderatum* ſaepiſſime non fuiſſe attendendum. Sic *uermes* tam in *principio*, quam *ſtatu* ἄνω et κάτω ſat longos reiectos in duabus perſonis, quae tamen euaſere, uidi. *Sudores* ſaepenumero ſua ſponte apparebant, interdum *critici*, qui omnes boni, interdum vere *reſolutiui*, imminente inprimis morte, qui peſſimi; totum enim corpus tunc temporis in uaporem et madorem reſolui uidebatur. *Parotides* permultis oboriebantur utplurimum *die* XIV, et *per* XIV ferme *dies* durabant, nunquam tamen *lethales*. Adhibitis enim mox *ſudoriferis* per inſenſibilem tranſpirationem diſcuſſae ſunt, ſine omni metu recidiuae. *Lingua* ſaepiſſime erat fiſſa, nonnunquam *muco albi-*

tante

cante indurato, inprimis adulto iam morbo, quasi crusta quadam obducta, ut etiam *potulentorum*, ob membranearum oesophagi fibrarum a calore ingenti exiccatarum difficilem constrictionem, *laboriosa* fuerit *deglutitio*; aliquando *nigra*, quae et *faucibus* peregrinum huncce suum impressit characterem, ut tandem *sphacelo* correptae et exesae fuerint, quale exemplum in *puero* VII *annorum*, hoc *symptomate* affecto, et propterea metu dolorum *uiginti* ferme *dies* neque *cibum*, neque *potum*, neque *medicamentum* assumente, habuimus. *Exanthemata* tandem aliis iam II, quod meo exemplo testari possum, aliis et utplurimum IV, aliis VII erupere *die*, in aliis non *una uice* exiere, sed *tractu quorundam dierum*; alii *secundam* quoque *eruptionem die* XIV experti sunt, cui aliquando superueniebat *uesica* in *dorso*, *nucis* magnitudinem aequans, et *aquam limpidam* continens, *funesta*, quam in *Barone de Nobis* conspeximus. Erant *maculae*, quantum ad *colorem* attinet, *uersicolores*, *rubrae*, *purpureae*, *fuscae* et quasi *crocei* coloris, *albae*, ut in *aethiopico* quodam, *nigrae*, *liuidae*, quae duae posteriores *pessimae*, inprimis in *dorso*, *manibus*, *pectore*, *pedibus*, *natibus*, nonnunquam et *facie*, quae non semper *funestae*, interdum *magnae*, interdum *paruae*, *pulicum morsibus* similes, nullum tamen *punctum* in medio habentes, nonnunqnam *sparsim*, nonnunquam *confertim milii solis* et *sudaminum* instar, (*aspredines milia-*

 ceae

ceae dictae,) quae etiam *malae*, per *ſeptem*, *octo*, *nouem dies*, conſpiciendae. Sed cum *morbus* hic tam *uarius* ac *multiplex* fuerit, ut non tantum nullo *aetatis* diſcrimine ſaeuierit; uerum etiam in omnes *ſporadicos morbos*, ſi qui aegrum uexabant, ſeſe transformauerit, ut aliquando *tuſſim*, ſaepiſſime *catarrhum*, aliquando *colicam*, *podagram*, *pleuritidem*, *febrem tertianam*, ſeruando exactiſſime *periodicam exacerbationem*, tempore nempe *apyrexias* euaneſcentibus *maculis*, ingruente uero *paroxyſmo* redeuntibus, mentita fuerit, quis quaeſo omnia *ſymptomata*, quibus hic morbus *auctus* et *exacerbatus* eſt, enarrare queat? Sufficiat ergo, haec fideliter, prout in *praxi mea* obſeruaui, annotaſſe. Morbus hic nonnunquam *cito*, nonnunquam *tardius* ſua decurrebat *tempora*, ut etiam XXIV. *dies*, licet rariſſime, *funeſtus* fuerit; *die* XII. ac XIII. utplurimum *grauiora* ac *uehementiora* erant *ſymptomata*, proindeque accuratius attendenda. Etſi uero in *Hungaria* frequens eſt hic *morbus*, et *quotannis* obſeruandus, graſſari tamen *uehementius* more ſolito *hoc anno* cepit, ut ferme in ſolum *contaginm*, corpora *metu* atque *timore* debilitata facilius corripiens, reiicere *cauſam* auſi fuerimus. *Principium* quidem huic *morbo* dedere *milites*, utpote qui *temperiem* huius *regionis* nec obſeruantes, nec ferentes, ſed *uino* nimium indulgentes in *morbos* inciderunt *malignos*, *gregatim* deinceps in *contubernia arctiora* coniecti non

modo


modo *commilitones*, uerum etiam *inquilinos* contagione infecerunt, quae latius ſerpendo et eundo tantas acquiſiuit uires, ut in *morbum epidemialem* degenerauerit, et plures e medio ſuſtulerit. *Anni tempeſtas* malum hoc inſigniter fouebat, nempe utplurimum *humidior*, cum *pluuiis* copioſis et fere continuis, *nebulis* foetidiſſimis, creberrimis toto fere *Nouembri* et *Decembri*, quo tempore *petechiae* in homines grauius debacchati ſunt. Etſi uero uehementia *frigoris* ſubſecuti mali huius uim ſublatam aut minutam arbitrati ſumus, tantum tamen abfuit, ut ceſſauerit, ut potius ferme eandem noxam ac *uehementiam*, licet alter *menſis* prae altero fuerit *benignior*, exeruerit, in *menſem Iunium* uſque eam protraxerit, plures non modo *familiarius* cum aegris uerſantes, uerum etiam *nullam plane conſuetudinem* cum *infectis* habentes, et homines, qui aegrotos uiſitabant, fugientes, ſemperque domi quaſi fixi haerentes, corripuerit, ut in eiuſmodi homines ex ſola *imaginatione contagium* manarit, correptosque ſuſtulerit. *Remedium* praecipuum ac praeſentiſſimum fuit *Venae ſectio*, a qua et *curam* ſemper *ordiri*, eamque *in primis diebus repetere* debuimus. Quamprimum uero *maculae* ſeſe in conſpectum dedere, quamuis plerique *auctorum*, et inter eos praecipuus NEVKRANZ *de purp.* id ſuadeant, penitus tamen *abſtinendum* erat ab hoc alioquin praeſtantiſſimo remedio. *Purgantia*, quae

ad unum fere omnes admittunt ſcriptores, *Vomitoria*, etiam *in principio*, nullum hic inuenere locum, imo omnes, quibus *Purgantia* exhibita ſunt, *breui poſt expirarunt;* eorum uero *exanthemata* ſemper apparebant *latiora*. Ex iis, qui *Vomitoria* aſſumſere, pauciſſimi, nempe ii ſolummodo, quorum *robur naturae* adhuc erat inconcuſſum, euaſere, in quibus et *citius* morbus ſua decurrit tempora. *Expellentia*, *alexipharmaca*, *confortantia*, *cordialia*, *temperata*, u. gr. *ſpec. liberant. ſal uolat. C. C. fixat. unicorn. mar. C. C. philoſ. praepar.* item *Emulſiones*, *mixtura* ex *mithridatio*, *confect. alkerm.* et *aqua fumar.* inprimis tempore *continuarum uigiliarum* data, ac ſequenti *die* ueſperi iterata, quae ad *ſomnum* placidum aegrotos diſpoſuit, ac *deliria* mitigauit, *lap. bezoar orient.* praecipue ubi *cordis anxietates* uehementer urgebant, qui miraculoſa fere ratione eas ſtatim ſuſtulit, omne hic tulere punctum. *Symptomatibus* ex proprio fonte erat ſuccurendum; e contrario *calida* omnia, quae maiorem excitarunt efferueſcentiam, uitanda. *Antimonium diaphoreticum* quoties fuit datum, fere ſemper excitauit *diarrhoeam;* exhibitum uero *in febribus malignis ſine exanthematibus* rarius, facile tamen *terr. ſigillat.* uel *mithridat.* ſedata fuit. Foeminis, *affectibus hyſtericis* obnoxiis, *extract. caſtor.* praeſentiſſimam tulit opem. *Veſicatoria* iuſto tempore applicata, non modo in *aphonia* ſaepiſſime aegrotis ſermonem

monem reddidere, uerum etiam ferociam *deliriorum*, ac quasi *phrenitides* debellarunt. *Opiatorum* usum, utpote in his *regionibus* merito suspectum, experiri nolui, *Topicis* quidem frequenter in perpetuis *uigiliis* et *capitis doloribus*, cum successu admiscui. Quodsi iam ad ἀκμὴν peruenit *morbus*, *sudoribus* probe elicitis tandem *spec. de gemm. frigid.* de *hyacinth.* cum *nitro* ordinaui, quorum usum, quousque *penitus remisit calor*, continuauimus. *Confortantia*, *cordialia balsama* in frequenti usu habui. *Restaurantia iuscula* interdiu et noctu aliquoties aegris exhibenda suasi, *uini* ac *cereuisiae* usu omnes abstinere iussi, *aquam coctam* ex *rad. scorzon.* cum *C. C.* et *ras. ebor. sem. foenic.* etc. pro *potu ordinario* praescripsi. *Mutationem linteorum* mundorum et *indusiorum* crebram, etsi permittat NEVKRANZ *de purp.* p. 351, semper tamen ego, ob rationes certas et experientia stabilitas, dissuasi. Victo iam penitus *morbo*, et *uiribus* aliquantum iam redeuntibus, tandem ad *Purgantia* descendi, quibus reliqui *excrementitii humores*, ne *recidiua* subsequeretur, cum emolumento aegrotantium expellerentur. Hac ratione *quamplurimos* per Dei gratiam *pristinae sanitati* restituimus. Haec, VIR, LECTIONE ET EXPERIENTIA CELEBERRIME, sunt, quae illis temporibus obseruauit, et bona fide de hoc *morbi* genere literis consignauit *beatus Parens*. Huius *paternae* industriae monumenta plura possideo, *gra-*

uissimo

uissimo Tuo iudicio, una cum *meis rarioribus obseruationibus*, subiicienda, et, si Tibi ita uisum fuerit, *publico bono* non inuidenda. Nihil proinde auidius expecto, quam, quod sine Tua molestia fiat, Tuum de hoc instituto *consilium*. Si Tibi placuisse intellexero, affirmo Tibi, me existimaturum, mihi *grauitate iudicii Tui*, et *conatus meos iuuandi facilitate* id, quod maxime unquam cupierim, contigisse. Quod superest, Tibi CAESAREAE NOSTRAE ACADEMIAE spes fortunasque commendo, nihil dubitans, quin de hoc meo studio recte et benigne sis existimaturus. Dab. *Viennae* d. VII. Febr. A. S. R. CIƆ IƆCCXXX.



Ad Illu-

ILLUSTRI VIRO
DOMINO
HANS SLOANE
SERENISSIMI ANGLIAE REGIS
PROTOMEDICO
SOCIET. REG. ANGLICAE ET COLLEGII REGII
MEDICORUM PRAESIDI
OTIA AESTIVALIA
CIRCA
THERMAS BADENSES HELVET. ETC.
CONSECRAT
IO. IAC. SCHEUCHZERUS.

olent ubique terrarum, qui *Balnea* adeunt, indulgere otio, compotationibus, deambulationibus, ſaltationibus, proſcribere animi corporisque labores ſerios. Ad *Thermas Badenſes* invitavit me, imo traxit, æſtate nupera urgens pro familia neceſſitas, ubi indulſi & ego otio, ſed pro more negotioſo. Animus erat cumprimis δοκιμασίαν inſtituere aquarum natura calidarum, quæ magno quotannis celebrantur affluxu, fama per orbem, & inde a Romanorum temporibus notæ, ut mirum omnino ſit, non alia fere proſtare quam experimentorum in corporibus tum ægrorum, tum ſanorum examina, & conſtitiſſe vel parum vel nihil de genuinis harum aquarum ingredientibus. Sulphur tribuerunt

runt hactenus ſcriptores, Alumen & Nitrum. An recte, conſtabit ex ſequentibus. De ſulphure nulla eſt quæſtio, prodit id odor, in nonnullis quidem fontibus, ſpeciatim Curiæ poſterioris, *des hintern Hofs*, fortior, in aliis debilior, fortior olim quoque in aliis fontibus, quam nunc eſt, teſtantibus id, qui ante 30 vel 40 annos his balneis uſi ſunt, & ſpeciatim citiorem argenti denigrationem obſervarunt, quam quidem nunc, ut omnino probabile ſit, & conceptu haud difficile, exhauriri poſſe longo annorum ſeculorumve decurſu ſubterraneas venas, per quarum ſtrata aquæ fluunt, quam vel alterationem vel diminutionem obſervare liceret, ſi per luſtra exacta inſtitueretur nova ſemper δοκιμασία. Ad ipſos quoque fontes ſaxis coopertos reperitur *ſulphur nativum*, veluti ſublimatum.

Rem eſſe difficilem admodum *docimaſiam aquarum*, norunt ii, qui in hac palæſtra ſeſe exercent; quot ſunt in *Thermopoli Badenſi* fontes ex utraque Limagi ripa, tot elaboravi docimaſtica themata, & ſumma quidem ut attentione, ita & patientia. Quid infuſiones præſtiterint, adjecta exhibet *Tabella I.* Cui adde, affuſionem liquorum acidorum, ſpiritus nitri, vitrioli, aceti deſtillati, nullam dediſſe mutationem, ſedimentum per ſolutionem Lunæ, quam fixam ſumſi, ſive cupellatam, præcipitatum lactei coloris ſi aliquandiu ſteterit, commoto vitro ſurgentes exhibet e fundo albiſſimi coloris pilos & nebulas, quibuscum conferri merentur piliformes illi tractus vel ſetiformes, qui in cryſtallis aliquando ſeſe exhibent jucundo ſpectaculo, coloris vel viridis, vel nigri, vel flavi. Agitato magis in orbem liquido, nebulæ ſurgentes & luci expoſitæ aureum ſiſtunt & veluti lucentem colorem. Quas obſervavi mutationes cum decocto gallarum, turbati nempe liquidi in ſaturum virorem, incipiunt eæ ſemper a ſuprema ſuperficie, & exhibent initio circellum nigricantem.

Vt

TAB. I. *ad Append. pag.* 42.	Balneum S. Verenæ.	Balneum Liberum, *Freybad.*	Curia posterior, *Hinderhof.*	Curia Stadensis, *Stadhof.*	Ad Vrsum. *zum Bären.*	Ad Bovem, *zum Ochsen.*	Leonculus & catulus ursi in curia Stadensi.	Balnea minora, *kleine Bäder.*	Aqua Fontana trans Limagum.	Aqua Fontana urbis *Marckbrunn.*	Cordelibrum ex urbe.
Cum Decocto gallarum	nulla initio mutatio, post 12 horas turbatur liquor, ex atro virescit, præcipitato sedimento terrei coloris.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	mox obscuratur, per noctem contrahit virorem nigricantem, deposito ad fundum sedimento terreo.	Id. cum No. 1.		Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	nulla mutatio, post satura viriditas cum sedimento terreo, seu lurido, ut in thermalibus aquis.	nulla mutatio, post biduum viridem induit colorem opacum, fluitantibus hinc inde floccis terrei coloris.	nulla mutatio, postea parum turbatur in superficie.
Cum Syrupo violarum	nulla mutatio, post tenuem induit opacitatem.	Id. cum No. 1. 3.	post aliquot horas parum virescit.	Id. cum No. 3.	parum virescit.	Id. cum No. 3.	Id. cum No. 3.	tenuis viror.	tenuis viror.	nulla mutatio, post in fundo rubellum induit colorem.	nulla mutatio, turbatur post in albidum liquorem.
Cum solutione Aluminis.	Enæorema lacteum in medio, quod postea sese demisit ad fundum.	lactescentia in summo: præcipitatur lacteum sedimentum.	lactescentia in summo, elapsis aliquot horis enæorema viscidum in medio liquore.	Idem, suspensis quibusdam floccis.	nubes lactea in medio, postea descendit ad fundum, suspensis manentibus floccis.	illico parum lactescit, mox magis & magis subsident postea flocci ad fundum.	Id. cum. No. 5.	Id. cum No. 2. natantibus hinc inde floccis.	tenuis opacitas lactea in medio sese diffundit, postea per totum liquorem.	Enæorema lacteum in medio, quod post biduum descendit, fluitantibus hinc inde floccis.	Enæorema lacteum in medio, quod post descendit, suspensis hinc inde floccis & bullis ad parietes vitri.
Cum solutione Veneris.	levis lactescentia in summo, postea clarescit liquor, tincturæ virore manente.			Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1. innumeris bullulis ad margines vitri hærentibus.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	tenuis opacitas lactea in summo, postea clarescit.	parum in summo lactescit, post clarescit.	
Cum solutione Iovis.	præcipitatio copiosa lactea, clarescente desuper liquore.	Id. cum No. 1. clarescente liquore surgunt ex lacteo sedimento bullulæ.		Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.		opacitas lactea satis copiosa in imo.	exigua opacitas, in medio surgunt minutissimæ bullulæ, descendit post lacteum sedimentum satis copiosum & spissum.	nulla mutatio, præcipitatur post sedimentum lacteum viscidiusculum.
Cum solutione Lunæ.	præcipitatio subitanea & copiosa calcis lacteæ, liquore desuper obscure terreo: elapsis aliquot horis clarescit liquor, manente calce in fundo.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	Id. cum. No. 1.	Id. cum No. 1.	crassior lactescentia præcipitatur per noctem, copiosa calx albissima.		Id. cum No. 1.	tenuis opacitas lactea in summo sese diffundit, postea per totum liquorem, sed tenuissima.	exigua opacitas, postea clarescit.	nulla mutatio.
Cum Oleo Tartari p. d.	præcipitatio lactea, clarescente desuper liquore.	clarescente aqua tenuis supernatat cuticula, subsidente albissimi coloris puluere. Id. cum No. 1.	lacteum præcipitatur sedimentum satis cohærens.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1.	Id. cum No. 1. præcipitatum pulverulentum potius quam floccosum.	Id. cum No. 1.	lactescentia fere per totum præcipitatur, post cuticula tenui in summo.	tenuis opacitas lactea in medio sese diffundens post per totum liquorem.	parum lactescit in summo, post biduum in imo.	lactescit in medio, clarescit postea, bullis in fundo ad parietes hærentibus.
Cum solutione Mercurii subl.	tenuis opacitas: postea parietibus adhærescunt subtilissimi pulvisculi albi, supernatante cuticula varicolore.	Id. cum No. 1.	nulla mutatio: post aliquot horas levis opacitas, supernatante cuticula varicolore.	Id. cum No. 3.	Id. cum No. 3.	nulla mutatio.	Id. cum No. 3.	Id. cum No. 3.	tenuis opacitas lactea in imo, tenuissima post supernatante pellicula tenui varicolore.	nulla mutatio: post biduum parietibus adhærent copiosæ bullæ, & superficiē tegit cuticula veluti reticularis sulphurei coloris.	lactescit ad fundū, hærente post tenui sedimento lutescentis coloris, innatante cuticula varicolore, prædominante colore sulphureo.
Cum solutione Sacchari Saturni.	fusca opacitas, postea clarescit, adhærentibus subtilissimis pulvisculis ad parietes.	Id. cum No. 1. 4.	deposito ad fundum pauco sedimento terreo.	nulla mutatio.	turbatur in lacteum liquorem: cætera ut No. 1.		Id. cum No. 1.	levis opacitas.	tenuis opacitas lactea in summo, post clarescit, manente pellicula tenui.	lactescit parum, postea clarescit, supernatante cuticula.	lactescit ad superficiem, post clarescit, bullulis ad parietes hærentibus, & cuticula innatante.

Experimenta Salis thermalis collati cum Sedlicenſi, Anglico, communi.

TAB. II. *ad Append. pag.* 48.	Figura.	Color ſolutionis ſaturatæ.	Syrup. violarum affuſus ſolutioni dilutæ.	Lac.	Calcinatio in crucibulo ignito.	Spiritus vitrioli affuſus ſolutioni dilutæ.	Spiritus vini rectiſſ. affuſus ſolutioni dilutæ.	Spiritus Salis Arm. affuſus ſolutioni dilutæ.	Spir. C. C. ſeu Sal. volat. aff. ſolutioni dilutæ.	Pondus in aere.	Inſpir. vini rectiſſ.	Dimin. pondus.	Proportio ad ſp.
Sal thermale.	cubica, quam formant ſex pyramides tetragonæ.	pulchre flavus, qualis eſt Tinct. citri.	egregius illico viror, qui biduo exacto fere evaneſcit.	nulla ne per biduum coagulatio.	crepitat ab initio, fluit ſpatio 5′, effuſi color griſeus.	nulla mutatio: clarus per biduum liquor, ſolvitur ſal omne.	lacteſcentia in ſummo, quæ poſt biduum diſparet adhærentibus copioſis bullis ad parietes.	nulla mutatio: poſt biduum leviſſima tinctura flava. Salis maior pars inſoluta manet.	nulla mutatio: poſt biduum turbatur liquor, colorem induit flaveſcentem.	gr. 133	gr. 34	gr. 99.	$1\frac{34}{99}$
Sal Sedlicenſe.		color flavus, liquor amariſſimus.	tenuis viror, qui perſtat, ſed dilutior.	Id.	fluit 5′, effuſi color albus inclinans ad carneum.	egregie rubellum in fundo acquirit colorem, qui per biduum totus fere evaneſcit liquore clareſcente.	Id.	Id.	turbatur liquor in parietibus, linquit arbuſculas ſalinas.	gr. 133	gr. 50	83	$1\frac{50}{83}$
Sal Anglicum.	parallelepipeda ſeu priſmata tetragona ſubinde in parvum & obtuſum mucronem terminata.	nullus.	egregius viror, qui manet, ſed dilutior redditur.	Id.	fluit 8′. Color idē.	nulla mutatio: defluus evaporata aqua liquor linquit in parietibus vitri arbuſculas frondoſas, intermixtis lamellis tetragonis, paſſim cuſpidatis.	lacteſcentia manet poſt biduum in medietate ſuperiore, bullæ copioſæ ad parietes.	Id.	turbatur medietas liquoris ſuperior ſubflaveſcens.	gr. 133	63	70	$1\frac{63}{70}$
Sal commune.	cubica, evaporationi expoſita ſolutione ſal margines vitri exſuperat, & totam hujus ſuperficiem obtegit, ut arbor ferri parari ſolet.	nullus.	nulla mutatio, biduo exacto dilutus viror verſus fundum.	Id.	crepitat ab initio, fluit 4′. Color albidus.	parietibus adhærent copioſæ bullæ, clareſcente liquore adhærentibus ſpiculis ſalinis ad parietes vitri.	lacteſcit in ſummo poſt biduum per totum, bullis adhærentibus, ſed minus copioſis.	clareſcit liquor ſublimato ſale ad margines vitri.	turbatur liquor, bullæ ad parietes.	gr. 133	77	56	$2\frac{3}{8}$

Vt certior fierem *de origine aquarum thermalium*, incerta hactenus, subjeci examini meo aquas ipsas cis & trans *Limagum* fontanas, usui tum potatorio tum culinari inservientes, & patebit ex collatis experimentis, accedere propius ad naturam thermarum fontem trans-Limaganum, qui ad radices *Legerii montis* scaturit, & ad arcem quoque, quæ Præfecti est sedes, derivari solet, ut inde conjicere liceat, aquam per subterranea strata ex longo satis & eminenti Legerii jugo, sylvis & vineis obsito, ab oriente defluam, in utraque Limagi ripa demum imprægnari, & salibus, aliisq; mineralibus, & calorem adipisci, ut origini propiores sint, aquæ thermales minorum, ut vocant, Balneorum, *die kleinen Bäder*, reliqua aqua sub Limagi alveo transeunte ad majora, *grosse Bäder*, firmant conjecturam & aquæ abundatissima copia, de qua post, & fontes nonnulli in ipso Limagi alveo scaturientes, per totum fere annum rapido flumini sese tradentes. Accedit, quod fons ille trans Limagum per æstatem frigidus, hyeme sit tepidus, nive circa scaturiginem mox liquata, salis insuper ejusdem cum thermali naturæ exigua portio, ut nihil fere huic fontanæ aquæ desit, præter sulphuris augmentum & calorem actualem pro transitu ad aquas thermales. Pondus insuper addit, quod ad stateram examinatæ aquæ thermales minorum balneorum, sive *Trans-Limaganorum*, ejusdem sint ponderis præcise cum aqua ejusdem ripæ fontana. Tandem ipsum hujus *fontis trans-Limagani* sal est ut ipsum thermale, figuræ cubicæ, & color saturati liquoris & collati flavus. Patebit porro ex sequentibus, dicta balnea minora minori gaudere salis & terræ portione, ut inde judicare liceat, in via infra alveum *Limagi* & ipso Balneorum majorum loco accedere majorem tum salis tum terræ portionem. De aquis thermalibus omnibus id notari meretur, non misceri saponi, inidoneas proin esse barbitonsoribus, *es gibt kein Lab.*

 Exa-

Examinatis ad *pondus* aquis thermalibus, & collatis cum aqua fontana *trans-Limagana*, hanc ſuperari ab illis in uncia una granis

ad Vrſum	. . . .	$2\frac{358}{661}$
ad Leunculum & catulum Vrſi *im Stadhof*	. .	$1\frac{871}{1049}$
in Balneo libero	. . . .	$\frac{480}{1329}$
in Curia poſteriori	. . . .	$\frac{480}{1224}$
in Balneo S. Verenæ	. . . .	$2\frac{438}{621}$
in Curia Stadenſi, *vom Keſſel*	. . . .	$\frac{960}{1243}$
ad Bovem	. . . .	$1\frac{233}{247}$

Correſpondent fere ſedimenta ex menſuris Badenſibus 7 evaporatione facta reſidua.

Ad Vrſum . . .	℥. 2.	ʒ. 3.	gr. 17.
Curiæ poſterioris	1. -	7. —	8.
Balnei S. Verenæ	1. -	6. —	39.
Curiæ Stadenſis	1. -	6. —	16.
Ad Florem . . . -	1. -	7. —	57.
Ad Solem . . . -	1. -	5. —	6.
Aq. F. trans Limag. —	—	—	38.
In Balneis minor.	—	6. —	57. iterato ʒ. 7. gr. 16.

Continet autem menſura vinaria urbica Badenſis, *Stadt-mäß*, ex computo ad originalia facto 136583 lineas cubicas Pariſinas. Reſpondet autem menſura Badenſis ℥. LIII pond. med. Vnde inferre licet, menſuram Badenſem continere particularum heterogenearum

ad Vrſum	. . . . grana	$165\frac{2}{7}$
in Curia poſteriori	. . . . —	$129\frac{5}{7}$
Balneo S. Verenæ	. . . . —	$125\frac{4}{7}$
Curia Stadenſi	. . . . —	$122\frac{2}{7}$

ad

ad Florem . . . . grana $136\frac{5}{7}$
ad Solem . . . . — $112\frac{2}{7}$
Aq. Font. trans Limag. . . . . — $5\frac{3}{7}$
in Balneis minoribus . . . . . gr. $59\frac{4}{7}$. item $61\frac{3}{7}$

Redeo ad *Sedimenta* supra exposita, ex 7 mensuris Badensibus singula, quæ ut probe examinarem, super laminam ferream igni exposui, ex ponderis defectu judicium laturus de portione particularum aquearum, sulphurearum, aliarumque forte subtiliorum: quod reliquum erat, decoxi in aqua fontana, extracturus ex filtrata ea Sal. Observavi autem adesse

	particulas avolare aptas,		*partes salinas,*			*pure terreas.*	
	ʒ.	gr.	℥.	ʒ.	gr.	ʒ.	gr.
ad Vrsum . .	2.	40.	1.	4.	2.	4.	35
in Curia poster.	1.	37.	1.	1.	45.	3.	46
in S. Veren. baln.		58.	1.	2.	33.	3.	8
in Curia Stadensi	1.	48.	1.	1.	11.	3.	17
ad Florem . .	1.	50.	1.	1.	30.	4.	37
ad Solem		52.		7.	53.	4.	21
in Balneis minor. . .				4.	51.	2.	$12\frac{1}{2}$

Iuxta hunc computum continebit mensura una aquæ, præter particulas eas, quæ quovis momento avolant, & pure terreas, quæ attentionem vix merentur, *salinas*, quæ præcipuum dant aquæ momentum, ut sequitur:

Ad Vrsum . . . . . . grana $103\frac{1}{7}$
in Curia posteriori . . . . . . $93\frac{3}{7}$
in S. Verenæ Balneo . . . . . $90\frac{3}{7}$
in Curia Stadensi . . . . $78\frac{5}{7}$
ad Florem . . . . $83\frac{3}{7}$
ad Solem . . . . $67\frac{4}{7}$
in Balneis minoribus . . . . . . $41\frac{4}{7}$

Medium si assumas terminum inter extremos, assignabis mensuræ gr. 85 *Salis*, quod singulari prorsus attentione est dignum, & fortean applicatione ad praxin, quam tempus docebit & experimenta. Est *Sal* hoc *cubicum*, quale sal commune, & sæpissime in cubis tanquam basi, *crystalli tetrahedrici pyramidales*, *concavi*, ad instar infundibuli. Et docuit me, dum *crystallisationes* tentavi, attentio ad circumstantias, formari cubos ex ipsis illis pyramidalibus corporibus, ex sex nempe in centro coeuntibus, cui genesi & Mathesis pollicem premit. Reperias cubos, in quorum hedris cavitas relicta est, ex materiæ defectu, quæ pyramides cavas implere debebat. Quanquam arduum sit, fateor, opus, demonstrare modum, quo particulæ salinæ primum in pyramides, dehinc in cubos vel parallelepipeda coeant. videantur GVILIELMINVS, SVVEDENBORGIVS, & CAPPELLERVS: Potior inquisitio erit in *vires hujus salis medicas*, vel *Anglico*, *Sedlicensi*, aliive surrogandas. Sternit viam vel sola crystallorum consideratio ad detegendam tum naturam, tum essentiam. Constat quippe esse *sal neutrum*, haud dubie magnarum virium ad detergendas primas vias, & reserandas varii generis obstructiones. Potior & *frequentissimus* est hodie aquarum harum *usus externus* pro balneatione, *rarior internus*, ad quem tamen propriis in se ipso factis experimentis viam stravit magnus noster CONRADVS GESNERVS, uti videre est in *Hydrographiæ* meæ *Helvet*. p. 403. Et nunc aliquando sunt, qui larga dosi assumta primas vias eluunt, vel & urinas movent. Evanescit ex analysi, quam institui, omne, quod forte aluminis præsentia imprimere poterat, periculum: aluminosi quippe nihil inest his aquis, & ne his quidem ad Bovem, quæ propter alumen a nonnullis frequentari solent præ aliis. Latet πρῶτον ψεῦδος in *cremore*, aquis nunc maiori nunc minori copia innatante, quæ *crusta*

alba

alba, mere calcaria, insipida, aluminis thermalis, *Bad-Alet* nomine venit. Et est hæc communis in regionibus nostris fabula, aluminosas esse aquas, quæ coctæ lactescunt propter commixtam calcariam terram. Sane qui considerat salinum medium seu neutrum contentum, insignem observabit inter aquas nostras thermales & acidulas convenientiam, & amplam satis portionem salis, quæ usui esse possit, drachmæ scil. $1\frac{1}{2}$ circiter in mensura Badensi. Et hæc portio si cui videatur, ut revera multis subjectis foret, nimium diffusa, poterit auxilio venire decoctio ad quartas; ita mensuræ uni inerunt ℥vj circiter salis, duabus 12: quod sal albissimum crystallisatione redditur, & quodammodo amarum. Si alcalici quid, absque quo neutrum esse non posset, est admixtum, certum id, *alcali non prædominari,* quia a spiritibus acidis, nitri, vitrioli, ut & syrupo violarum nullam patitur mutationem: nam si prædominium obtineret, causarentur dicti spiritus effervescentiam, & daret violarum syrupus colorem viridem. Sed *sulphur, idque Marte combinatum,* in his aquis Lunæ solutio prodit, quæ eis dat lacteum coagulum, gallarum item decoctum, quod eas reddit atro-fusco-virentes. Accedit consideratio loci. Sunt in *Comitatu Badensi* ex utraque *Limagi* ripa *venæ Martis*, ejusque *globularis* seu *pisiformis* abundantissimæ, & in ipsis *Legerii* visceribus copiosi *pyritæ*, qui agris passim forma pisorum, aliave crystallisati undique & in pyramides quadratas erecti inspersi jacent. Idem, de quo nunc, sulphureum pingue, per consequens & acidi portionem in sale neutro detegit copiosa ex affuso oleo tartari per deliquium lactescentia, quam quidem mutationem, sed longe debiliorem, subeunt pleræque ex nostris fontanis, utpote calcaria terra imprægnatis. Digressione hac haud forte incuriosa & inutili facta, redeo ad *Sal thermale*, quod exactius meretur examen, & parallelum cum *sale*

Sedli-

Sedlicensi & *Anglico* ita dicto, non *Epsamensi* illo, sed *arte parato*, quod hoc salis Anglici nomine per totam Europam circumfertur, & ex sale communi, oleo vitrioli saturato parari dicitur, nec in Anglia duntaxat, sed alibi, nominatim in Saxonia *ex salinarum sedimento*. Experimenta sistet peculiaris *Tabula II.*

Stuporem incutit *ingens aquarum thermalium copia*, quæ quotidie effluit ex fontibus ad balnea, & hinc in Limagi alveum, mensurarum incirca Badensium urbicarum 463036, ruralium 420371, *calculus*, qui præcisus esse non potest; hoc en fundamentum: Spatio horarum 24 influunt in unum ex balneis, effluuntque ex eodem 392688000 lin. cub. Paris., quarum 136583 dant mensuram urbicam Badensem, ruralem vero 150397 lin. Hujusmodi autem balnea numero 161, nempe

in Curia Stadensi	19
— — posteriori	28
ad Vrsum	11
ad Florem	8
ad Bovem	12
ad Corvum	18
pro Verenæ balneo	20
pro Balneo libero	30
ad Solem	13
pro Balneis minoribus	6
pro Fonte in Limago	1

Fuere hoc anno, qui siccioris per æstatem fuit constitutionis, *efflorescentiæ cutaneæ* frequentes & largæ, imo multis molestæ. De quibus observare velim, non pendere duntaxat a calore tubulos secretorios cutis laxante & ampliante, sed & a particulis in aqua contentis salinis, cutim blando quodam modo stimulantibus. Iuvat insuper aer ipse ob calorem, terra & balneis expirantem, rarior corpori

pori circumfluus. Sed obſervavi inſuper *diarrhœas*, frequentes in viris pariter ac fœminis, *vomitibus* aliquando ſtipatas, derivandas non ſolum a thermarum activitate, ſed & a conſtitutione aeris inæquali, nunc ſuda ſerena, nunc frigida pluvioſa, ſubinde tempeſtuoſa: ſed quoque acidulæ in his locis frequentes, vel ſolæ, vel maritatæ cum vino, excitabant facile diarrhoeas, ſed quæ brevi cedebant tonicis, ſtomachicis, diætæ convenienti. Tractavi inter alios virum 62 circiter annorum, temperamenti biloſo-hypochondriaci, qui d. 6 Aug. *Badam* ſe contulit acidulas potaturus, die 7 capiens libram unam, vel quod excurrit, proſpero ſucceſſu, ut tranſitum invenerint aquæ per urinam & bis per ſedes. Sequentibus autem diebus ſupervenerat diarrhœa, quæ continuabat ad usque 11, absque ſiti, debilitate, cum εὐφορία potius; ſed obſidebat hominem metus, ut hoc hominum genus omnia metuit, & vel umbram venturi mali fugit. Vocor d. 11, erigo meticuloſum, jubeo abſtinere a ſiſtentibus alvi fluxum, judicans, quos expertus eſt hactenus, alvi fluxæ motus criticos eſſe potius, qui exonerent ſaburram vitioſorum humorum, connitente natura, ablaturos potius præcordiorum & ventris, quibuscum conflictatus hactenus, anguſtias, quam aucturos: ſuadeo uſum pulveris digeſtivi nitrati abſorbentis, animum curis liberum, continuationem acidularum in ſequentibus diebus, bona ſpe fretus, tranſitum inventuras proxime per urinarias vias, ſed prævaluit hypochondriacum diſcrucians ſollicitudo: ceſſavit diarrhœa ſponte, brevique convaluit, qui umbram mortis metuebat, æger. Lubet & enarrare alium, qui mihi obtigit, caſum.

Dolor crurum ὀστεοκόπος *cum ponderis sensu a frigore.*

R. D. *Fr.* . . . . Pastor Herbishofæ in Suevia, nondum 30 annos natus, ante quadriennium, Aprili mense, cœlo nivoso, frigido, humido, per pedes Apostolorum iter faciens, totisque cruribus madens, inde ab hoc tempore sensit in cruribus debilitates, dolores, eosque ὀστεοκόπους, cum sensu gravis veluti ponderis, absque tamen tumore, rubore, aliisque inflammationis indiciis. Adhibet, ex suasu Medicorum, varia remedia, inprimis externa, inunctiones ex nervinis, spirituosis, oleosis, pediluvia, alia. In consilium vocatus & ego, ante semestre circiter, judicavi, a frigore illo concepto angustatos fuisse & veluti constrictos crurum, ad ipsam forte medullam usque, tubulos, ut sanguis aliaque fluida non nisi ægre circulare possint. Suasi tunc *thermarum Badensium* usum, ut harum ope rediret calor partibus affectis, motus liberior fluidis, expansio pristina tubulis. Confert se illuc, sub finem Iulii, manet ultra mensem, eo quidem effectu, ut *efflorescentia cutanea*, quam vocare solemus, *die Ausschlecte*, potissimum sese manifestaverit in cruribus affectis, sed sub finem curæ cum intensiori doloris gradu, noctu inprimis, corpore bene tecto, qui effectus fuit novæ tubulorum dilatationis. Monui amicum, bono esset animo & meliora speraret potius, quam graviora timeret, sicque *Bada* dimisi d. 14 Aug. hoc quidem solatio, posse tum thermas, quibus est usus, tum motum, redeunti in Sueviam necessarium, vires exerere sanitati proficuas: suasi interim, si forte non abigeretur malum, vesicatorii applicationem in sura, usum fonticuli in alterutro crure, inunctiones cum spirituosis, aliaque hujus generis resolventia, aperitiva, pro Ordinarii prudentia & ex ejus consilio applicanda.

Occul-

Occulta perdiu latere in corpore humano nobis invia & ignota, quotidiana testatur experientia, & nunc, qui mense Sept. hujus anni in Cantone ex vicinis

Calculus renalis ingens absque nephritide prævia.

In *Viro* haud proletariæ Dignitatis, *ischuria* defuncto, *nephriticis doloribus nunquam*, quantum quidem Medici ordinarii observare poterant, antea *vexato*, cultro anatomico subjecto repertus est ren sinister digitis tribus longior dextro, & pelvi ejusdem renis impactus calculus pene 2 digitos longus, superna sui parte ultra digitum crassus, utrinque ramosus; in dextro rene alius semidigitum crassus, in substantia renum & pelvi serum nullum, licet sinister fuerit prætumidus, sed ureteres sabulo repleti, & haud longe a renibus rupti, ut urina in cavum effluxerit abdomen, vesica urina vacua. Lien tumidus, major sano. Communicata observatio Cl. D. HOTTINGERO, a D. VVINHARTO, Einsidlensi. Hujusmodi observationes habet BONETVS *Medic. Septentr.* L. III. *de imo ventre,* Sect. 25. c. 6. HEVRNIVS *Aphor.* 34. Sect. 7. & appositæ Cl. VVILLIAM RVTTY *Treatise of the urinary passages*, p. 40: *Nay it is certain, that the stone may lie quiet a long time vvithout creating any remarkable inconvenience from several examples in daily Practice, of sucha Bod'ys being found in this vvhich has fill'd the pelvis, all its branches, and even posses'd the greatest part of the kidney, andy et the subjects, from vvhom it vvas taken have labourd under no very pain ful symptoms, nor have hadbut very little vvarning before some accidental shock has unfortunately alter'd its possition, and so brought on paroxism, that ended fatally.*

Aurora borealis.

D. 2. Oct. h. 11. ad 12. p. m. visa in agro & urbe Tigurina, *Aurora borealis*, instar nubis splendidæ rutilantis,

lantis, quæ paſſim vibrabat radios, cometæ ſpeciem vel ſimulans vel mentiens, Vitoduri viſum primo phænomenon inſtar arcus, ex quo tandem in nubem illam fulgidam concentrato, projiciebantur ſurſum ſtriæ, incendii e longinquo flagrantis mentiebatur ſpeciem, ut paſſim in agro ad ſubſidia ferenda convocati fuerint ruſtici.

S. Gothardi montis altitudo.

Dudum eſt, ex quo nobilem altitudines locorum reſpectivas dimetiendi Barometrium uſum confirmat experientia. Experimenta bene multa paſſim in Helvetiæ montoſis facta exhibent *Itinera* mea *Alpina*, ſed ſunt multa ex illis tumultuaria, ſemel plerumque uno in loco facta, aliis novis vel confirmanda, vel corrigenda. Propoſui mihi, proprio meo ſatisfacturus deſiderio, ſeligere *Montem S. Gothardi*, qui eſt ex *Helvetiæ* altiſſimis, & maxime frequentatus pro tranſitu ex Helvetia in *Italiam*. Iuvit me Illuſtriſſimi atque Reverendiſſimi DOMINICI PASSIONEI, ArchiEpiſcopi Epheſini, benevolentia plane ſingularis, & Rev. P. IOSEPHI MARIAE, Superioris in monte Gothardi, affectus, ut per nobiles emiſſarios medicinæ atque politicæ ſtudioſos erigere potuerim in ipſo Gothardi jugo, & Capucinorum domicilio, barometrum, ut ex collatis experimentis, tum heic *Tiguri*, tum in Gothardi monte factis & faciundis, elicere poſſem certi quid de dicti *montis altitudine*. Nec me, quod ſpero, fefellit eventus. Obſervationes ipſas ὡς ἐν συνόψει exhibet *Tabula III.* quibus illuſtrandis inſervient, quæ nunc ſequuntur.

Die 13 Aug. heic *Tiguri* fuit altitudo Mercurii eadem, quæ ad *Tuginum lacum*, 26″. 8‴, qui lacus ejuſdem erit horizontis cum Tigurino & Lucernenſi. *Lucernæ* d. 14 fuit altitudo Mercurii 26″. 8‴, *Tiguri* 26″. 7‴, ubi muſeum meum eſt 1‴ circiter elevatius lacu.

Minus

Obſervationes Barometricæ pro Altitudine Montis S. Gotthardi.

1728.	Dies. Hor.	*Tiguri* Altit. Merc.	Conſtitutio cœli.	*In Gothardo monte* Alt. ☿.	Conſtitutio cœli.	Diff. altit. ☿.	*Tiguri* altit. ſupra mare.	*Gothard.* alt. ſupra mare.	
Auguſt.	12. 7 p.	26″. 8‴		21″. 7‴		5″. 1‴	1301.	5559.	juxta MARIOTTUM.
	18. 7 a. 6 p.	— 6	nubilo-ſerenum.	— 0. in altiori culmine ſupra Capuc.		5. 6	1410.	7692.	— CASSINUM.
							1327.	5714.	— IOH. SCHEUCHZERUM.
	20. per tot.	— 7	ſerenum.	21. 9	ventoſum.	4. 10			
	21. 12	— 6	nubilo-ſerenum.	21. 9	frigidum valde.	4. 9			
	6 p.	— 7	nubilum.			— 10			
	22 per tot.	— 6	nubilo-ſerenum.	21. 8	frigidum ſerenum.	4. 10			
	23. 7 p.	— 5	nubilum.	21. 7½		4. 9½			
	24	NON OBSERVATAE		12. 7	ſereniſſimum.				
	25			21. 7					
	26			21. 7	pluvioſum, ſed mite.				
	27			21. 7	id.				
	28			21. 7	id.				
	29			21. 7	frigidum.				
	30			— 7½					
	31			21. 8	ſereniſſimum.				
Sept.	1 per tot.	26. 3	nubilo ſeren. ventoſum.	21. 7½	frigidum ſerenum.	4. 7½			
	2. 8	— 4	nubilum.	21. 8	inconſtans frigidum.	4. 8			
	7 p.	— 5	ſerenum.	— 7½		— 9½			
	3 per tot.	— 4	nubilum, ventoſo-pluvioſ.	21. 8	id.	4. 8			
	4. 11	— 5	ſerenum.	— 7½	a. m. ſerenum, poſt inconſtans.	4. 8			
	7 p.	— 4		— 9		— 7			
	5 per tot.	— 5	nubilo-ſerenum.	21. 8	inconſt. pluv. temp.	4. 9			
	6 per tot.	— 5	inconſtans pluvium.	21. 8	inconſtans.	4. 9			
	7. 6 p.	— 6	ſerenum frigidum.	21. 7	ſerenum ventoſum.	4. 11			
	9 a.	— 5				10			
	8. 11	— 5	nubilo-ſerenum.	21. 8	ſerenum frigidum.	4. 9			
	6 p.	— 4				8			
	9. 5 p.	— 5	nubilum, ventoſum.	21. 9	ſerenum.	4. 8			
	10. 8 a.	— 7	nubilo-ſerenum calidum.	21. 9	id.	4. 10			
	6 p.	— 6				9			
	11 per tot.	— 5	ſerenum calidum.	21. 9	id.	4. 8			
	12 per tot.	— 6	ſerenum calidum.	21. 9	id.	4. 9			
	13. 9 a.	— 6	idem.	21. 9	id.	4. 9			
	6 p.	— 4				7			
	14. 8 a.	— 4	nubilo-ſeren. ventoſum.	21. 9	id.	4. 7			
	7 p.	— 5				4. 8			
	15. 3 p.	26. 4	nubilo-ſeren. ventoſum.	21. 9	ſerenum.	4. 7			
	16. 9 p.	— 5	nubilo-ſerenum.	21. 7	id.	4. 10			
	17. 9 a.	— 4	ſerenum.	21. 7	nubilum.	4. 9			
	6 p.	— 3				8			
	18 per tot.	— 4	nubilum ventoſum.	21. 6	frigid. ventoſ.	4. 10			
	19. 6 a.	— 4	nubilum frigidum.	21. 5	frigid. ventoſ. nivoſum.	4. 11			
	7 p.	— 5				5. 0			
	20. 9 a.	— 6	nubilum.	21. 5	id.	5. 0			
	6 p.	— 5							
	21. 10 a.	— 8	pluvium.	21. 5	id.	5. 3			
	6 p.	— 7½				2½			
	22 per tot.	— 7	pluvium frigidum.	21. 6	inconſtans.	5. 1			
	23. 10 a.	— 7	nubilo-ſerenum.	21. 6	id.	5. 1			
	7 p.	— 6½				5. ½			
	24 10 a.	— 5	nubilum pluvium.	21. 7	ſerenum.	4. 10			
	6 p.	— 4				9			
	25. 11.	— 5	ſerenius, calidius.	21. 6	idem.	4. 11			
	4 p.	— 4				10			
	26. 10	— 3½	ſerenius, frigidius, veſperi tenuis pluvia.	21. 6	id.	4. 9½			
	6 p.	— 4				10			
	27. 10	— 5	ſerenum.	21. 5	nix & pluvia.	5. 0			
	6 p.	— 4½				4. 11½			
	28 tot.	— 5½	nubilo-ſeren. pluv. pauca.	21. 7	ſerenum.	4. 10½			
	29 tot.	— 6	ſerenum.	21. 7	id.	4. 11			
	30 tot.	— 6	ſerenum.	21. 7	id.	4. 11			
Octobr.	1. 12	26. 8½	ſerenum.	21. 5	ſerenum.	5. 3½			
	7 p.	— 8							
	2. 11	— 7[illegible]	ſerenum.	21. 6½	ventoſum pluvium.	5. 1			
	6 p.	— 7							
	3 tot.	— 6	nubilo-ſerenum.	21. 5	ventoſum pluvium.	5. 1			
	4. 10 a.	— 5	nubilum ad mutationes pronum.	21. 4	frigidiſſimum, nix & pluvia.	5. 1			
	7 p.	— 3							
	5. 11	— 11½	nubilo-ſerenum.	21. 4	id.	4. 9½			
	7 p.	25. 11½				4. 7½			
	6. 6 p.	26. 1	nubilum pluvium.	21. 4	id.	4. 9			
	7 tot.	26. 1	nubilo-ſerenum.	21. 4	id.	4. 9			
	8 tot.	— 3	pluvium poſt ſerenum.	21. 4	inconſtans ventoſum.	4. 11			
				5½		9½			
	9. 11	— 3½	ſereno-nubilum.	21. 7	ſerenum tranquillum.	4. 8½			
	7 p.	— 5				10			
	10 tot.	— 6½	id. mane nebula denſa.	21. 7½	ſerenum frigidum.	4. 11			

Minus fida est obſervatio facta d. 15 Aug. quo Barometri altitudo fuit *Tiguri* 26″. 5‴. 6⁗. ſed *Altorfii*, quod ejusdem est cum *Lucerna horizontis* 25″. 11‴, ut differentia ſit 6 vel 7‴.

Die 16 in pago *Waſen*, *ditionis Vraniæ*, altit. Merc. fuit 24″. 11‴, Tiguri 26″. 4‴. Reſpondent pro dicto pago altitudines ſupra horizontem maris juxta

MARIOTTVM . . . . 2463.
CASSINVM . . . . 2923.
IOH. SCHEVCHZERVM, *Fr.* 2538.

Die 17 Aug. *Tiguri* altit. Mercurii 26″. 5‴. in pago *Hoſpital*, Vrſeranæ Vallis ad Gothardi Radicem, 23″. 5‴ reſpondent altitudines ſupra horizontem maris

juxta MARIOTTVM . . . . . . 3790.
CASSINVM . . . . 4840.
IO. SCHEVCHZERVM . . . . 3893.

Die 18 Aug. *Tiguri* altitudo Mercurii 26″. 6‴ in *Gothardo monte* ad Capucinos 21″. 7‴. Reſpondent pro Capucinis altitudines ſupra horizontem maris

juxta MARIOTTVM . . . . . . 5488.
CASSINVM . . . . 7623.
IOH. SCHEVCHZERVM . . . 5672.

Pro altiori culmine,

6100.
8580.
6264.

Cujusdam altitudinis est Furcæ culmen, in quo die 20 Aug. obſervarunt amici altitudinem Mercurii 21″. 0‴. 9⁗, erit id altius Capucinis Gothardianis, qui hoc die altitudinem Mercurii annotarunt 21″. 9‴.

Sed erit *Disertinum Cœnobium Rhætiæ* profundius *Gothardo* 1″. 10‴. *Tiguro* 3″. 0‴. quandoquidem altitudines sunt *Tiguri* d. 22 Aug. . . . . 26″. 6‴
ad Capucinos in Gothardo . . . 21 . 8
in Disertino Cœnobio . . . . 24 . 5.

Ex *Tabula* adjecta constat, non unam eandemque esse altitudinis inter Tigurum & Gothardi Capucinos differentiam, sed variare inter 4″. 7‴ & 5″. 6‴, ut maxima variatio sit 11. Nimirum occurrit

4″. 7‴ quater.
4″. 7½‴ bis.
4″. 8‴ octies.
4″. 8½‴ semel.
4″. 9‴ undecies.
4″. 9½‴ quinquies.
4″. 10‴ undecies.
4″. 10½‴ semel.
4″. 11‴ septies.
4″. 11½‴ semel.
5″. 0 ter.
5 . ½ semel.
5 . 1 sexies.
5 . 2½ semel.
5 . 3 semel.
5 . 3½ semel.
5 . 6 semel.

Vices si numeres, seliges pro *altitudinis differentia* 4″. 9½‴, si terminum inter 4″. 7‴ & 5″. 6‴ medium, sumes, 5″. ½‴, quos inter differentia non est major 3‴.

Summa intra prædictum tempus altitudinis differentia est *Tiguri* 9‴, nempe inter 26″. 8½‴. & 25″. 11½‴.
in *Gothardo* 5‴, nempe inter 21″. 9‴ & 21″. 4‴.

Quæ

Quæ obſervatio mihi haud videtur eſſe parvi momenti, & anſam præbet conjecturandi, haud fore tantam in altitudine differentiam in Gothardo monte, quam Tiguri, & hoc ipſo altiſſimos montes intuitu hujus circumſtantiæ & gravitantis aeris propius accedere ad zonæ torridæ conſtitutionem, propter diſtantiam a centro terræ utrobique majorem, quod idem confirmant Experimenta dilatationis aeris, de quibus in *Helvetiæ Stoicheiograph. p.* 29. Confirmabunt idem procul omni dubio pendula in jugis Alpium, uti ſub æquatore decurtanda; ſiquidem iis experimenta capere lubeat. Conjecturavi hoc inde a pluribus annis, & inſinuavi l. c. p. 31. Ex obſervationibus ſupra allegatis colligere licet, mediam altitudinem *Tiguri* fore 26″. 4‴, quam alias inveni 26″. 2½‴, 26″. 5‴. vid. pag. 30. l. c. in *Gothardo* 21″. 6½‴. Reſpondent pro altitudine ſupra maris horizontem

pro *Tiguro* juxta	MARIOTTUM	1301.
	CASSINUM	1410.
	IOH. SCHEUCHZ. . . .	1327.
pro *Gothardo monte*	. . . .	5559.
		7692.
		5714.

Certiora adhuc præſtolor ex obſervationibus ulterius continuandis, ſi vitam dabit DEUS & vires.

Terræ motus.

Panicum ut incuſſit terrorem, ita ſingularem attentionem meretur *terræ motus*, qui obſervatus fuit d. 3 Aug. horam inter 4 & 5 p. m. digniſſimus rara ſua extenſione, ſimul & violenta concuſſione, pro Europæ parte terræ motibus minus obnoxia. Referam, quæ obſervavimus cumprimis in Helvetia: *Tiguri* ſuccuſſus fuere ſatis fortes bini ternive conſecutive, quorum ultimus

timus fuit fortiſſimus. Fremebant ædes, feneſtræ: quibusdam viſus ſpirare ventus validus, paucis tamen in locis projecta in terram corpora, vel alias nutantia, vel parietibus haud affixa. Obſervata hæc concuſſio ex utraque *ripa lacus Tigurini* ad caſtra usque Rhætica, & provinciam ad fines *die March* dictam, verſus occaſum ad *Ruſam*, verſus ortum ad *lacum* usque *Bodamicum*. Cœlum fuit ſerenum: ſpirabat N. O., circa meridiem fuit N. N. W. in nubibus in atmoſphæra ima N. O. Barometri altitudo in meo muſeo 26″. 5‴, circa meridiem 26″. 6‴. *Egliſovia*, loco terræ concuſſionibus frequentiſſime obnoxio, ſequentia perſcribit Rev. loci Paſtor *Hugius*, ſub 4 Aug. Fuit hora circiter media quinta, qua Paſtor Raszanus forte mecum ad menſam ſedens, ſermonesque mecum alternans adeſſet, ut ædes paſtorales neutiquam proviſo modo tremerent concuſſæ, filia mea adſtante, & tremorem ædium mox dum admirante, una disquireremus, quid hoc rei ſit, ſine omni prævio ſonitu, (quod alias terræ motibus noſtris ſolenne eſt,) ædes denuo tremulo motu librari, nosque in ſcamnis, ſedilibusque noſtris, cumque iis hinc inde motis, cunarum motum imitante, moveri: idque non una vel altera vice, ſed ad tempuſculum idoneum redeuntibus commotionibus: quibus ceſſantibus illico nobis perſuaſum fuit, terram ſub pedibus noſtris motam eſſe. Paulo poſt Illuſtr. Præfectus ancillam miſit, experturus, utrum & nos eam, quam in arce obſervarant, commotionem perſenſerimus, vicinique omnes uno ore motionem & tempore & concuſſione omnes, quas hactenus experti ſumus, ſuperantem fateri. Qui in areis & ſub ædium portis in propatulo ſteterant, primo ſibi viſi ſunt ventum validum audire, mox ædium partes tremere, ut ſe invicem amplexi, alter alterum ſuſtinere fuerint conati. Non uno tantum

loco

loco, etiam ex ipſa veteri arce, quæ moles non contemnenda, hæc motio & a tecto lapillos & murorum particulas dejecit: & quod ad cumulum accedit, quam hactenus motus Egliſoviani, fere intra limites oppidi ſemper ex utroque Rheni latere ſteterint, nunc & *Huntvvanganis* & *Wylenſibus* ædes ſuas etiam concuſſerunt. Id non levi pede tranſeundum, quod ad eandem 3 Aug. 1725 hora pomeridiana ſecunda, gravis etiam terræ motus hic fuerit obſervatus. Hæc Rev. HVGIVS.

Richtenſuilæ & alibi ad *lacum Tigurinum*, ut & paſſim in urbe obſervatus in ſuperioribus conclavibus veluti fragor quidam rumpendi tabulati, vel lapſui ſimilis ſonus, ſecuta mox libratione parietum, concuſſione feneſtrarum, commota aqua vinove in vitris & cupis.

Extendit ſe hic *terræ motus per totam Helvetiam*, nempe quæ inter Alpes jacet & *Juram*, nominatim *Cantones Tigurinum, Bernenſem, Lucernenſem, Friburgenſem, Solodorenſem, Baſilienſem, Comitatum Badenſem, Provincias liberas, Principatum Neocaſtrenſem, lacus Lemani* littora, *Genevam* usque. *Bernæ* imprimis fuit concuſſio valde ſenſibilis, & biduo ante, nempe 1 Aug. micans ignibus & tonitrubus reſonans cœlum tempeſtuoſum per totam fere noctem, & magnam 2 diei partem. Terrorem adhuc recentem auxit, de quo nunc, tremor adeo fortis, ut, qui in ſuperioribus ædium contignationibus degebant, ebriorum ad inſtar nutarint, ſeu ſtantes, ſeu ſedentes. Fuere bene multi, qui ædium ſuarum ruinas metuentes procurrerent in plateas; dejecta parietibus vaſa vitrea, aliaque, librabuntur turres, & in iis campanæ, & reſonavit aliquoties pulſata motu terræ una ex maximis.

Neocaſtro ſequentia ad me perſcribit Amicus optimus BOURQUET d. 25 Aug. *Nous remarquames, qu'apres la ſecouſſe, qui fut aſſez ſubite, on vit les murailles, les choſes ſuſpendues,*

les portes, qui etoint ouvertes, les personnes debout dans les rues, & plusieurs de celles, qui etoint assisses, dans les maisons: on vit dis je, toutes ces choses se balancer d'orient en occident, & d'occident en orient, alternativement. Je pense meme qu'il y eut quelques assietes ou plats mal places dans quelques cuisines, qui tomberent; la secousse fit croire a bien de gens, que le bois de leur galetas etoit tombé. L'Epouvante fit courir quelques femmes hors de leurs maisons. Mais le grand nombre ne s'en appercut pas. Il n'y eut qu'une dame dant la chambre, ou j'etois & moi qui nous en appercumes. Mais je le sentis plus qu'elle, parce que j'avois le dos tournè contre une fenetre. Je me senti balance dans ma chaise, & je tournes la tete, ce qui me donna occasion d'appercevoir les vibrations de la muraille & des vitres, nous etions cependant je crois 7 ou 8 personnes, mais come la sale etoit grande, nous etions assez eloignes, les personnes qui sentirent les tremblements dans les rues, creurent que la tête leur tournoit, parcequ'elles se sentirent balancer, sans pouvoir demeurer fixes sur leurs pieds. Des gens prés du lac dirent avoir remarque un mouvement dans l'eau, qui n'avoient jamais vu. Des Messieurs de la premiere consideration m'ont assurer d'avoir remarque le balancement d'occident en orient dans une maison ou ils etoient, a lors a deux lieues de la ville vers Creuer, c'etoit au village nomme Corneau. Mais ce qu'il y a de plus Physique se reduit a la comparaison que je fait de l'observation de Mad^lle de l'or avec la mienne, elle etoit dans une maison, dont la largeurgit d'occident en orient & moy dans une quigit Nord & Sud, les balancements qu'elle apperçut avec une autre Demoiselle furet si sensible, qu'elles en palirent, parceque leur semblat, que la maison sebercoit. Les vibrations donc, qu'elles virent, furent plus longues & plus lentes, ou miex mesurées. Les vibrations que j'appercus, furent plus subites, & me parurent plus nombreuses 6 ou 8.

Lucernæ, referente Amico optimo, D. CAPPELLERO, sub 11 Aug. observatus quoque terræ motus, & *in toto Cantone:*

Cantone : in urbe obſervatæ duæ concuſſiones ; prior durabat *duo Pater noſter*, quæ ſeſe manifeſtavit fragore tabulatorum & tectorum, ut plurimis viſum fuerit grave pondus deſuper capita dejectum, vel tumultuarius canum feliumque diſcurſitantium motus ; ſecutus mox tremor, & minuti circiter intervallo poſt libratio, motusque corporum ſuſpenſorum, vel & ſtantium, & campanarum quarundam reſonitus, ſpeciatim in templo Ieſuitarum. Infra *Baſileam* protendit ſe tremendum hoc phænomenon *Francofordiam* usque, & *Coburgum Saxoniæ*, & fuit, quantum quidem relationes ferunt, concuſſio omnium fere maxima *Argentorati*, & heic quidem repetitis quater vicibus : prima h. $4\frac{1}{4}$ p. m., ſecunda h. 9, quæ fuit priore mitior ; tertia poſt h. 2 d. 4 a. m. ; quarta circa horam 3, utraque iterum debilior. Heic ingentem numerant caminorum tectis dejectorum numerum, fornicem quoque templi cathedralis dicunt per media fiſſum. Obſervat ex optimis meis amicis Vir in Matheſi per orbem celeberrimus, terræ hunc motum viam tenuiſſe ejusdem Meridiani, atque conjectat a Septentrione progreſſum fuiſſe verſus Meridiem, exitum autem inveniſſe materiam motus occaſionalem vel in *Lotharingiæ* montoſis, vel in Sylva nigra. Neque dubito ego, obſervari potius paſſim *chaſma* vel ſimile quodpiam *meteoron ignitum*, ſi fortiores inſultus, & primi, terram concuſſiſſent noctu : accenſionem item factam in profundis terrarum viſceribus, fortiorem tanto, ob aerem ibi compreſſiorem.

Fulmen Mellingense.

Vespera d. 25 Aug quo *Badæ* fui, & totum fulgebat ignibus cœlum, paulo ante quartam, fulmine correptum templum *Mellingæ* oppidi cum adſtante turri. Primum fulminei glomeris inſultum experta fuit ſuprema muri pars in turri; dejecta turrim inter & templum ſaxa prægrandia, & ex his unum duorum fere centenariorum pondere projectum per medium tecti usque in ipſam medii templi aream. Progreſſus fulmineus ignis ad locum, ubi campanæ tres pendent ſuſpenſæ; heic fuere trabes ſeu brachia, e quibus illæ pendent, dilacerata: hinc pergens ad tectum templi, quatuor circiter pedibus a turri diſtantis, dejecit ingentem tegularum numerum, dilaceravit cantherios ſupra templi ipſius tabulatum diffindens ſe in ramos, quorum unus murum perforavit ſupra feneſtræ aperturam. Tum proximam, perpendiculariter deſcendendo tum ſupra feneſtram, tum infra eam ad baſin usque muri, ubi horizontalem invenit ad cœmiterium exitum. Alio interim lædente murum ſupra cathedram, & infra eam, alio effectus exerente in tectum ante dicto oppoſitum, ubi interim tegulæ bene multæ fuere dejectæ, & iterum deſcenderat perforando fulminea terebra ad oſtium usque templi perpendiculariter, rurſumque horizontaliter egreſſa ad cœmiterium. Alius ramorum, contignationem tecti hujus lateris derelinquens, perforabat iterum perpendiculariter murum, ex quo dejecit

jecit circiter fragmenta 8 pedum in longitudine. Exitus heic quoque fuit horizontalis ad cœmiterium. Alius, cantherium linquens, retro organum musicum descenderat iterum perpendiculariter per medium murum, qui ostium quadantenus læsit. Ex tabulato ipsius templi superiori ligneo, ex asseribus composito laceratæ atque dejectæ fuere plures tabulæ. Eadem vespera grando dejecta *Tiguri*, juglandis fere magnitudine, sed rara, & absque impetuoso vento, exiguo damno.

Iris alba.

Accidit mihi, *Tiguro Badam* d. 12 Sept. concedenti, ut toto itinere a quinta usque matutina ad nonam nebula densa involutus, bihorio ultimo conspexerim in nebula *iridem latæ zonæ, albi coloris*; quod phænomenon, mihi hactenus non visum, observavit quoque haud procul *Olavia in Silesia* d. 9 Sept. h. 7 a. m. 1717 Theologus quidam. vid. KANOLD. *Bresl. Samlung* ad ann. 1717 mens. Sept. p. 54.

Grilli thermales Badenses.

Circa thermas, inprimis earum fontes, & hydrophylacia frequentes, sanie mucilaginosa, quæ parietibus sese affigit, victitantes, balneantibus haud ingrati musici, descriptione, quam exhibeo digniores tanto, quod speciem exhibeant ab aliis forte *grillis* distinctam.

 Longi-

Longitudo ab extrema cauda ad extremas antennas 2 poll., caput lineam Parif. longum, 2 latum, coloris luridi fafciis tribus caftanei coloris transverfis pictum: prima earum fefe extendit ab una antennæ radice ad oppofitam: fecunda ab oculo ad oculum; tertia in occipite. Oculi prominuli ad latera capitis, coloris atri fplendentis. Antennæ radices habent albi coloris tumidas, antennæ ipfæ dilute fufcæ obfcurioribus annulis transverfis pictæ.

Infra oculos ex collo prodit antennarum aliud genus coloris albi, tribus articulis diftinctum, vel potius quatuor: primus eft nodofus, ultimus tumidiufculus; infra hos ad oris bafin funt ejusdem generis binis conftantes articulis, extremo abeunte in globulum rotundum.

Os, ranæ ad inftar fere eft latum, fupra id tres defcendunt ftriæ fufcæ: utrinque defenditur id a defcriptis modo antennis, quæ adeffe videntur, ut cibos arripiant, & ori admoveant. Videtur oris ftructura plane fingularis: labium inter fuperius & inferius transverfim locatur mandibuliforme corpus album, pilis fulvis hifpidum, in medio apertum.

Thoracem veftit in dorfo clypeus quadratus fere $1\frac{1}{2}'''$ longus, $2\frac{1}{2}$ latus, 5 maculis caftanei coloris pictus, quarum fupremæ duæ funt femilunares, ex tribus inferioribus media triangularis: adfunt præterea juncta alia dicti coloris.

Alæ

Alæ 5 lineas longæ, $2\frac{1}{2}$ latæ, ſiccæ membranaceæ, albidæ pellucidæ fuſcis veluti venulis reticulatæ. Videtur mutuo alarum harum, quæ ſe invicem ex parte degunt, affrictu excitari ſonus, quem hæc animalcula edunt.

Venter tumidus 4‴ latus, ſuperne caſtanei coloris, ſtriis transverſim notatus veluti annulis: inferna ſui parte ſex ſeptemve luridi coloris conſtat: ad cujus latera adſunt prominentiæ veluti farciminales coloris albi.

Deſinit venter in aculeum caſtanei coloris, tenuem, 5‴ longum, qui in extremo eſt bifurcatus, aperitque ſeſe ad medium usque, terminatur colore atro-fuſco. Ad latera defenſionis loco adeſſe videntur duo alii aculei in acutum mucronem terminati, pilis hirti.

Pedes adſunt ſex albidi, ſinguli conſtantes 4 articulis, pilis ſeu aculeis atronitentibus armati; anteriores 4 ad ſecundi articuli finem armantur veluti duobus calcaribus; ultimus eſt bifidus: Pedes bini poſtremi articulum primum habent craſſum valde & muſculoſum, a quo inprimis ſaliendi vis pendet; ſecundus anguſtior, fortibus armatur aculeis utrinque porrectis, fuſci coloris pellucidis; ultimus articulus terminari videtur in tres digitos.

Foemella aculeo longo caudæ caret. Vidi d. 14 Aug. ex alvo pendulum ovum albi luridivi coloris.

Aqua

Aqua fontana ædis parochialis in pago Schönholzerischvveil, ditionis Abbatis S. Gallensis, in Turgovia superiore.

Denigrat cuprea quævis vasa. Aqua decocta ingratum quendam exhibere dicitur saporem, forte a sedimento terreo-calcario-aluminoso derivandum.

Ex ℥. 40. gr. 30. nempe ad siccitatem coctis, remanet pulvis subtilis levis albus gr. 5. subadstringentis in recessu saporis, ut proin libra medica non plus contineat quam gr. 1.

Per hydrostaticum experimentum deprehendi hanc aquam leviorem ipsa pluviali destillata: vitrum nempe pluviali repletum pondus exhibuit ℥xij. ʒvj. gr. 9. & aqua hæc fontana ℥xij. ʒvj. gr. vj. Vnde inferre licet, tenuium esse admodum partium hanc aquam, & unam ex levissimis, forsan non contemnendi usus *in affectibus ex obstructione tubulorum minimorum ortis.* Huic argumento si addideris subadstringentem saporem, dabis insuper huic aquæ *virtutes tonicas.* Ex solutione sacchari Saturni & aceto destillato nulla secuta mutatio. Ex solutione Lunæ & oleo tartari per del. lactescebat, præcipitato ad fundum pulvisculo albo.

Plura experimenta propter aquæ paucitatem, quam obtinui, facere non licuit.




IO. IAC.

IO. IAC. BAIERI
SCIAGRAPHIA MVSEI SVI

ACCEDVNT

SVPPLEMENTA ORYCTOGRAPHIAE NORICAE.



L. B. S.



Quod ſaepe multumque optaui, ut per aſſiduas mei muneris occupationes, liceret mihi aliquando propriis atque priuatis rebus meis proſpicere, et SVPELLECTILEM LIBRARIAM, atque COLLECTANEA RERVM NATVRALIVM, a tot annis, tanto, ſtudio, nec ſine ſumptibus conquiſita in ordinem redigere, et ſigillatim deſcribere, quo haeredibus meis, et fortaſſe aliis maiori ſic uſui forent; id tandem ut ſerio firmoque propoſito nunc protinus ſuſciperem, admonuit morbus uehemens ille ac periculoſus, e quo nuper admodum ſingulari beneficio DEI IMMORTALIS euaſi. Verum enim uero dum mecum reputo, iſtam rerum diuerſarum diſpoſitionem, accuratamque deſignationem, requirere uſuram temporis paulo longiorem, nec niſi ſubceſiuis horis a me peragi poſſe; tametſi ut ſingula ſenſim, neque ſegniter conficiantur, operam daturus ſim;

interea placuit γεῦμα quasi quodam exhibere, breuiter adumbrando qualemcunque apparatum meum, hac inprimis animi intentione, ut *methodum*, quae mihi quidem optima uidetur, aliis earundem rerum studiosis traderem, secundum quam et ipsi *collectanea* sua ordinatim digerere queant.

Dum autem, quod in titulo promisi, SCIAGRAPHIAM MVSEI MEI dare instituo, utar hoc uocabulo, non strictiori Varroniana significatione, qua *locum Musis et studiis consecratum* denotat, sed latiori illa, hodie ubiuis recepta, quae praeter *Librarium*, quemlibet etiam alium, siue *Naturalium* siue *Artificialium*, *antiquarum* et *nouarum Rerum* curiosiorem *apparatum* complectitur. Taceo a nonnuilis amplius detorqueri uocem *Musei*; quemadmodum habemus prolixum nuperum opus, *Musei Museorum* titulo inscriptum, quod unice propemodum τὴν ὕλην ἰατρικὴν, seu *materiam simplicium remediorum*, euoluit.

Ceterum, quae proprie ad MVSAEVM pertinet,

BIBLIOTHECA

non quidem admodum diffusa, sed tamen professioni ac studiis meis fere sufficiens mihi est: Eius *Catalogum* edere uellem accuratum, passim additis utilibus notis et epicrisibus, de libris ipsis uel autoribus, ex propria aut aliena obseruatione, sed breuiter et delectu adhibito. Distribui meam *supellectilem librariam* in hos fere ordines, ut I.) sint *Philologici*, et qui ad *humaniora studia* spectant, nec non ad *historiam literariam* et *Politicam*, subiun-

ſubiunctis *Philoſophicis*, praeter Phyſicos. II.) *Geographici*, generales quidem pauci, ſpeciales multo plures, ſi *Topographiae* et *Hodoeporica* connumerentur, quae ſingulari induſtria collegi, quo magis ad Hiſtoriam naturalem ipſamque rem medicam uſum conferunt. III.) *Phyſici*, tam generales quam ſpeciales haud exiguo numero, præſertim illi, qui *triplex*, uulgo dictum, *Naturæ regnum* illuſtrant, utpote *Oryctographi* ſeu *rerum foſſilium ſcriptores*, quibus accedunt de *aquis fondibusque medicatis*, qui extant plerique: Porro *Botanici* (quos inter nonnulli ſunt uiuis *ſtirpium* coloribus artificioſe illuminati) ac tandem *Zoographi*, ſeu *hiſtoriae animalium ſcriptores*, in quibus claſſibus non admodum multi autores alicuius momenti deſiderabuntur. IV.) *Phyſiologi* et *Anatomici*, quae naturam hominis, et corporis ipſius fabricam, partiumque hiſtoriam et uſum dilucidant: V.) *Medici Theoretici*, qui Artis fundamenta, ſecundum uarias hypotheſes edocent, atque communiter *Inſtitutionum medicarum* nomine ſignantur. His ſubnectuntur *Pathologici*, tam generales quam ſpeciales, omnis generis morborum hiſtoriam explicantes, itemque *Semiologici*, qui doctrinam ſignorum medicinalium, per genera et ſpecies declarant. VI.) *Therapeutici* generales, qui *methodum medendi* tradunt, et quibus fundamentis ſuperſtruendae ſint morborum curationes, indicant. Sequuntur *Syntagmata Practica*, quae ſingulorum affectuum medelas et remedia oſtendunt, diuerſis Autoribus, partim *Dogmaticis*, theoriam neceſſariam praemittentibus, partim *Empiricis*, praeter-

miſſa illa, in ſola experimentorum uſuque probatorum remediorum recenſione occupatis. VII.) Peculiarem ſibi locum poſtulant, ſaltem ob numerum conſpicuum, *Obſeruationum* atque *Conſiliorum medicinalium ſcriptores*, qui morbos ἐν ἀτόμῳ ſeu indiuiduo occurrentes deſcribunt, et plerumque medicinam ipſis adhibitam enarrant. VIII.) Collocati ſunt libri, qui *fontes*, uulgo dictos, *auxiliorum medicinalium exhauriunt*; nominatim *Diaetetici*, uictus ſalutaris inſtituendi rationem monſtrantes; deinde *Pharmaceutici*, tam ſimplicium remediorum notitiam, quam componendi eadem ac diſpenſandi artificium patefacientes; ad quos etiam referuntur *Chimici*, tam ipſi *Pharmaceutici*, quam *Philoſophici*, *Alchimiſtarum* myſteria tractantes, amplo iterum numero; denique *Chirurgici* generales ac ſpeciales, qui circa operationes, manu praeſertim, inſtrumentis idoneis inſtructa peragendas uerſantur. IX.) *Miſcellanei Scriptores Medici*, qui ad certam aliquam ſuperiorum claſſem reuocari commode non poterant. Inter hos eminent *Autores Graeci*, *Latini*, *Arabes* ac *Barbari* ueteres plerique, diuerſarum editionum, nec non *Recentiorum uariorum Opera omnia*, coniunctim edita, *Obſeruationum item miſcellanearum ſyntagmata*; quo pertinent inprimis Ephemerides Acad. Nat. Curioſ. Acta Danica, Zodiacus Gallicus etc. Adiunguntur inſuper *Diſputationum Academicarum uolumina*, prope ad Centuriam accedentia, pro quibus concinnatum iam habeo *accuratum indicem*, ſeu *repertorium*, ut uno obtutu non materiae ſolum, ſed

et

et Praesides Disputationum ac Respondentes, loca porro ac tempora editionis, denique uolumen, quo singulae continentur, statim appareant.

Omitto commemorare *Libros Sacri Theologici argumenti*, numero quidem paucos, sed ad pias exercitationes, ac religiosum Dei cultum domesticum selectos, et separato a Bibliotheca loco repositos: Omitto etiam manipulum *Librorum*, ob impia, profana aut superstitiosa dogmata *prohibitorum*, inter quos quidem sunt nonnulli rariores, e. g. *C. Agrippae*, *Pomponatii*, *Vaninii*, *Campanellæ* etc.

Commemoranda iam ueniunt MANVSCRIPTA, quae possideo, haud equidem peruetusta, & communiter magni aestimata; cujusmodi sunt antiqui Autores Classici, Historici etc. quorum apud me nihil (utpote qui talium collectionem nunquam affectaui) reperitur. Adsunt tamen *Codices medici argumenti* plures, tertio abhinc saeculo exarati, autoribus partim Italis partim Germanis, aliisque; nec desunt quaedam alicuius pretii *Anecdota*. Seorsim in deliciis habeo *apparatum* haud modicum, & aliquot centurias superantem *Epistolarum*, *propria manu scriptarum a Viris eruditis clarisque* in omni scientiarum ac Facultatum ordine. Neque minus oblector *Autographis Virorum eruditione ac uirtute clarorum*, minutioribus licet interdum, ac *schedulis* saltem; quarum ingentem copiam collegi e permultis libellis, quales *Philothecarum* et *Alborum* nomine circumferri solent a Studiosis Academicis. Et eiusmodi quidem paginulae, quia plerumque

rumque propria Clar. Virorum manu inſcripta exhibent nomina et officia, cum tempore, quo unusquisque uixit ac floruit, non parum utilitatis ad hiſtoriam literariam conferre poterunt. Quare tanto ſtudioſius digeſſi ſchedas illas, *ſecundum* quatuor, uulgo nuncupatas, *Facultates*; Vnde totidem mihi conſtructa ſunt uolumina; *ſchedulis* nempe iſtis, et Autorum nominibus, *ſecundum Alphabeti* ordinem, charte purae agglutinatis. In ſeparato Volumine collecta ſeruo *Profeſſorum Altorfinorum* prope omnium, pariter ſecundum ordines ſuos ac aetates collocatorum nomina, praemiſſis *Rectoribus*, ex illuſtri proſapia qui fuerunt, plerisque, tum et *Academiae Procancellariis*, nec non illuſtribus perſonis, qui ſtudiorum cauſſa hic commoratae ſunt. Aliud denique Volumen, non admodum curioſe quidem conquiſita complectitur *Autographa* et *Nomina* quorundam *Regum*, *Ducum*, *Principum* et *Comitum Imperii* etc. haud exiguo nihilominus numero. Sed de his minutiis iam plus ſatis; ut uerear me nimium diſſeruiſſe de uniuerſa pertenui mea *ſupellectile libraria*.

Supereſt tamen alia Συναγωγὴ *chartacea*, quam

ICONOTHECAE

titulo deſignare conſueui. Nimirum peculiaribus ſcriniis incluſa ſeruo *plura quam ſexcenta Volumina omnis generis Iconum*, aeri aut ligno inſculptarum et chartis impreſſarum. In his praeſtantiorum Artificum plerorumque extant ſpecimina quaedam; *Alberti Dureri* in aere caelata propemodum omnia, *Lucae Leidenſis*, *Sebaldi*

baldi Behaimii, *Lucae Cranachii*, *H. Aldegreueri*, *Georgii Penzii* quamplurima. Occurrunt etiam *Marci Antonii* et *Augustini Veneti* non pauca imitamenta picturarum *Raphaelis de Vrbino*; itemque *Titiani* et aliorum insignium Italiae pictorum, celeberrimae tabulae, a uariis artificibus caelo eleganter repraesentatae. Inter antiquissimas eminent *Andreae Mantegnae*, Itali, (cuius uidendi caussa *Durerus* longum iter, tametsi frustra, illo iam defuncto, susceperat) sculpturae ad antiquarum statuarum aliorumque optimi artificii monumentorum imitationem singulari modo elaboratae. Habeo autem adhuc uetustiores aliquot tabulas, in Germania aere expressas, luculentis indiciis literarum nostri idiomatis, et annorum, queis diuulgatae sunt, uidelicet 1466. et 67. quibus nescio an priores aliquae, pari certitudine, possint demonstrari. Comparent praeterea *Israelis Mechlinensis*, et aliorum, qui ante *Durerum* uixerunt, aeneae figurae, in quibus tamen naturalis rerum designatarum proportio plurimum desideratur; uti fere cunctarum artium rudimenta et prima post inuentionem specimina obseruari solent ualde imperfecta. Ceterum *Iconothecam* meam distribui in duas praecipue partes, quarum altera *Historias sacras et profanas*, tum et *Mythologias*, *Emblemata*, *regionum* et *locorum prospectus*, et aliarum *Rerum*, tam *Naturalium*, e. g. plantarum, animalium, monstrorum etc. quam *Artificialium*, *aedium*, *instrumentorum*, *uestituum* etc. delineationes complectitur. Altera continet *Effigies hominum*, cuiuslibet quidem fere ordinis, sed ta-

men maiori ex parte *Virorum eruditione et doctrina insignium*. Huiusmodi *imaginum*, *separatis in foliis*, aliquot Chiliades non sine delectu collectas, in capsis commodis, et librorum maioris formae similitudinem gerentibus, secundum ordines suos diligenter dispoſui, ut prompte singulae euolui, et quae subinde incidunt nouae Icones inseri quam commodissime queant. Bonam uero collectionis partem utrobique constituunt *integra uariorum Autorum opera et uolumina*, *figuris sculptis referta*, atque ex his solis coagmentata, aut expositionibus et commentariis instructa; quorum omnium et singulorum, adque adeo totius *Iconothecae* uberiorem descriptionem peculiari opusculo in publicum proponam, additis passim animaduersionibus necessariis et utilibus.

Progredior nunc ad meam *Rerum naturalium collectionem* adumbrandam: Hanc malo

PHYSIOTAMEON

quam Museum appellare: Illius enim etymologia ipsi rei utique conuenientior est; quasi dicas *Rerum Naturalium*, *aspectu* et *consideratione dignarum*, *capax repositorium*. Plura de hoc uocabulo eiusque synonymis uid. in *dissertatione* singulari *Molleriana* A. 1704. hic euulgata. Ad meum autem quod attinet φυσιοταμεῖον, id equidem, si locum spectes, angustum est, exiguique splendoris externi, neque tamen obscurum et rebus capiendis incommodum. Hoc saltem, pro eius conditione, curandum mihi fuit, ut tantam *Rerum Naturalium multitudinem*, et aliquot millia specierum tam arcto spatio coercerem. Quapropter *Scrinia* mihi comparaui distincta *septem*, diuersae magnitudinis, pro maiori aut minori amplitudine Generum, quibus recipiendis destinata sunt. Altitudo eorum est a duobus cum dimidio circiter ad

tres

tres quatuorue pedes; latitudo bipedalis, profunditas sesquipedalis. Explentur singula ista scrinia *cistis* congruis, duas uel tres, ad quatuor uncias altis, quibus inditae sunt *cistulae ex charta duplicata compaginatae*, amplitudinis diuersae, pro modulo rerum, quas continere debent, mobiles insuper, ut ad arbitrium libere eximi ac transponi queant.

Vt autem de ipsis Rebus, quas *scrinia singula* complectuntur, quodammodo constet, in *primo* disposita sunt decenti ordine MINERALIA, uulgo dicta, ac METALLICA. I.) Φλογιστὰ seu *inflammabilia*, *succi* uidelicet *pingues terrae*, e. g. Sulphur commune natiuum et minerae ipsius; Auripigmentum et Arsenicum, praecipue rubrum; Eiectamenta montium ardentium, Bitumina liquida et solida, Lithanthraces, Turffum, Gagates, Succinum uarii coloris, idemque insecta diuersa et alias res includens etc. II.) *Salia* omnis generis *natiua*, e. g. Sal commune fossile et marinum; Sal Ammoniacum natiuum; Nitrum; Borax; Alumen eiusque minerae; Vitriolum natiuum uarii coloris et minerae ipsius, eidemque cognata Misy, Sory, Chalcitis ueterum etc. III.) Nobilissimum inter Metalla *Aurum* idque natiuum, fluuiatile aut fossile, et huius minerae. IV.) *Argentum*, pariter natiuum ac in suis mineris, ditioribus, e. g. rude nigrum (*Glas-Erz.*), rubrum (*roth-gülden Erz.*), album seu candidum (*weiſs-gülden Erz.*), tum et reliquis compluribus diuersae speciei et appellationis. V.) *Aes* siue *Cuprum*, et hoc etiam ab origine purum, aut in suis mineris immensae uarietatis. VI.) *Ferrum*, et ipsum quasi natiuum, utpote magneti prompte adhaerens, multiplicesque ipsius minerae, inter quas et nobiliores, quae aciem seu chalybem coquendo

 reddunt,

reddunt, Flores item Martis Styriaci natiui, niue candidiores. VII.) *Plumbum*, κατ' ἐξοχὴν dictum, ſeu *nigrum*, etiam natiuum et in mineris plus minus diuitibus, non modo ſplendentibus (*Bley-Glanz*), ſed diuerſi coloris, albi, rubri, flaueſcentis, uiridis; recrementa denique illius et producta per ignem uaria. VIII.) *Stannum* ſeu *Plumbum candidum*, quod etſi leuiſſimi ſit ponderis inter excocta metalla, mineras tamen quasdam habet ponderoſiſſimas, ipſasque nigras et angulares plerumque (*Zinn-Graupen*) praeter reliquas communi nomine *Zwitter* appellatas. IX.) *Metallis affinia*: inter quae proximum ab illis locum occupat *Biſmuthum*, a Germanis ita nominatum (*Wismuth*), priſcisque temporibus uix cognitum; alii *Marcaſitam* albam nuncupant, alii fortaſſe aptiori titulo *plumbum cinereum*; quandoquidem inſtar plumbi aut ſtanni facile liqueſcit, et huic prompte ſe aſſociat, reddendo tamen ſimul rigidius, et minus ductile. Ad hanc quoque claſſem pertinet *Argentum uiuum* ſeu *hydrargyrum* (*Queck-Silber*), cuius etiam natiui ac puri particulae per mineram Carnienſem diſperſae oſtendi poſſunt: ipſarum uero minerarum notabilis uarietas, praeſertim in *Cinnabari* communiter dicta (quae *minium* eſt *ueterum*) ſpectatur. Adeſt porro *Stibium* ſeu *Antimonium* (*Spies-Glas*), tam natiuum Hungaricum Solare praeſtantiſſimum, et rarius Germanicum, quam in ſuis mineris deliteſcens aut plus minus euidens. Succedit *Cadmia*, et primo quidem *Metallica*, quae et *Cobaltum* audit, atque uel Arſenico abundat (*Gifft-Cobalt*), uel coeruleum factitium ſiue Smaltum coquendo praebet (*blau-Farben Cobalt*); deinde *Cadmia foſſilis* cognominata ſiue *Lapis calaminaris* (*Gallmey*), aes in orichalcum conuertens. Subiunguntur *Foſſilia*, quae colore quidem

ac

ac ſplendore metalla mentiuntur, ſed ſterilia ſunt, e. g. Micae auri et argenti (*Glimmer*, item *Katzen-Gold und Silber*); Galena et Plumbago inanis (*Blende*) ſterile nigrum; quo etiam ſpectat Nigrica uulgo nuncupata fabrilis (*Waſſer-Bley*): ut alia taceam. Agmen claudunt *Saxa ſplendentia*, quae in metallis frequenter naſcuntur, uariisque ludunt elegantibus formis et coloribus. Eorum duo ſunt praecipue genera, *Cryſtalli* nempe et *Marmoris metallici*, illud populari uocabulo *Quarz*, hoc uero *Spath*, utrinque ab inaequali ſuperficie et cauernoſo habitu *Druſen* appellant.

Secundum ſcrinium complectitur TERRAS et LAPIDES. Illas diuidere placuit in *rudes*, parum aut nihil praeparatas, ſaltem certa forma, humano artificio non praeditas, et in *ſigillatas* communiter dictas, quae ſcilicet in paſtillos, orbiculos aut laterculos concinnatae, et uariis imaginibus aut characteribus impreſſis notatae ſunt, juxta locos natales ordinatae. Prioris autem ordinis *terras*, nempe *rudes* appellatas, diſpertiui in *pingues* ad ſpeciem ſiue *ſebaceas*, et in *ſiccas* ad tactum atque *ſcabras*. Medium inter terras atque lapides locum attribui *Arenis*, conſideratione dignis, tam foſſitiis quam fluuiatilibus et marinis. LAPIDVM autem diſtributio, ad meam methodum, pro fundamento habet duritiem maiorem aut minorem; cuius reſpectu diuiduntur in *duriores* et *molliores*. Vtriusque generis *lapides* rurſus aut *opaci* ſunt aut *perlucidi*; utrinque porro ſecundum *colores* aliasque affectiones commode diuiſi, ut *nobiliores* ac pretioſi *Gemmarum* nomine uenientes, haud interrupta ſerie coniungantur, nec reliquorum *ignobilium* et *minus pretioſorum* naturalis ordo turbetur. Seorſim repoſita ſunt *Marmora*, *polita* uidelicet in uno aut ſingulis lateribus, quod illorum differentiae et elegantiae citra polituram uix appareant

Tertium ſcrinium, ceteris anguſtius, LAPIDES continet, qui *certas figuras* et diuerſarum rerum *imagines* prae ſe ferunt, incertae quantumuis cauſſae et originis; unde tales ad *Naturae luſus* uulgo referuntur. Diſpoſitionem aliquam eorum in *Oryctographia Norica* exhibui, quae tamen ab illo tempore, propter uariorum ſpeciminum acceſſionem extendi et immutari quodammodo debuit; tametſi talium, utpote *imaginationis humanae potius*, quam *naturae luſuum*, indagationi parum indulgeam.

In *quarto ſcrinio* aſſeruantur PETRIFICATA, communiter nuncupata, ſiue *ab aliis Naturae regnis*, *Vegetabili et Animali profecta corpora*, per uniuerſalem terrarum Orbis Cataclyſmum aliosue caſus obruta, et immerſa in lutum, ſabulum, aliamue materiam, quae idonea fuit ad inducendam *lapideam*, *aut aliorum foſſilium naturam*, ſalua tamen relicta corporum ſuſceptorum forma priſtina, partim etiam ſubſtantia, eorum praecipue, quae corruptioni a natura minus obnoxia ſunt; quamuis etiam nonnulla *petrificatis* aſſocientur, quae talia proprie non ſunt, et parum terreo-lapideae materiei adſciuerunt, diuturna tamen incluſione in gremio terrae mutationem aliquam, praeſertim *calcinationem* ſubierunt. Minime uero putandum eſt, quaſi cuncta eius generis ſpecimina unum caperet illud ſcrinium; in quo quidem repoſita ſunt ſequentia: I.) *Plantae*, *quae ſub mari ſolent naſci*, *Corallia* et his cognata, paſſim e terra continenti eruta, ſine dubio per uniuerſale quondam diluuium aduecta et ſepulta; quo etiam *Aſtroitae* et *Fungi ſubmarini* pertinent. II.) *Plantae terreſtres* pro imperfectis uulgo habitae, *Fungi* ſcilicet ac *Muſci;* quamuis horum plerique non tam intus ſint lapideae ſubſtantiae, ſed eiusmodi ſaltem cruſta extrinſecus obducti. III.) *Herbae uariae*, praeſertim *capillares* nominatae,

minatae, Adiantha, Filices etc. tum et *arborum folia*. IV.) *Ligna* diuersae speciei petrificata, seu *Lithoxyla*, molliora atque duriora, quorum quaedam gemmarum duritiem et colores penitus exprimunt. V.) Ad *Animale regnum* facto transitu, sistuntur *quadrupedum osseae partes*, e. g. *Ebur fossile* uerum, *dentes* diuersorum animalium maxillis aut infixi aut liberi, *Vertebrae* item ac *Ossa* uaria pedum anteriorum et posteriorum. Accedunt *Piscium* maiorum partes, *Cranii* fragmenta, *Vertebrae* seu *Ichthyospondyli*, *dentes*, quorum celebriora sunt specimina *Glossopetrae* et *Bufonitae*. VI.) *Piscium minorum*, diuersi generis et moduli, corpora quasi integra; et quidem apparentibus potissimum *squamis* et *carnibus*, in lapide fissili metallico Islebiensi, Ilmenauiensi etc. Magis autem conspicienda *compagine ossea et spinis*, utplurimum a capite ad caudam usque, in tabulari marmore et saxo fissili Aichstadiensi. VII.) *Exanguia molliora*, *Lumbrici* seu *Vermes marini*, solitarii et conglomerati, *Stellae marinae* harumque ramosa membra et articuli, *Entrochorum* et *Asteriarum* nominibus notati. VIII.) *Animalia crustata*, *Plinio* dicta, uulgo *Crustacea*, quae totum *genus cancrinum* comprehendunt: eius *species petrificatas* possideo uarias, e. g. *Cancrum marinum*, *Pagurum*, *Gammarum* siue *Astacum*, *Squillam*, *Locustam*: unam insuper, nondum hactenus (quantum mihi constat) descriptam, chelis uidelicet longissimis, harumque apicibus ualde disparibus: cuiusmodi figuram repraesentat in *Supplementis Oryctogr. Nor.* Tab. III.

Quintum, idque ceteris capacius, *Scrinium* includit TESTACEA PETRIFICATA. Primo loco repositi sunt *Echini marini*, uelut ambiguae inter crustosa atque testacea naturae. Multiplex eorum est differentia formae, nimirum rotundae, oblongae, fastigiatae, compressae etc.

eorun-

eorundemque diuersi *alculei*, *radii* aut *claui*. Quae uero stricte appellantur *Testacea petrificata*, sub duobus summis generibus, *uniualuium* ac *biualuium*, uaria continent subalterna, et *species propemodum infinitas*, quarum nonnullae inter natiua conchylia nusquam hactenus deprehensa fuerunt, exemplo *Cornuum Ammonis*, *Gryphitarum* etc. Longum foret omnes illorum ordines singulatim exponere; sufficit hoc indicasse breuiter, apparatum esse amplissimum istius generis; quemadmodum ex Celeberrimi D. *Scheuchzeri Museo diluuiano* cognoscere licet, atque ex Catalogo ipsius meae collectionis propediem edendo constabit.

Proximum isti *Scrinio* est ordine *sextum*, quod e REGNO ANIMALI continet quaedam EXANGVIA, *Stellas* nempe *marinas* et *Crustata* quaedam, *Echinos* item uariae speciei. Deinde longa serie disposita sunt *Conchylia* omnis generis, ut pauca etiam ex rarioribus desiderari queant. Commode uero ita haec istis *petrificatis* finitima constitui, ut inter se collata facilem promptamque reddere possint illorum originis ac generis demonstrationem. Ceterum nolo nunc immorari prolixae recensioni ordinis, secundum quem *Conchylia* mea disposui. Hoc ausim dicere, et probabo suo tempore, paulo conuenientiorem esse meam dispositionem rerum naturae et characteribus, quam alias plerasque aliorum, e. g. *Bonanni* et *Listeri*; a quibus recedendum mihi subinde fuit. Fortasse *Methodus conchyliorum*, quam Celeberr. D. *Car. Nic. Langius* peculiari opusculo nuper adornauit, meliora quaedam edocebit, quæ lubens amplectar, ubi scriptum illud, sine dubio eruditum, hactenus frustra quaesitum, consecutus ero.

Iam *septimum* est recludendum *Scrinium*, quod equidem, interrupta quodammodo rerum serie, non animalis

malis ſed VEGETABILIS REGNI ſpecimina exhibet, cum alium commodiorem ei locum aſſignare non licuerit. In iſto autem apparatu primas tenent *Litophyta* dicta, ſeu *plantae ſubmarinae durioris, et lapidei habitus, Corallia* nempe omnis generis, rubra et alba, uariis elegantibus rarisque ſpectaculis, ipſum etiam rariſſimum nigrum, ab illo, communiter hunc titulum ferente, ac *Dioſcoridi* ἀντιπαθὲς nuncupato, ſaxea materia plane diuerſum, cum id exiſtat ligneo-bituminoſum. Adſunt praeterea *Pori* et *Fungi corallini* uariae itidem differentiae. Sequuntur *Maritimae Plantae mollioris contextus*, *Halcyonia* cumprimis, diuerſae materiae et formae, ramoſa, tuberoſa conglobata, ſpongioſa, ſtupoſa etc. porro *frutices ſubmarini* retiformes, ramoſi, cruſta uaria tecti; *ſpongiae* item et *Fuci marini*. *Terreſtrium* uero *ſtirpium florentes ramuli* non in hoc ſcrinio, ſed in *hortis ſiccis* (uulgatiori nomine *Herbarii uiui* appellatis) repoſiti ſunt. In illo autem ſpectantur praecipue *fructus exotici* et *rariores*, aliaue minus obuia, partim monſtroſa; ſeorſim alioque loco aſſeruatis, *quae ad medicam materiam pertinent*, partibus plantarum, radicibus, lignis, corticibus, ſuccis, ſeminibus, fructibus etc. quemadmodum et ſeparatam inſtitui *Seminum* omnis generis *collectionem*, hortoque noſtro Academico propriam dedicaui *in Seminario* nuper extructo.

Hucuſque ſummatim recenſui *contenta ſeptem ſcriniorum illorum*, quibus ſingulis in ſummitate ſeu uertice, gradatim ſuperpoſita ſunt, tam ornamenti qualiscunque gratia, quam ſpatii lucrandi cauſſa, earundem rerum, quae intus reconduntur, *ſpecimina*, praeſertim *grandiora*, ut primo etiam aſpectu habeat curioſus contemplator, quod ſcriniis incluſum, ſibique oſtendendum praeſagire

 queat,

queat. Ceterum in eodem conclaui *duo alia* collocata ſunt *ſcrinia*, eum in modum aptata, ut non tam ciſtis, priorum exemplo compoſitis, ſed per aſſeres transuerſos factis loculis, includant *Animalia uaria*, *partim liquori balſamico immerſa*, *partim alio artificio condita*, ut citra corruptionem durare exſiccata poſſint. In *quinquaginta ſeparatis ſcatulis* quamplurima Germaniae indigena, partim etiam exotica *Inſecta*, acubus transfixa, naturali poſitura, et ſecundum characteres ſuos accurata methodo diſpoſita aſſeruantur. Nec deſunt *ex aliis animalium generibus*, *Quadrupedum*, *Auium*, *Piſcium*, conſideratione digna ſpecimina.

Neſcio an operae pretium ſit commemorare paucula quaedam ARTIFICIALIA, quod in iis comparandis non admodum curioſus unquam fuerim, ſed quae forte nactus ſum, negligentius aſſeruauerim; placet tamen aliqua eorum indicare: Et ex *Antiquitatis* quidem *reliquiis* e. g. *Oſiridem* aeneum, elegantem, fere adhuc integrum, *Iſides* Aegyptias fictiles, maiorem ac minores aliquot, itemque ligneas grandiores, aliaque populorum aliorum *Idola*, *urnas ſepulchrales* et *Lampades* etc. Incepi etiam olim colligere *Gemmas antiquitus ſculptas*, non tam artificii amore, ſed ut quasdam lapidum ſpecies indagarem et nanciſcerer, quae hodie uix ullibi locorum effodiuntur ac reperiuntur. Iſta interim occaſione factum eſt, ut in numerum haud exiguum creſceret *collectio Gemmarum*; quamuis inter has extent etiam nonnullae, ad imitationem antiquitatis nuper affabre exſculptae cum ab aliis, tum a praeſtantiſſimo apud Norimbergenſes Caelatore *Dorſchaeo*. *Nummorum antiquorum* conquiſitio nunquam mihi curae fuit, partim ſumptibus in eam faciendis deterrito, partim quod idem ſtudium a tot curioſis nimium amatoribus exhauſtum iam eſſe crederem.

Ex

Ex recentioribus autem (τοῦ χαριεστάτου καὶ πολυμαθεστάτου D. D. *Thomasii* exemplo incitatus) ſeponere inſtitui *monetas ordinarii uſus ac pretii* aureas, tum et argenteas, unciales nempe et minores, quae referunt *ſententias et ſymbola* uaria magiſtratuum, qui cudi eosdem fecerunt. Pro adminiculo hiſtoriae literariae ſeorſim collegi ac repoſui ἔκτυπα *Numiſmatum, quae effigies, nomina et elogia Clarorum literis Virorum exhibent*; non neglectis etiam *Pictorum* et inſignium aliorum *Artificum* ſimili modo expreſſis uultibus. Qui uero in memoriam, honorem et gloriam Regum, Principum, et Heroum cuſi ſunt innumerabiles nummi, de his corrogandis nec cogitaui quidem, tametſi nihilominus rariores aliqui ſubinde ſe obtulerint, illis prioribus adiiciendi. Taceo nonnulla *ex marmore, ligno, ſuccino exſculpta ſimulacra*, tum et *cerea*, quorum ſane pulcherrima quaedam poſſideo exempla, uix amplius hodie imitabili artificio, uiuis ſeu naturalibus imbuta ubique coloribus cera nitidiſſime elaboratis imaginibus; quae tanto magis in pretio mihi ſunt, quod aliquos ex Maioribus meis minuta forma eleganter repraeſentant.

Sed deſino plura ediſſerere de *meis Collectaneis*, obteſtans ſerio L. B. ne exiſtimet, me quicquam eorum attuliſſe in medium, uanae oſtentationis cauſſa; cum ſatis recte ſciam, plures curioſos paſſim Viros multo plura et elegantiora et rariora poſſidere, quibuscum tenuem apparatum meum comparare neutiquam ſuſtineo: Rationem uero et cauſſam productae hactenus recenſionis, in principio iam declaratam, nil attinet hic repetere, aut operoſam eius afferre excuſationem. Ceterum non cunctabor, quamprimum per alia grauiora negotia licuerit, pleniorem *Phyſiotamei*, breuiter modo delineati, comprehenſam iuſto uolumine *deſcriptionem* edere, cuius illu-

ſtrandi gratia non paucas iam aeri incidendas curaui tabulas. Ad operis autem huius, certe non exiguos ſumptus ſubleuandos, utar frequentato ubiuis hodie compendio *ſubſcriptionis* eorum, qui fauent inſtituto et editioni; cuius aequas omnino conditiones propediem ſchedis publicis indicabo.

Interea pergam in ordinem meliorem redigere, et, quantum potero, locupletare iſta *Collectanea mea;* quandoquidem a libertate Amicorum ſubinde aliquid proficiſcitur, quod eo conducit. Grato autem accipiam animo, quaecunque porro offerentur, atque aut regionis noſtrae foſſilium, aut aliorum, quibus abundo, impertitione compenſabo, et humanitatem ſingulorum gratificantium publice praedicabo. Quemadmodum non poſſum, quin hac occaſione gratus commemorem nomina Virorum quorundam, eruditione, dignitate famaque Illuſtrium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum, partim quidem (non ſine meo dolore) iam defunctorum, per quos aliqua Muſeo meo facta eſt acceſſio. Ita *Rerum Naturalium* curioſa ſpecimina contulerunt, Anglica quidem D. *Io.* VVOODVVARDVS, Societ. Reg. Lond. ad extremum Secretarius, et D. *Io. Georg.* KISNERVS, Francofurtenſium Phyſicus, qui etiam Moguntiaca communicauit: D. *Frid.* RVYSCHIVS, uenerabilis Senex, conchylia exotica et rariora: D. *Io. Iac.* SCHEVCHZERVS, Tigurinus, et D. *Tob.* DEGGELLERVS, Scaphuſienſis, Heluetica: D. *Petrus* VVOLFARTVS, Haſſiaca: Dn. *Car. Chriſt.* *a* TETTAV, Reg. Polon. Conſiliar. et rerum metall. Elector. Saxon. ſup. Praefectus, et D. *Chriſt.* VVOLFFIVS, nec non *G. F.* MYLIVS, Lipſienſes, Saxonica: ſeorſim uero M. *Dau. Sig.* BVTTNERVS Querfurtenſia: D. *Frid.* KALTSCHMIED, Vratislauienſis, et D. *Georg. Ant.* VOLCKMANN, Lignicenſis, Sileſiaca: DN. *Chriſt. Gabr.* FISCHERVS, Regiomont, Prof.

Publ.

Publ. et M. *Georg. Andr.* HELVVINGIVS, Prussica: D. *Io. Henr. a* HEVCHER, Consil. Aul. Reg. Polon. et Elect. Sax. Polonica et Lithuanica: D. *Theoph. Franc.* HEYBERGER, Em. Cardinalis de Schrottenbach Archiater, Salisburgensia: D. *Io. Barth. Adam.* BERINGERVS, Consil. Archiat. et Prof. Publ. Herbipolensis, Franconica quaedam: D. *Balthasar* ERHARTVS, Memmingensis Physicus, quaedam Sueuica. Alii insuper plures alia beneuole obtulerunt; quorum, tametsi nunc non aeque recorder, non minus tamen ueneror liberalitatem, et cunctis aequam habeo gratiam: qualem etiam, imo amplissimam me debere profiteor illis Grauissimis Humanissimisque Viris, qui nuper admodum filio meo, *Ferdinando Iacobo*, Medic. Licent. peregrinanti, suam erga Museum meum beneuolentiam reapse declararunt: nominatim Excell. D. *Io. Crafft* HIEGELL, Archiater Elect. Treuirensis, Confluent. ad Rhenum, communicando huius regionis et uiciniae fossilia, inprimis hysterolithos etc. Generosissimus DN. *Godofr. Balthasar ab* HARZHEIM, Reip. Colon. Agripp. Censor, itemque Rei Milit. et Redit. Commissarius, rariora uaria: Magnif. D. *Io.* ANDERSON, Consul Reip. Hamburgensis, curiosa itidem uaria, perinde ut Generos. et Consultiss. Dn. *Io. Henr. de* SPRECKELSEN, qui praesertim conchylia petrificata Gallica et Anglica impertiuit: Maxime uenerabilis DN *Iacobus a* MELLE, Templi primarii apud Lubecenses Pastor ac Senior, *Cimbrica*. Excellentissimus D. *A. I.* HVGO, Reg. M. Britann. Archiater, Hannouerae, et D. *Franc. Ern.* BRVCKMANNVS, Guelferbyti, multa et uaria, quae in terris *Brunsuig. Luneburg.* reperiuntur, *fossilia figurata* et *metallica*. Praeter haec alia quoque idem filius meus in itinere suo passim, per *Belgium* et alibi, conquisiuit, et prece aut pretio comparauit, in augmentum *Musei* haud exiguum. Quodsi ergo et inposterum simi-

liter adſpirauerit fortuna labori, non poterit non amplificari plurimum collectio mea, et uberior hinc reddi promiſſa eius deſcriptio.

Iam nihil ſuccurrit, quod pro inſtituti praeſentis ratione adderem, et de *reculis meis* enarrarem, praeter unicam, plane diſtinctam ab indicatis hactenus, *collectionem*; de qua tamen fere dubito, utrum non praeſtet ſilere? quod uerear, ne multis futura ſit ludibrio, illis praeſertim, quibus non niſi grandia et oculos atque loculos liberaliter implentia arrident. In eo autem, de quo diſſerere coepi, *apparatu*, contrario plane ſunt omnia, cum non niſi *minutiſſima* quaeuis *Rerum naturalium* inprimis *ſpecimina* exhibeat. Confido tamen, cordatos Viros et aequos peritosque aeſtimatores ne hanc quidem ſtudii hiſtoriae naturalis particulam deſpicatui ducturos, quibus etiam ſolis ſcriptum uelim, quicquid circa ſingularem iſtam *collectionem* molitus ſum. Occaſio eandem ſuſcipiendi ſe obtulit, cum aliquando Norimbergae haud modicam congeriem conchyliorum coëmiſſem, et inter alia *copioſam minuſculorum farraginem* obſeruaſſem, cogitare coepi, iucundum fore ſpectaculum, ſi talia ſegregarentur, et conuenienti quadam naturae methodo disponerentur; poſſe enim ſic anguſto ſpatio comprehendi ſpecies complures, easque perfectas, ſi ſolam exceperis magnitudinem. Quare, tentata ſeparatione, apparuit amplum ſatis et expectatione maiorem delituiſſe numerum ſpecierum in iſta farragine. Oblectatus hoc tam auſpicato initio collectionis, amplius eidem operam dedi, quoties aliquid ſimile adipiſcendi opportunitatem habui. Hinc annorum complurium decurſu paulatim creuit adeo illa, ut *quingentas circiter ſpecies*, aut certe *differentias* euidentes delicatiſſimarum eiusmodi minutiarum numerare

rare nunc possim, praeter *Conchylia* scilicet, connumeratis etiam *fossilium figuratorum*, et aliorum non minus raritate quam subtilitate se commendantium rerum speciminibus. Pro his igitur, ordinatim asseruandis, *tria* mihi conficienda curaui *scriniola*, dimidum pedem alta aeque ac lata, et quatuor uncias profunda, singula *cistulis* e solido ligno paratis, loculis intus torno factis, instructa: Ceterum extrinsecus obducta sunt corio uariegato, quale nuncupatur Gallicum; ostiola lineis ac literis aureis exornata, sequentibus sententiis inscriptis:

I.) *Emicat e paruis diuina potentia rebus.*

II.) *Rerum natura nusquam magis quam in minimis tota est:* ex Plinio.

III.) *Comprehendere, quemadmodum maxima, ita minima difficile est:* ex Seneca.

Vt autem de rerum, quae intus continentur, generibus nonnihil commemorem, *duo scriniola* referta sunt *testaceis naturalibus*, et primo quidem *non turbinatis* e. g. Tubulis marinorum uermium, Entaliis, Echinis, Patellis. Insequuntur longa serie *uniualuia turbinata*, tam *compressa* (in quibus quaedam Cornubus Ammonis simillima) quam *in longum* plus minus *producta*, Conchae Venereae, conicae, cylindraceae, Neritae, Cochleae, Strombi, Trochi, Buccina etc. Porro *biualuia*, et quidem *aequalibus ualuis*, Musculi, Mytuli, Chamae, Tellinae, Pectunculi etc. deinde *ualuis inaequalibus*, Pectines quidam, Terebratulae, Ostreae. Adest inter alias Concha Anomia rarior, cui adnatum insistit corallium rubrum. Taceo *Astacos* et *Cancros* minimi pariter moduli, uti sunt recensita omnia, usque adeo, ut quaedam oculis, nisi armatis, nequeant discerni. Similiter comparatum est cum iis, quas *tertium* includit *scriniolum*, *minutulis rebus figuratis ex fossilium*

filium ordine repletum. Spectantur hic exiles crystalli sexangulae, Corallia fossilia diuersa et fungi corallini, Belemnitae, Alueoli, Entrochi, Astroitae: hinc Echini uarii, eorumque alculei et radioli; porro Conchylia omnis generis, consimili ratione cum prioribus ordinata; quorum aliquae species inter maritima conchylia uix usquam inueniuntur. Accedit conspicua uarietas Glossopetrarum, aliorumque denticulorum fossilium, nec non Ossium, diuersos Animalculorum artus clare designantium, cuiusmodi sunt uertebrae, scapula, humerus, femur etc. Infima denique cistula, non distincta loculis, praeter alia minuta continet Dendritas, Pisciculum, Gammarum, Stellam marinam, singula incredibilis pene subtilitatis. Ceterum ad imitationem maiorum, quae passim in Museis, et inter ornamenta fontium *(Grottenvverck)* occurrunt, Laruarum et monstrosorum uultuum, e paruulis conchyliis istis effingi consimiles curaui, ut *dignum* quasi praebeant *patella operculum.* Vix satis idoneum deprehendo meum calamum ad exprimendam *minutae* illius *collectionis* elegantiam. Vix etiam fidem inuenerit assertio, nisi prius perspectis circumstantiis antea memoratis, posse *quingentas et plures diuersas atque perfectas rerum naturalium species*, *et plus quam mille indiuidua*, distinctis loculis ordinate disposita, cum ipsis scriniis integris, tam exiguo coerceri spatio, ut omnia sub uno adulti hominis brachio contineri, aut in duabus manibus commode gestari queant, sicuti quemuis, qui considerare ista dignabitur, autopsia docebit.

Habeo autem praeterea eiusdem subtilitatis *Artificialia* quaedam, separatis conceptaculis inclusa, quorum recensionem, pace *Lectoris Beneuoli*, breuiter subiiciam. Primum se offerunt *subtilissimae scriptionis specimina* uaria, quae nudo, quod dicitur, oculo uix legi possunt.

Inter

Inter haec Christianae Religionis et Confessionis capita, angustis perquam spatiis circumscripta, seorsim Oratio Dominica, duabus cum dimidia lineis in orbem adeo subtiliter ductis, ut margine nummuli *(eines Pfennings)* contegatur, scripta per senem t. t. annos LXXIX. natum, *Leonem Pronnerum*, Norimbergae. Porro asseruantur minutula diuersa *e membranis tenuibus excisa* s. *exsculpta*, Nauis praesertim, malo triplici, uelis ac funibus, aliisque requisitis instructa; Conuersionis *Sauli* in Apostolum historia; Venationum item, ac peregrinantium Turcarum etc. minutissima pariter exempla. Taceo miniatulas politulasque itidem minutas *picturas*. Ex *Cera* autem per unum e duobus fratribus, *Danielem* aut *Ferdinandum Neubergerum*, effictas ineffabili propemodum subtilitate imagunculas non possum praeterire silentio. Scilicet *in putamine minoris auellanae* conspicitur *b. Virgo Maria*, ad mensam residens, euoluto libro, impendente capiti columba, *S. Spiritus* signo; ab altera parte accedens *Nuncius aethereus*, utrinque pulcherrimo habitu ex congrua proportione, uiuis in cera coloribus. *Duae corticulae grani cannabis totidem capiunt equites*, quorum, et quibus insident *equorum* elegans positura et proportio per microscopium clare conspici potest. Porro notari merentur *ossicula cerasorum* mediocris magnitudinis, in quorum altero *exsculpta totius Orationis Dominicae uerba*, nec dum omnem implent superficiem: alterum cancellatim *exsculptum est instar corbulae*, cuius uertici nomen suum apposuit artifex laudatus *Pronnerus*: *Granum piperis* excauatum, et artificiose applicato ebore, in formam poculi seu calicis elatioris concinnatum, *quinquaginta circiter aureas patellas seu orbiculos includit*. *Ex ebore* autem insuper fabricata, paulo frequentioris exempli spectantur uaria, e. g. *carpentum*, rotis mobilibus alioque

apparatu, ſex equis et aurigis duobus inſtructum, *quod muſca non incommode poſſet promouere: colus rotata*, decenti pariter apparatu exornata, minima: *camelus* inſuper, una cum rectore *per acus foramen facile tranſiens*: *Duodecim cultelli plicatiles (Taſchen-Meſſer)* ex bona acie, manubriis eburneis, rite traiectis clauiculis, coniunctim *uix dimidiam officuli ceraſini cauitatem explentes*. Mitto plures *artificioſas* eiusmodi *minutias*, earumque recenſionem, non immerita traductus admiratione, obſigno epiphonemate *Nicolai Taurelli* (*):

Ars ſaepe in paruis maxima rebus ineſt!

Ceterum ad iſtam *rerum paruularum*, tam naturalium quam artificialium *collectionem* retro paulisper reſpicienti mihi liceat, nouae et ab aliis fortaſſe non tentatae rei, nouum confingere et imponere titulum, iocoſa uocabuli compoſitione appellando

MICROPHYSIOTECHNOTAMEVM.

In uniuerſum autem, ſi uel maxime quis iudicauerit, me nimis curioſum et quaſi ludibundum egiſſe collectorem, nihil addo, quo me excuſem, praeter hanc *Ciceronis* (**) ſententiam: *Quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias uoluptates, et ad ipſam requiem animi et corporis conceditur temporum: quantum alii tribuunt tempeſtiuis conuiuiis; quantum denique aleae; quantum pilae; tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero?*

SVP-

(*) in praef. Diſcuſſ. de Mundo. (**) pro Archia Poeta.

SVPPLEMENTA ORYCTOGRAPHIAE NORICAE.



Cum ante hos uiginti atque duos annos in lucem protulissem opusculum illud ORYCTOGRAPHIAE NORICAE titulo, statim in praefatione indicaui, supplemento id indigere, hoc magis, quo minus uel unicum historiae naturalis caput adeo perfecte elaboratum promitti potest, ut nulla inueniat locum additio. Tametsi autem non admodum multa se obtulerint ab eo tempore, iam traditis adiicienda, subinde tamen nonnulla occurrerunt, tum etiam corrigenda quaedam. De utrisque humaniter me admonuit, uix dum edito opusculo meo, Excell. DN. D. SCHEVCHZERVS, eleganti epistola, quam non possum, quin integram, una cum responso meo, praemittam ipsis supplementis reliquis. Hæc omnia quidem uolebam, ut multo prius in publicum prodiissent, sed alia negotia moram et impedimentum intulerunt; cum interim tabellae aeneae, opusculo illustrando destinatae, iam ante plusculos annos, ea qua nunc comparent conditione, fuerint exsculptae, ipsa uero supplementi elaboratio propemodum neglecta. Quo minus tamen haec penitus omitteretur, frequentes Amicorum, istis studiis fauentium admonitiones effecerunt. Confido autem, quicquid eius tandem produxero, si fortasse opinioni Lectorum non satisfecerit, autori longe aliis grauioribusque occupationibus distento, condonatum iri. Sed nil moror amplius proferre laudatam epistolam.

VIRO NOBILISS. EXCELLENTISS.

DN. IOH. IACOBO BAIERO

PHILOS. ET MED. D.

HVIVSQVE IN ACAD. ALTORFINA PROF. PVBL. ILLVSTRIS REIP. NORIMB. PHYSICO MERITISSIMO

S. P. D.

ET DE

ΟΡΥΚΤΟΓΡΑΦΙΑ NORICA

EX ANIMO GRATVLATVR

ACARNAN.

I*ungit nos, quae inuidum mortalium genus communiter disiungit, animorum eadem ad idem ſtudium propenſio. Exhibet* ὀρυκτογραφία *Tua, VIR Celeberrime, quod noui dudum, et aliquoties ad Ill.* Dn. Lvcam Schroeckivm, Acad. Imperial. Nat. Curioſ. Praesidem *meritiſſimum, in expirantium* Ephemeridum *ſolatium perſcripſi; ſpecialis nempe Hiſtoriae naturalis Germaniae ſpeciem, quod cum applauſu excipiet orbis curioſus ſimul ac eruditus, auidis certe amplectitur ulnis Norica terra, cuius curioſas diuitias pandis. Perlegi ego hocce Tuum ſcriptum, quod a prelo ferme madens accepi ab Excell.* Dn. Mich. Frid Lochnero, *Amico nobis communi,* ἀμυσὶ, *et magna cum uoluptate, quam ut concepi animo, in amicum Tuum ſinum ſine mora effundere uolui. Eadem eſt utrique noſtrum circa hypotheſes generales mens. Dulcem refricas rerum Altdorf. ſub auſpiciis Virorum Excellentiſſimorum*, Hoffmannorum, Brunonis, Sturmii, VVagenſeilii *actarum, excur-*

ſionum

ſionum botanicarum et lithologicarum perfrequentium memoriam. Foſſilia ipſa ſiſtis aeri nitide ſculpta, cui nitori ut addidiſſet typographus chartae ſimul bonitatem, uel pro honore Tuo uellem. Sic autem excurreret facilius labor in Galliam, Belgium et Angliam, ubi nunc terrarum ſtudium hoc naturale hiſtoricum, et ſpeciale foſſilium figuratorum, iuxta cum, imo prae aliis maxime excolitur. Placent quoque deſcriptiones, quas rebus adiungis, et denominationes. Vnicum hoc pro mineralogia, quae indies accumulatur, in compendium contrahenda optaſſem, ut ſingulis ſpeciebus ſua ex uariis ſcriptoribus conquiſiuiſſes ſynonyma, quornm collectio utique inſigni foret diſcentibus adiumento. Optaui dudum, ut quis ſtudiis expertus hanc in ſe ſuſciperet pinacis mineralogici prouinciam, et ipſe manum admouere coepi, ſed quoque ob alia negotia remouere.

Patieris, VIR Humaniſſime, ut, quae ad ſpecialiorem quandam Oryctographiam Noricam, *ſpeciatim* Altorfinam, *pertinere mihi uidentur, addam, ueluti poſt meſſem Tuam* ſpicilegium.

Lapidum ex luſu naturae productorum copioſam offendi, magna mea uoluptate, progeniem in agris circa Popperg, *ditionis* Solisbacenſis, *ubi ſparſi per arua nobilioris cuiusdam generis ſilices, politura ſua et duritie ad* achates *fere accedentes, ſinguli fere peculiari figura gaudent. Vidi, qui retulerunt* caſeos, panes *uariae formae*, pyra, pruna perſica, aliaue mala, *in externa flaua plerumque ſuperficie pulcherrimos ſiſtentes* Dendrites: *quorum lapi-*

dum aliquos adhuc apud me ſeruo. Vidi ibidem in foſſula decliui dendrites *in lapidibus foſſilibus albis, et aliquos etiam mecum reportaui in patriam.*

Ex crypta, Windloch *dicta, uarios obtinui* ſtalactitas, *non ſemel eam ingreſſus: inter alios huius generis lapides eſt mihi, qui clare indicat ſtalactitae materiam uetuſtate temporis abire in uerum* Lac Lunae; *quam obſeruationem inſuper confirmant uariae in Helueticis cryptis inſtitutae obſeruationes.*

Ichthyoſpondylum *depingis* Tab. VI. Fig. 32. *Deduxit me aliquando λιθοφιλία, et mecum Amicum, curioſarum rerum participem,* Langhanſium, *Myrtylleto-Palatinum, ad patibulum. Ingreſſus hic muros, inter alios congeſtos lapides offendit et foras proiecit, panico ſimul terrore perculſus, ſaxum cinereo-nigrum, cui medio incluſae erant* uertebrae dorſales *octo, atro ueluti uernice ſplendentes, eiusdem, ut uidetur, cum Tuis ſtructurae et coloris, uere lapidefactae. Duas adhuc ex illis aſſeruo inter alia muſei mei rariora, et nunc in manibus ſunt ſculptoris, exornaturae ſcriptum, quod intra paucas, ut ſpero, ſeptimanas lucem uidebit, expoſiturum* Querelas piſcium. *Meas autem* uertebras *non pro piſcium oſſibus aſpicio, ſed quia omnes proceſſus et integram figuram habent,* pro humanis. *Icones mitterem, niſi ſpem facere poſſem opuſculi ipſius, quod originem lapidum ἰχθυομόρφων ex diluuio ad Mathematicam reducet certitudinem. Loquentes introducam piſces mutos. Videbis non figuram duntaxat externam umbratilem, ſed* ariſtas *ipſas,* carnem petrefactam, *et*

et ex characteribus genuinis cognosces lucios, percas, anguillas, *imo uidebis* plumam auis *et* scarabeum, *lapidibus affabre impressas cataclysmi perraras reliquias.* Pisces *uidebis a digitali longitudine ad sesquipedalem fere integros cum* uertebris, aristis *et* pinnis.

Capite VII. describis primum cornu Ammonis, *quos* nautilitarum *titulo baptizauit* Lvidivs. *Horum ex omni plaga mundi ad quadraginta ferme species habeo, figura et specie differentes; et non ita pridem eas, quas* Principatus Neocastrensis *fert, cum suis synonymis singulas descripsi in peculiari, de* Reliquiis Diluuianis Comitatus Neocastrensis, *ad* Serenissimum Prvssiae Regem *gratulatione, affabre depingi curaui. Ex omnibus autem, quae possideo,* Ammonis cornubus *(hoc nomen seruo prae illo* nautilitae) *rarissimum est, quod non semel quidem, sed saepius quinquagies reperi in lutifodina Altorfina. Permittes, VIR Celeberrime, ut picturam simul et descriptionem mittam, imo uero Tibi,* ὀρυκτῶν τῆς παλαιοκώμης *ruspatori sedulo, problematis loco offeram; quandoquidem non hactenus mihi obuenit fortius contra hypothesin nostram diluuianam argumentum, non durior aries Altorfino hoc cornu, ut arma haec, nemini hactenus cognita, non in dias protraherem luminis auras, nisi ingenuae essem mentis, et simul de ueritate hypotheseos contra aduersariorum tela, ut persuasissimus, ita paratissimus. Tibi autem nunc nodum hunc soluendum offero. En descriptionem conferendam cum* Fig. I. *et* II. *imo et cum Tuis* Fig. 4. *et* 5. Tab. III. *ad quam pertinent ocbracea illa cornua in* Geode *speciatim*

cellu-

celluloso, *p.* 33. *reperiunda, et ipsa haec noua, si integre sint elaborata cornua. Haec colore sunt candida, uel ex albo et flauo diluta, sed textura singulari, quae constat ex plurimis quasi* spiculis rigidioribus, *salia uolatilia collo alembici adhaerescere solita aemulantibus, inordinate quidem, ut primo intuitu uidetur, et indistincte dispositis, nihilominus intra sphaeram sui orbis manentibus, et ordinatas strias efformantibus, composita, quam comparare quis posset cum ea pilarum pilosarum in uitulorum, caprarum et rupicaprarum uentriculis reperiri solitarum. Vt enim hic pili, quos deglutiunt lambendo uituli, sensim conglomerantur, indistincte quidem et sine ordine, pilam tamen rotundam componentes; ita hic uidentur* fibrillae *hae uel* spicula *ortum ducere ex* materia selenitica *et* calcaria γεώδει *interstitia suffarcinante, quae sensim abscedens, filaminum instar, idoneo loco cauo sese colligens peculiari motu uorticoso inducto cornuformem talem figuram effingit. Et en quam prouida sit* Archei naturae figuratricis, *aliusue qualequale sit idolum*, principii Hylarchici *solertia. Offendi nonnunquam spicula haec in geodis cauitate coni uel pyramidis in modum disposita, circa unicum punctum collecta, sed texturae adeo delicatae, ut leui tactu, imo solo aeris halitu, in pollinem collapsa fuerint. Nec silentio praetereo (uel ut in gratiam redeam cum aduersariis) plures me adhuc ostendere posse differentes cohaesionis gradus, in diuersis eiusmodi cornubus: imo quod maius est, et* Archaeistis *cumprimis ad rhombum quadrat, offendi cornua, quorum pars casu forte diffracta, et exesa huius-*

modi

modi ſpiculorum ueluti nutritiorum ſubſidio fuit, regenerata, uel in totum uel ex particula duntaxat; addo inſuper, ne rarus hic nutritionis uel reſtitutionis conſumptarum partium modus, in uorticem circulatorius, interturbetur, interſtingui paſſim pleraque haec cornua ſelenitica materia, *ueluti parietibus intergerinis, quibus tamen ob miram Archaei prudentiam uortex minime impeditur, nec ſtriae ipſae peruertuntur. Comparaui mecum aliquoties filamina haec limaturae ferri, ſine ullo ordine Magneti adſperſae, aſt circa hunc lapidem in regulares ueluti fibrarum ordines protinus collectae, et mecum cogitaui, annon* magnetiſmo *analogus quidam motus et hic locum habere poſſit? Phaenomenon ſaltem eſt inquiſitione ulteriori, imo ſolutione Tua, quae acumini ingenii Tui reſpondeat, digniſſimum. Rudimenta habes formationis prima, rudem cornu formandi ideam,* Ideiſtis *modernis magnum ſolatium, cornu formatum cum ſuis ſpiris, ſed absque ſtriarum ornatu, ſtrias obiter delineatas, et uix dignoſcibiles, ſtriarum formam perfectius elaboratam, tandemque cornu ipſum cum ſtriis, dorſo eiusque ſpina, integrum ad ultimam perfectionem ductum. In memoriam hac occaſione redit, quod de cornuum Ammonis figuratione iudicabat* ὁ χαριέστατος, *Exc. Fratris Tui Anteceſſor,* Ioh. Chriſtophorus STVRMIVS, *Praeceptor meus in cineribus ipſis uenerandus. Praefigurabat ſibi Magnus hic Vir, in planitie, tempeſtate pluuioſa aquam a uento undatim propelli, ita, ut ipſa terra undis his ſeſe accommodet, et nunc in colliculum quendam aſcendat, in ualleculam quaſi deſcendat: a motu hoc recto aquae*

 exca-

excauari in luto ſtrias iſtas cornuum: aſt alio uento accedente, et aquam a motu ſuo recto deturbante, adque motum uorticoſum dirigente, luto aquae motum ſequente, talem figuram in uortice iſto imprimi, ſtriis interim aut rectam ſuam figuram ſeruantibus, uti in multis videre eſt, aut ſi motui uorticoſo aliquatenus obſecundent, ad obliquitatem recuruam accedentibus. Poſſe etiam talem uorticoſum motum luto imprimi ex aquae per rimas hiulcas delapſu. Ex luto et in luto fieri lapides hos, cornu inſtar in ſe ipſos reuolutos, inde patet, quod quandoque in medio luti, malleo diffiſſi offendantur cornua iam perfecte figurata, ſed adhuc mollia, Cornua perfecta: et aliquando indurata figuram ſuam imprimere luto alii, quod matrix poſtea audit: ſicque matricem in hoc caſu generari demum poſt cornu. Haec de cornu Ammonis.

Pag. 76. *cum* Bucardite eundem facis Hyſterolithum *qui tamen eſt diuerſus.* Hyſterapetram *meam ex pago Oberlohenſtein exhibet* Fig. III. *plures alias eiusdem generis uidi apud alios.*

Fig. IV. exhibet Pectinitam rarioribus ſtriis Listeri, in Cochlit. Angl. Tit. 48. *in lapide arenoſo ferrugineo, ex agris montis Heydenberg; una cum* Muſculo plano oblongo anguſto.

Fig V. ſiſtit Muſculum biualuem faſciatum, ualuis aequalibus, *terreum, quem unicum habeo ex millenis, quos aperui* aëtitis lutifodinae Altorfinae.

Fig. VI. depingit clarius partem dorſi cornu Ammonis;

nis, *rari*, *ſupra deſcripti*, *prouti* microſcopii ope *id conſpexit pictor.*

Plura non addo, ne epiſtolae iuſtae limites transgrediar. Vale, VIR Clariſſime, *et de Republica literaria bene mereri perge, ſed quoque amare*

Celeberrimi Nominis Tui

cultorem ſtudioſiſſimum

Tiguri *d.* 26. *Mart.* 1708. *D.* I. I. SCHEVCHZER.

* * *

Hiſce literis humaniſſimis, tametſi ocyus reſpondere cupiebam, rerum tamen in illis propoſitarum, tam copia quam dignitas, me permouit, ut aliquid temporis ſumerem ad diſquirendum, propterea que differrem meum reſponſum, usque dum de quibusdam momentis certior factus, mentem meam melius explicare poſſem. Neque tamen eius quicquam hactenus uidit *Vir amiciſſimus;* quod ipſi non niſi *typis impreſſam*, et in publicum editam *reſponſionem* exhibere conſtitueram. Atqui nunc demum haec prodit, dudum concepta, ſequentem in modum:

VIRO NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO

DN. D. IO. IACOBO SCHEVCHZERO

PHILOSOPHO ET MEDICO TIGVRINO
CELEBERRIMO
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOS.
ITEMQVE
SOCIET. REGG. ANGL. AC PRVSS.
SOCIO DIGNISSIMO
S. P. D.
EVGENIANVS.

Pergratae mihi ſunt Literae Tuae, quod non ſolum ſignificent, placere Tibi conatum meum, et opuſculum nuper editum, ſed etiam quod humaniter admoneant de aliquibus addendis pariter ac emendandis. Neque minus grata mihi eſt ingenua iſta declaratio, quod coniungi nos ſentias eadem animorum ad idem ſtudium propenſione: ita enim rectiſſime ſentis cum GESNERO Tuo, quem et eruditione et φιλοπονίᾳ pulchre laudabiliterque imitaris: Ille autem etiam optauit, in eo ſtudiorum genere, quo delectaretur ipſe, uerſari quamplurimos. Et cum *Hiſtoria* quidem *Naturali* ita omnino comparatum eſſe exiſtimo, ut nulla ratione melius amplificari queat, quam ſi per ſingulas regiones unus alterue cordatus Vir indagaret ſingularia phaenomena phyſica, pluresque inter ſe amice conferrent, et alter alteri ſuas communicarent Obſeruationes. Tu, *Celeberrime Vir*, exemplum dediſti nobile adeo, ut uel inuidi cogantur fateri, *Heluetiam* Tuam, neminem habuiſſe diligentiorem Te, Scruta-

Scrutatorem. Eo ipſo etiam me excitatum neutiquam diffiteor, ut *Foſſilium rerum in Prouincia noſtra*, diſquiſitioni uacarem; poſteaquam in *Plantis* perueſtigandis ac deſcribendis immortalem operam nauauit beatus D. MAVR. HOFFMANNVS, et celeberr. D. D. VOLCKAMERVS; *Animalium* uero curioſam deſignationem, *Excell.* D.D. LOCHNERVS noſter pollicitus eſt. Iudicium Tuum de *Oryctographia* mea, plurimis aliis antefero, utpote Viri in eo rerum genere uerſatiſſimi; ſed praeclarior eſt laudatio Tua, quam ut promereri opuſculum uideatur. Tanto aequiori autem animo illa omnia excipio, quae in eodem animaduerſione digna cenſuiſti. Et iuſtum ſane eſt Tuum deſiderium conquiſitionis *Synonymorum*, adeoque *Pinacis harmonici uocabulorum, quibus foſſilia appellantur.* Tale quid in uotis pridem habuit ὁ πολυμαθέστατος G. H. VELSCHIVS, & inter deſiderata Medicinae *Oryctopinacem uniuerſalem* retulit in *ſomnio Vindiciani*; quin et in epiſtola de ſuis Scriptis, num. XIX. promiſit *Oryctonymiam*, et *Metallonymiam*; ſed nihil eius in hunc usque diem comparuit. Haud uero contemnendum iſtius ſtudii ſpecimen, ſine dubio mecum agnoſcis exhibuiſſe GVALT. CHARLETONVM, *in appendice Exercitationum ſuarum de different. et nomin. Animalium.* Fortaſſe ipſimet Tibi, *Vir Clariſſime*, tantum ſuppetet aliquando temporis ac otii, ut poſſis deſiderio noſtro & aliorum ſatisfacere?

Interea mihi gratulor de inſigni acceſſione, ad meam *Oryctographiam* facta, indicio eruditiſſimae *Epiſtolae Tuae.* Huius ego ductu inueſtigaui curioſius agros abs Te deſignatos circa pagum *Popperg*; et confirmata per autopſiam deprehendi, quae de *lapidibus ex naturae luſu mirifice figuratis* annotaſti, quemadmodum et illa, quae circa *Stalactitem* et *Lac lunae*, in crypta *Windloch* Te

obseruasse scribis; tametsi apparuerit mihi cremor ille margaceus (quem *Lac lunae* uocant) progressu temporis in lapidem potius solidescere, quam ut idem e *stalactite*, resoluto per uetustatem emergat; Veruntamen utrumque forsitan a diuersis causis ac circumstantiis accidere potest.

Vertebrae, quas in Epistola commemorasti, et paulo post in *piscium Querelis et Vindiciis* (quarum exemplar a liberalitate Tua profectum, nuper gratus accepi) delineandas curasti, eiusdem plane cum meis *Ichthyospondylis* formae et indolis esse ultro agnosco; aegre tamen largior, quod sint *hominis spinae dorsi uertebrae*. A loco inuentionis. nempe patibulo, uix ullam probandi rationem Te uelle petere existimo; quale argumentum etiam eo minus ualeret, quo magis longe dissitis a patibulo locis, in sabuleto scilicet prope molendinum, *Schleifmühl*, et pagum *Hagenhausen*, (cuius forte adhuc recordaberis) mei sunt reperti *spondyli*. Hos quidem non omisi conferre cum *humanis*, sed ab iisdem non parum differre obseruaui. Praeterquam enim, quod sinus illius, quem foramen commune pro transitu spinalis medullae efficit, nulla appareant in Tuis pariter ac meis *spondylis* uestigia, profundior cauitas in singulis, acetabuli adinstar, et eam congrue explens corpus, in centro notabiliter acuminatum, quicquam aliud quam humanae uertebrae conditionem naturalem prodit. Taceo, quod eiusdem substantiae alias, nondum delineatas habeam *uertebras* diuersae magnitudinis, quarum figura et inprimis altitudo amplius adhuc ab *humanis* abludit, plurimum uero conuenit cum illis *Ichthyospondylis*, quas depinxit *August* SCILLA, in Libro elegantissimo, cui titulum fecit: *la Vana Speculazione disingannata dal Senso*, Tab. XVIII. pag. 135. Ignoscant igitur mihi pisces Tui, quod in *Querelis*

relis ſuis et Vindiciis, pag. 24. pronunciato ipſorum iudicio, ſubſcribere dubitem, easque uertebras pro humanis uenditatas, paulo accuratius conſiderandas ipſis, bona pace Tua remittam, deprehenſuris fortaſſe, ad quam demum ſpeciem ſui generis illae pertineant.

Quod circa ſynonymon *Cornu Ammonis*, a LVIDIO introductum, admones, nempe diſplicere Tibi iſtud *Nautilitae* uocabulum, tanquam minus congruum, ad generis totius characterem declarandum; id quidem non iniuſte ſic ſtatui, facile concedo; neque tamen prorſus ineptam eſſe appellationem *Nautilitae*, in ipſa *Oryctographia* demonſtraui, tum etiam confirmat ſtructurae analogia *Nautili* proprie dicti, et *Cornuum Ammonis*: Eadem enim eſt utrorumque ratio ſe circumuoluendi, et conſtituendi helices, niſi quod hae in *Nautilo*, atque adeo in *Nautilite* intus reconditae lateant, et ab extrema unica uoluta ſiue ſpira contegantur, in *Cornubus Ammonis* autem omnes explicitae pateant, a centro ſeu umbilico ad extimum usque ambitum; qualis quidem configuratio utique propius ad cornu arietini contorti, quam ad Nautili ſimilitudinem accedit.

Venio nunc ad illud *Problema* Tuum, de *Cornu Ammonis in Geode celluloſo*, lutifodinae noſtratis, a Te saepius reperto. Hanc ipſam ſpeciem recte Tecum obſeruaui interdum conflatam eſſe, quaſi integram, ex *fluore ſtriato albicante*, aut ſimilis materiae uenis ac lineis traiectam, ſicubi materia terreo-lapidoſa in continuationem *Cornu Ammonis* non ſuffecerit, ſed hiatus rimasque reliquerit. Ad *fluorem* illum quod attinet, eſt omnino ſingularis eius conditio; quandoquidem ex meris ueluti ſpiculis coagmentatus eſt: ut horum quidem diſtinctae occurrunt congeries, inaequali plane ſitu compaginatae, totumque aliquod corpus rude componentes. Habeo quippe

quippe frustula eiusmodi fluoris, in quibus spiculorum fasciculi quaquauersum inordinate sunt dispositi. Aliquando eiusdem *fluoris* saltem crusta obtegit superficiem *Cornu Ammonis*, nec in huius interiora penetrat: saepe uero etiam solitarie offenditur in laudato Geode huiusque cellulis, praeter omne *Cornu Ammonis* consortium. Reliqua phaenomena prorsus cum Tua descriptione conueniunt. Ego autem defectum quendam *Oryctographiae* agnosco, quod *fluoris* illius nullam iniecerim mentionem, non omittendam certe in *Supplementis*. Ceterum ad hoc redit *problema* Tuum, an fluoris illius admistio et concretio in *Cornubus Ammonis*, argumentum suppeditet, quo comprobetur, ipsa *Cornua Ammonis* oriri ex naturae lusu? Iocari Te satis intelligo, *mi sapientissime* ACARNAN, dum comiter infers, nullum istis cornubus Altorfinis obuenisse Tibi duriorem arietem, ad concutiendam hypothesin nostram de origine testaceorum fossilium ab uniuersali diluuio: Quasi uero materiae lutulentae, quae in istis terrae stratis plus minus impleuit obrutorum conchyliorum cauitates, sensim exsiccatae, et hinc rimas agenti ac interstitia relinquenti, non potuerit ipsa quidem subtilior, sed ad coagulandum aptus humor succurrere, et loca uacua explere? Manifestum est in omnibns, quotquot examinaui, speciminibus, materiam istam heterogeneam et *spicula fluoris*, quocunque modo composita, se accommodasse ad figuram naturalem et *organicam cornuum Ammonis structuram*, neque exundasse, nisi testa forte prius confracta. Eandem uero materiam accidisse *cornubus Ammonis*, tanquam externam et aduentitiam, uel inde colligitur, quod nonnunquam crustae rudioris in modum ambiat illa, in se optime conformata. *O imbellem igitur et imbecillum arietem!* Nos potius *Naturae lusuum patronis* soluendum remittimus

mus hunc nodum, quomodo inordinatam iſtam ſpiculorum congeſtionem, et inconditam diſpoſitionem, cum celebrata tantopere ludentis naturae ſuae prudentia et *ſymmetria* conciliare uelint? Mihi ne *magnetiſmi* quidem analogon quid illi phaenomeno ſubeſſe uidetur, propter iam indicatam ſpiculorum in omnes plagas directionem; cui efficiendi parem alicubi exiſtere magnetem haud temere credo. Beati STVRMII noſtri opinionem, de modo mechanico quaſi, quo materia lutulenta liquida, in uorticem acta, conceperit *Cornuum Ammonis* formam, tanto Philoſopho minime dignam arbitror, et uelut abortum nudae ſpeculationis, neglecta rerum ipſarum contemplatione, optimo Viro excidiſſe puto.

In pagina 76. *Oryctographiae* meae non immerito Te offendit, quod *Bucarditae* ſynonymon fecerim *Hiſterolithum*. Bene noui, apud Autores accuratius ſcribentes utrumque diſtingui: nec ignoro, quod lapidi a me delineato ac deſcripto rectius conueniat *bucarditae* uocabulum. *Hyſteralithi* uero ſeu *hyſterapetrae* appellationem eidem attribuit uterque BESLERVS, in ſuis Rerum Naturalium Collectionibus; ne exiſtimes, me citra autoritatem propoſuiſſe ſynonymon illud, quod etiam citatum inuenies a *Nehemia* GREVV, *in Muſeo Reg. Societ. Lond.* p. 263. Neque arduum fore puto indulgenti phantaſiae ſuae homini, e commiſſuris conchitae illius concipere ſibi et fingere aliquam ſimilitudinem naturalium muliebrium, perinde ac bouini cordis.

Quos *Num.* IV et V. delineasti musculitas, suo quemque loco inseram ac recensebo in *Oryctographiae Supplementis*, pro quibus iam subinde aliquid colligo, ut tandem futuram sperem non poenitendam accessionem. Interim Te, *Vir Excellentissime*, incremento Historiae Naturalis, ac totius Rei Literariae ornamento natum, quam diutissime superesse opto et ualere iubeo, fauorique Tuo maiorem in modum me commendo,

Celeberrimi Nominis Tui

obseruantissimus cultor,

Altorfii Nor. d. VII. Octobris A. R. S. CIↃ IↃCCVIII.

Io. Iac. Baiervs.

* * *

SEQVVNTVR NVNC IPSA SVPPLEMENTA.

Tametsi multa sint et uaria, quae in Svpplementvm Oryctographiae Noricae accumulari possent; malo tamen instituere *delectum*, quam leuioris momenti quaelibet ingerere. Lubet autem in proponendo sequi *ordinem Capitum et paginarum*, atque ita quaeuis notatu digna referre ad suos locos, nunc longiori, nunc breuiori rerum descriptione.

Cap II. pag. 9. *Aquis medicatis* annumerare decet *fontem*, haud ita pridem exploratum, proxime ad Arcem *Groß-Albers-Hof*, ubi Serenissimvs Dvx Palatino-Solisbacensis, Dominus meus clementissimus, commorari solet. Iste *fons* subinde halitum sulphureum spargit notabilem per uiciniam; saporis est blandi acidiusculi, ut non solum statim *a priori* (quod dicitur) naturam *acidu-*

larum

larum dilutiorum prae se ferat, sed etiam *a posteriori*, ipso nempe usu et effectu salutari, multis uariisque in morbis, mirifice iam se commendet. Ego autem in praesenti omitto plura de eodem fonte commemorare ideo, quod spes sit, fore, ut plenior ipsius descriptio, singulari exhibenda opusculo, *Clementissimi Principis* iussu, aut mihi aut alii proferenda in publicum demandetur.

Cap. III. *pag.* 16. Testatus sum, me nec unicam *Terrae Veldensis* pastillum, eo modo, quo CASP. HOFMANNVS indicauerat, signatum inuenire potuisse. Deprehendi autem postea in pharmacopolio quodam Norimbergensi, eiusdem prorsus *Terrae sigillatae* exempla, cuiusmodi unum inter *Icones* ad hæc *supplementa* referendas *Tab. I. Num.* 1. delineatum sistit *montibus et arboribus notatum*, addita uitiosa inscriptione: *Tera Siglata*. Ceterum ad idem caput de *Terris* omnino pertinet, quod aliquando acceperim *glebam pallide flauam*, prope Coenobium Ord. S. Bened. *Weissenohe* repertam, quae omnibus notis, praesertim *arenosa tenerrima aspredine*, ipsoque abstergendi ac poliendi effectu, *ueram Tripelam seu Tripolinam terram* repraesentat. Maiorem eius copiam, et quasi uenas, Domino fundi haud exiguo lucro futuras, diligenter quidem, ast perperam inquisiui.

Ad *Caput IV*. pag. 26. ubi de *Marmore* agitur, addendum est, quod ante paucos annos in monte nobis propinquo, *Heydenberg*, qua pagum *Pühlheim* spectat, *Marmoris* magna uis et praegrandia saxa sint detecta. Ipse Lapis est fere *cinerei coloris*, sed *maculis* ac *uenis* modo *flauis*, modo *rubicundis* aliisque eleganter distinctus; ut operae pretium minime sit defuturum, si quis in elaborationem uariarum rerum, utensilium aut crepundiorum, ex illo marmore, sumtum facere uellet, praesertim in conficiendos inde globulos lusorios. Et sane polituram

O 2 haud

haud difficulter recipit, uix ullo uitio notatus; nisi quod frequenter sit rimosum. Deprehendi autem alibi in agris minora frusta *marmoris durissimi*, quod limam sustinet, omnesque notas habet *lapidis Porphyrii*.

In eodem *Capite* pag. 28. post *Silicum* recensionem admonui, quod cum his interdum uulgo confundantur *nobiliores* quidam *lapides*. Atqui tales non infrequenter occurrunt in agris montosis et lapidosis Palatinatus superioris, praecipue ditionis Solisbacensis; quandoquidem circa pagos *Popperg* et *Ilschvvang* collegi *Achates* uarii coloris, *albicantis*, *grysei*, aut simplicis, aut distincti venis rubentibus. Habeo enim *e gryseo coerulescentem*, *uenis luteis eleganter uariegatum*; *Iaspides* insuper *hepatici*, *rubri*, *fusci coloris*, intercursantibus diuersis uenulis. Seorsim prope oppidum *Erbendorf* copia est *obscure uirentis Iaspidis*, itidem interdum uersicoloribus uenis. Hac occasione licebit etiam meminisse immanis illius *Achatae* molis, *ducentorum circiter centenariorum ponderis*, quem nuper admodum in Palatinatu superiori, qua *Potentissimo* BAVARIAE ELEECTORI paret, inuentum, ingeniose excogitatis machinis adhibitis, in praedium suum transuehi curauit *Illustriss. Dominus* COMES NITSCH *de* VVARTENBVRG, Electoralis Vicarius, ac Praeses Ambergensis Regiminis. (*) Qualis autem color in *Achate* isto praeualeat, rescire nondum potui.

Ad calcem eiusdem *Capitis* IV. adiicio rariorem *fluoris speciem*, cuius meminit *Excell. D.* SCHEVCHZERVS in Epistola praemissa, tum etiam ad hanc responsio mea pag. 39. Est autem *fluor* ille ex meris spiculis, ad similitudinem acuum, quales inter purgamenta lini conspiciuntur, aut scobis tenerioris, laxa cohaesione conflatus, et uelut in fasci-

(*) Vid. *Regenspurg. Historische Nachrichten* An. 1730. pag. 94.

fasciculos congestus, inaequali prorsus situ inter se iunctos. A nemine, quod sciam, descriptum *fluorem* eum uix alibi, quam in Geode celluloso, *Oryctogr.* p. 33. annotato reperire potui, aut solitarie, aut cornubus Ammonis interfusum, quemadmodum pluribus enarrat Epistola citata. Alium *fluorem striatum*, sed multo crassioribus, albis ac pellucidis partibus, firmiori nexu constantem deprehendi; cuius perinde ac prioris generandi aut concrescendi modum, nulla ratione physica me omnino assequi posse fateor.

Circa *Caput* V. plura occurrunt, partim emendanda partim addenda. Sic *Aëtitae* speciebus inseri debet *praegrandis* quidam, ouatae figurae, cuius dimidium saltem attulit aliquando rusticus e Palatinatu superiori. Pondere ad sesqui libram accedit Lapis ualde durus, nec tamen limam sustinet, ex pallido flauescit; crassities parietum maxima sescuncialis est; consimilis amplitudo cauitatis, sed profunditas duplo maior; *Nucleum* includit *terreum* albicantem, *Tripolinae simillimum.*

Pag. 36. Post expositionem plurium *Belemnitae* differentiarum, declaraturus sententiam meam, de genere ad quod iste lapis, ratione originis pertineat, dubitaui quidem statuere cum iis, qui conchyliorum familiae *belemnitas* adscribunt: Veruntamen ab illo tempore, aliis atque aliis phaenomenis, accurate perpensis, inductus sum, ut in easdem transirem partes. Nimirum constans illa in singulis, non admodum mutilatis *belemnitae* indiuiduis, *organica dispositio*, praesertim quoad cauitatem in basi, et huius per *alueolum* expletio, insuper haec etiam *diuersa amplitudo*, a minima ad maximam, clare testantur *analogiam cum indubitatis animalium eiusdem generis speciebus.* Accedunt *siphunculi*, oras alueolorum traiicientis, uestigia, et *lamellarum* sibi incumbentium, et

faſtigiatum corpus componentium proportio, ſimilitudinem cellularum in Nautilis et quibusdam Cornubus Ammonis prae ſe ferens. Sed haec et alia, quae idem comprobant, argumenta ſcite propoſuit Clariſſ. atque Experientiſſ. D. *Balthaſ* Erhartvs, Memmingenſ. Phyſicus, in perquam erudita *de Belemnitis Sueuicis* Diſſertatione; quacum conferre iuuabit beati M. R. Rosini *Animaduerſiones* poſthumas *de Belemnitis et Alueolis*. Non parum uero ad opinionem iſtam corroborandam facere uidetur, quod lapides inuenerim in agris montoſis, totos quaſi ex innumeris minimis belemnitis conflatos, niſi quod aliorum conchyliorum ſpecies et fragmenta parcius interſperſa ſint. Iſti autem, quos modo dixi, *Belemnitae minimi* plerique in extremitatibus ſuis manifeſtam oſtendunt *cauitatem*, ſaepe ſatis profundam, comparente nihilominus ubiuis conica earundem configuratione. Taceo, quoties *grandioribus* praeſertim *Belemnitae* fragmentis adhaerentes deprehendantur oſtreae, aliaue conchylia, et marinorum uermium tubuli, in teſtimonium *cognationis cum genere teſtaceorum animalium*.

Prae caeteris autem, quae afferri poſſent, *Belemnitae differentiis* non poſſum, quin commemorem *ampliſſima* quaedam *ſpecimina*, illis certe in *Oryctographia* laudatis ſuperiora, utpote *ſex uncias per ambitum colligentia*: Sed raro talia coniunctam habent eximiam longitudinem, quae frequentior eſt minoribus et gracilioribus: huiusmodi unum habeo *quinque uncias longum*, nec tamen integrum, in lapide cruſtoſo uariis repleto conchyliis.

Pag 38. In *Alueoli* recenſione notaui, eum apud nos haud *ſolitarium*, ſed inter ſe *concretos* plures in figuram conicam reperiri. Obtulerunt autem ſe poſtea nonnulli etiam

etiam *solitarii*, aut *gemini*, operculum conuexum repraesentantes. Sunt mihi tales *peramplí*, unciam quippe diametro excedentes; et unus quidem est *mere pyritosus*, eleganter politus, praesente etiam *siphunculi* uestigio luculento. Ast omnino frequentiores occurrunt *concreti* seu *compositi*, grandiores quoque; cuiusmodi sane elegantem exprimit *Fig.* 2. *Tab.* I. Ex *minoribus* autem multis atque uariis, post editam *Oryctographiam* obseruatis, eos duntaxat annotare placet, qui plerumque lapidi calcario-tophaceo immersi, *distinctam* habent *crustam albicantem*, *reuera testaceam*, alueolo coëxtensam, sed *tenuem*, et a *Belemnitarum* substantia, forma striata et crassitie penitus abludentem, cum interim euidentissimos includant *alueoli conos*; quales quidem nudos saltem, et crusta laudata destitutos exhibet *Oryctogr. Tab.* I. *Fig.* 9. 10. 11. Ceterum *Alueolos*, *tali crusta siue testa instructos*, nondum hactenus ab ullo autore (quantum recordor) descriptos, uix auderem pro *peculiari specie* uenditare, nisi aliquammultis consimilibus collectis speciminibus conuincerer. Vnius uero et alterius accuratam delineationem, in *Tabulis*, ad haec *Supplementa* spectantibus praetermissam, exhibebit plenior *Physiotamei* nostri historia.

Pag 41. et sequ. Eundem fere, quem modo circa *Belemnitem* et *Alueolum* agnoui, errorem quoque commisi circa *Astroitem* et *Entrochum* lapides; quandoquidem et ipsos *animalis esse prosapiae*, exploratum hodie satis habetur. Sunt enim nihil aliud, quam *fragmenta et articuli stellarum marinarum*, in multos ramos atque cirros abeuntium; quarum exemplar notabilius, nomine *Capitis Medusae* appellatur. Actum agerem, si ad illustrandam istorum lapidum naturalem historiam commentari quicquam uellem; posteaquam Vir Clarissimus

et lon-

et longiori uita dignissimus *Mich. Reinhold.* ROSINVS, in suo de *Lithozois* ac *Lithophytis* Prodromo, eandem materiam adeo copiose ac diserte pertractauit, ut uix ullum Caput *Lithographiae*, a quoquam autore, maiori studio dilucidatum esse existimem. Ceterum post diuulgatam *Oryctographiam*, plura et elegantiora nactus sum *Astroitarum* exempla, eodem quo priora loco deprehensa; quae cernere licet in Tab. I. Fig. 3. 4. 5. 6. *Entrochorum* uero specimina sistunt eiusdem Tabulae Fig. 7. 8. 9. Inueni etiam *Asterias* secundum longitudinem uiolenter compressas; manifesto indicio mollioris olim substantiae, quae irruenti ac prementi forte ponderi quodammodo cedere potuit.

Quem uero *Oryctogr.* pag. 42. indigitaui et *Tab. I. Fig.* 15. 16. ibidem depictum dedi *lapillum*, tanquam *Entrocho cognatum*, neutiquam talem, sed *Fungi minimi Corallini* speciem esse, didici ex collatione inuentorum deinceps plurium, qui in *Historia Physiotamei* comparebunt: cum interim certum sit, quod de conuenientia istius lapilli cum *Porpite Luidii* asserui.

De *Dendrite, pag.* 44. perpauca saltem notaui, quibus longe plura possent addi, siquidem ex innumeris uarietatibus in *lapide fissili Eichstettensi et Solenhofiensi* occurrentibus, praecipuas tantum exponere uellem. Ast breuitati studens, summatim saltem commemoro *differentias* 1) *ratione coloris*, qui flauus est in aliis, fuscus aut niger in aliis; et hi quidem fere sunt frequentiores *Dendritae*; 2) *ratione figurarum*, aut teneriores aut crassiores latioresue *arbuscularum*, *fruticum*, *syluularum* imagines raras, aut densas, in infinitum diuersas referunt. Interdum alia lapidibus inclusa corpora, *Pisces*, *Cornua Ammonis* etc. ambiunt ac uelut exornant, tam flaui quam nigri coloris ramuli, saepe etiam permisti. Habeo nonnullos

nullos eius generis lapides, qui pulcherrimo ſpectaculo *inſulas* repraeſentant, tenerrimis quaſi frutetis, monticulis, ſinubus circumſcriptas: Et unum quidem eiusmodi, uariae magnitudinis *inſulas* copioſe ac inordinate, diuerſis interuallis referentem, iocoſo titulo, *Archipelagitem*, ſignaui. Alium poſſideo, qui *ſtagnum* ſeu *piſcinam arbuſculis ac fruticibus circumſeptam*, iucundiſſime exprimit: Taceo, qui *picturas minutulas amoenarum regionum*, paſſim arboribus, fruticibus, ericetis conſitas exhibent, imminentibus ſupra nubium ſimulacris. Duo autem imprimis circa hoſce *Dendritas* animaduertere conuenit, quod nempe pauciſſimorum figurae altius in lapidem penetrent, ſed tantum *ſuperlitae* quaſi ſint; deinde, quod arbuſculae utplurimum, in quacunque cum naturalibus analogia, non habeant *ueram proportionem*, ſed truncos ſiue caudices anguſtiores oſtendant ipſis ramis, ſaepe etiam extremis: unde ſtatim colligitur, quod non ſint indolis uere uegetabilis, ſed imitamenta ſaltem et *luſus naturae*. Et quamuis interdum altius in lapidem deſcendiſſe appareant *arbuſculae*, quod de *Marmore Florentino* abunde notum eſt, ſimiliterque in aliquibus noſtratium apparet, tantum tamen abeſt, ut hinc probabilitatis quidpiam emergat de uegetabili iſtarum figurarum natura, ut potius contrarium inde conficiatur, quoniam in dimenſione altitudinis ſeu profunditatis illius, et latitudinis, nulla exiſtit naturalis proportio. Plura in hanc rem, et pro uniuerſa *Dendritarum* hiſtoria legere deſideranti ſuppeditabit *Herbarium diluuianum* iterato editum ab Excell. D. SCHEVCHZERO.

Eadem pag. 44. *Lapides* quoque *Iudaicos* inter eos retuli, qui ſunt *ex luſu naturae* figurati; quamuis utrum non potius ſint *radioli* aut *claui echinorum*, non improbabile judicauerim. Et ſane ab illo tempore in alia in-

cidi lapidum iſtorum ſpecimina, quae hanc opinionem mihi reddiderunt uerofimiliorem, quantum quidem ad *graciliores* eius generis lapides attinet: De *craſſioribus* enim et *ſimul breuioribus* (cuiusmodi habeo, qui *pyrum moſchatellinum* referant) pronunciaui, dubiam mihi rem uideri. Eſt equidem et horum conuenientia quaedam cum tenuioribus, inprimis ratione inferioris extremitatis, qua uelut *acetabulum* exprimunt; tametſi nec idem in omnibus obſeruetur. Praecipuum autem mihi dubium mouerat laudata ingens *craſſities cum breuitate coniuncta, excluſo etiam omni apicis acumine, et acuminato cacumine*, quale quidem de quouis radio, ne dum aculeo, prima ſtatim notione praeſumitur. Quapropter non eſt, quod magnopere curem cenſuram paulo liberiorem dubitationi meae adhibitam a quodam *Wagnero*, t. t. Med. Candidato, in *Diſſertatione Inaugurali, de Lapidibus Iudaicis*, ante quinquennium edita; cuius palmarium uidetur eſſe argumentum, quod magis et minus craſſum non uarient ſpeciem, tum et quod exiſtere nihilominus in maris profundo queant *Echini* tam craſſis inſtructi clauis, etiamſi nondum in conſpectum producti ſint: Erit tamen tamdiu locus dubitandi, donec aſſerto conueniens aliquid demonſtretur ſpecimen, aut *naturalis* adhuc aut *petrificati Echini*, cuius papillae ſeu monticuli tam laxe diſtent, ut craſſiores eiusmodi clauas, ſaluo motu libero ipſarum, ſuſtinere queant. Mihi ſane talis conditio neutiquam occurrit in omnibus *Echinorum* atque *Echinitarum* differentiis, quarum fortaſſe plures habeo, quam Dominus *Wagnerus* ille unquam uidit; cui de cetero maiorem in iudicando et controuerſiis tractandis modeſtiam commendo.

Sed redeo nunc ad *Lapides*, qui meliori forſan iure *Luſui naturae* adſcribuntur. Horum complures poſſem adii-

adiicere illis in *Oryctographia* memoratis. Sic ad *uegetabilium simulacra* pertinent, quae in *Tab.* I. hisce *Supplementis* accommodata, num. 10. et 11. conspiciuntur *figurae*, altera quidem *Pyrum* quoddam minus, altera *Malum Citrium* mentiens, et hoc certe adeo speciose, ut pomo eiusmodi uieto, etiam quoad colorem, nihil fingi possit similius. Taceo alios, ad *fructuum uariorum* formam accedentes lapides, quibus a me primitus impositum generale nomen, τῶν καρπολίθων, complures hodie lithographos usurpare uideo.

Qui uero *animalium partes* quasdam repraesentant, itidem multi ac diuersi succurrunt, ut nec *humani quidpiam* fingentes desint, e. g. *Cranium*, nonnullis etiam suturarum uestigiis apparentibus: Alium uero lapidem habeo, per medium suum exquisite referentem *suturam cranii*, quem propterea ῥαφίτην appello; est enim ῥαφὴ Graecis *sutura*: alium, qui *pedem pueruli cum crure*, haud inepta proportione exhibet, proptereaque nominabitur λιθοπαιδοπόδιον: alium, qui *pedem rustici ocreatum* minuta forma exprimit, ideoque nuncupabitur γεωργιοκνημίτης. Adsunt praeterea, qui *testiculos*, aut separatos, aut scroto inclusos geminos imitantur, quos licebit appellare Ὀρχίτας et Διδυμίτας: Alii *auium* repraesentant *corcula*; et hinc dici poterunt Ὀρνιθοκαρδῖται: Quidam *auium rostrata capita* referunt, quos uocare licebit Ὀρνιθοκεφαλίτας. Quin, ne quid monstrorum desit, ostendi etiam potest *canini capitis simulacrum*, quod nominari merebitur κυνοκεφαλίτης: Alius lapis *renem ueruecinum* mentitur, et appellari debet Νεφροειδής: Alius denique *farcimen* breuius et latiusculum, fumo induratum, (quale nobis Itali solent diuendere) figura exprimit, atque hinc Ἀλλαντοειδεὶς nuncupabitur. Mitto plura eiusmodi *Naturae lusuum lapidea specimina*, totas implentia cistas; a quibus contemplandis

ſolicite arceo Matronas et Viragines, tempore praeſertim ueſpertino, ne conceptis forte firmius ideis tam terribilibus ac monſtroſis, per inſomnia redeuntibus exagitentur. Ignoſcant uero mihi *Lectores ſeueriores*, quod in iſtorum luſuum enarratione prolixior fuerim; qua forſitan alii, phantaſiae indulgentiores, nihilominus oblectabuntur. Ceterum hoc breuiter admoneo, quod plures eorum lapidum collegerim ex agris circa pagum *Popperg*, quorum etiam meminit *Epiſtola* praemiſſa.

Ego nunc ab iſto *figuratorum foſſilium* genere animum et calamum retraho, ſimul autem ab eodem abstraho, quos immiſcui *Oryctogr.* p. 46. *Ficoides* a Clariſſ. SCHEVCHZERO nuncupatos, ipſosque cum aliis pluribus ad *Caput* ſequens, in ordine *ſextum* defero; utpote *fungorum maritimorum*, aut *Alcyoniorum ſpecies*, quibus etiam accedit delineatus in adiuncta *Tab.* I. *fig.* 12. profundiori umbilico praeditus lapis. Congeneres ſunt, et omnino ex *fungitarum* familia, quamuis diuerſae figurae, quarum imagines in modo citata *Tab.* I. comparent, *num.* 13. 14. 15. 16. 17. diſparis etiam materiae ac duritiei: Sed reliquis mollior aut friabilior exiſtit *num.* 15, cui reſpondet in *Tab.* III. *num.* 1. *gemellum* quidem, uti exiſtimo, *Alcyonium*. Similes his nactus ſum plures, etiam *tergeminos* lapides *Alcyonium tuberoſum in forma ficus*, iam olim a *Ferr.* IMPERATO *Hiſt. Nat. Lib.* XXVII. *cap.* 8. notatum, minori forma referentes; praeterea uero diuerſos alios *fungitas*, *pileatos*, *orbiculatos*, *ſtriatos* et *criſpatos*, cuiusmodi quosdam ſiſtit Excell. D. *Car. Nic.* LANGII *Hiſtor. Lap. figurat. Heluetiae*, *Tab.* XI. et XII. Accuratas autem praecipuorum ex meis imagines dabit *Phyſiotamei* promiſſa deſcriptio. Ad eandem *uegetabilium foſſilium* ſeriem quoque pertinent nonnulla *Coralliis affinia*. poſt *Oryctographiam* editam reperta, quae pariter

ter isti Operi ampliori reseruantur; quemadmodum etiam *Lithoxyli* differentiae nondum traditae.

Sub finem *Capitis* VI. O. N. *pag.* 56. mentionem inieci *Ichthyolithorum*, et me excusaui, quod apparatu ipsorum sufficienti tunc non instructus, parum aut nihil speciatim de iisdem commemorauerim. Ab illo autem tempore tanta eorum copia et uarietas mihi obtigit, e uicinis *Eichstadio* montibus, ut peculiarem fere tractationem mereantur, et amplissima hinc fieri queat accessio ad *Querelas et Vindicias Piscium*, laudatissimo D. SCHEVCHZERO interprete, diuulgatas. Habeo iam paratas complures rariorum, *Tabulis aeneis* expressas icones, quae in *Physiotamei* expositione proferentur. Interea de Lapide, istas *piscium reliquias*, et plerumque *ossa* atque *spinas* saltem comprehendente, hoc annoto, quod sit *marmoris tabulati species*, cuius uastissima strata in istis montibus extant, inde uero erutae tabulae, non admodum crassae, tectis aedium construendis impenduntur; e crassioribus autem fragmentis pauimenta aliaque utensilia confiunt. Eum igitur in finem quando lapides fodiuntur, haud infrequenter in conspectum prodeunt tabulae, cum *Dendritas*, tum *Piscium*, *Cancroram*, *aliorumque marinorum animalium exanguium*, quin et *conchyliorum* corpora includentes. Sunt mihi quaedam *Piscium* specimina, in quibus praeter ossa et spinas, *squamarum* etiam et *carnium uestigia* luculenter apparent; et in unius cranio *ipsum cerebrum petrificatum*; in alius cauda bifida naturalis color, a reliquo diuersus, nempe rufus. Non autem magnitudine solum, sed et ipsa forma multum differunt *Ichthyitae* nostri; quamuis difficile sit *species* singulas discernere, cum in plerisque indiuiduis sola supersit ossea compages, ac ne quidem haec semper integra, dilapsis passim carnium putredine partibus, aliis etiam su-

periori, aliis inferiori tabulae adhaerentibus. Ceterum permulti ſunt admodum *diſtorti*, manifeſto indicio uiolentae necis, ab ingeſta mole per diluuium materiae limoſae, poſtea in ſaxum duratae.

Piſcibus illis κατ' ἐξοχὴν dictis, qui omnes quondam ſine dubio ſanguine fuerunt praediti, ſuccedunt nunc *Exangia Animalia petrificata*, et primo quidem *molliora*, aut ſaltem a cruſtaceis atque teſtaceis diuerſa. Inter haec eminent *Stellae marinae*, quarum unius et alterius ſpeciei fragmenta et *articulos ramorum*, eſſe *Entrochos* et *Aſtroitas* noſtrates, antea confeſſus ſum. Integram eiusmodi maiorem *Stellam foſſilem* reperire hactenus nondum licuit, quin neque conſpicuam eius portionem, cohaerentibus inter ſe aliquot ramis; qualem forte exhibuit beatus D. *Eberh. Frid.* HIEMERVS, peculiari opuſculo *de capite Meduſae*; quod uocabulum nouiter quidem a RVMPHIO introductum, nouam tamen rem neutiquam deſignat, ſed pridem a RONDELETIO obſeruatam ac delineatam, *Stellae Arboreſcentis* titulo. Cognatam uero huic ſpeciem frequenter admodum inueni in laudato lapide fiſſili, ſed perminutis ſpeciminibus, quando maxima, mihi uiſa, ab uno radiorum apice ad alterum, uix duas complent uncias: Medium ipſorum corpus ſiue centrum eſt pentagonum, modice elatum, ex quo interſtitiis aequalibus prodeunt *quinque radii*, ſtatim ab exitu *geminati*, ut primo aſpectu *decem* appareant. Singulos radios ab exortu ad extremum usque transuerſarii obſident cirri, ſed qui plerisque in exemplaribus, forſan praegreſſae putredinis cauſa, deficiunt, in aliquibus tamen ſic ſatis copioſe conſpiciuntur, ut ipſi radii uix queant diſcerni: utriusque conditionis ſchema ſiſtitur in *Tab.* III, *num.* 4. et 5. Cum uero in hanc *Stellam* apud Autores inquirerem, deprehendi *Fab.* COLVMNAM *in Phytobaſani*

appen-

appendice pag. 12. & 13. primum propoſuiſſe et figuram et deſcriptionem illius, appoſito cognomine Graeco, *δεκα-δασυνακτινοειδὴς*, q. d. *ſtellam decem combinatorum radiorum.* Non immerito igitur mihi gaudeo, quod primus declarauerim iſtam *ſtellae marinae ſpeciem*, *inter petrificata* detectam, cuius deinde exempla cum Amicis communicaui, quemadmodum Clariſſimus *Memorabilium Saxoniae ſubterraneae Scriptor*, G. F. MYLIVS, in Parte II. iſtius Operis pag. 34. ultro teſtatur, addita etiam communicati ſpeciminis imagine; Aliorum autem complurium accuratas effigies meum repraeſentabit *Phyſiotameum.*

Ad *Exanguium* porro ſeriem refero *Lumbricos marinos petrificatos*, quorum inſignem habeo uarietatem in eodem lapidi fiſſili. Differunt autem longitudine, latitudine et figura plurimum. Nudos fuiſſe apparet, nullis teſtaceis habitaculis aut tubulis incluſos, magna cum noſtris *terreſtribus lumbricis* ſimilitudine; Quidam non admodum longi ſunt, nec multum intorti; quidam valde longi, ut, ſi explicari poſſint, aliquot pedum longitudinem prae ſe ferrent; ſed plerumque ſunt mirum in modum *contorti* et *conglomerati*; nonnunquam incertis interſtitiis *coarctati* aut *geniculati* obſeruantur (uid. *Tab.* III. *Num.* 2); aliquando ueluti granulis aſperſis aſpera ſuperficie: Amplitudinem anſerinae pennae pauciores aequant; complures multo ſunt anguſtiores; lapidi concolores, paucis exceptis obſcurioribus. Aliis uero etiam lapididibus adhaerentes reperi paſſim in montibus noſtris, uariae magnitudinis; et tenuiſſimos quidem *Tab.* III. *fig.* 3. depictos. Vtrum enarrati hactenus *Lumbrici* toto genere diſcrepent ab illis, quorum domicilia *tubuli* exiſtunt uere *teſtacei*, quibus egredi forte potuerint, non auſim decernere, nec tamen improbabile penitus arbitror.

Exem-

Exempla *tubulorum* eiusmodi *uermicularium* uideſis in *Oryctogr. Nor.* Tab. VI. Num. 15. & 16. deſcriptionem uero ipſorum pag. 72. quibus multo luculentiores poſtmodum inuentos, producere poſſem: Conferatur interim Clariſſ. LANGIVS l. c. *pag.* 160. *Tab.* 50.

Nihil in *Oryctographia* commemoraui de *Cruſtatis animalibus petrificatis*, quoniam tunc parum aut nihil eorum in noſtra regione deprehenderam: aſt ab illo tempore complures obtinui differentias eius generis, quod uulgo *cancrinum* uocant. *Gammari* quidem, ſiue *Aſtaci* noſtratis et communioris, nulla niſi minima nactus ſum ſpecimina, quorum unum pedibus quaſi inſiſtens, ſiniſtra forfice diducta, alterum inuerſo ſitu ac in dorſo recumbens ſpectatur. *Squillae* autem *gibbae minoris*, quali Oceanus Germanicus et mare Balthicum abundant, diuerſas habeo magnitudines ad ſummam usque, tametſi haec uncias duas cum dimidia uix ſoleat excedere; ſingulae natiuum cruſtae colorem atque laeuorem pulchre oſtendunt, quaedem brachia etiam et pedes conſeruarunt. Habeo praeterea *ſquillis affine vel ſimile animalculum*, quod *Steph. a* SCHONEVELDE, *in Ichthyologia* pag. 73. annotauit, *uulgo ad mare Balthicum nominari Schaffvvorm, uel Scheffte ſeu Sprockvvorm, ſquillis minimis figura reſpondens, cruſtaque inſtar illarum contectum, uix transuerſum digitum longum, ſed piſcatoribus eſſe infeſtum, quod nempe retia et tenticula, quibus hami affiguntur, arrodat.* Elegantiſſimum autem prae caeteris poſſideo exemplar *ſquillae gibbae maioris*, plurimum conueniens cum imagine ab ALDROVANDO, Lib. *de Cruſtatis cap.* 13. *edit. Bonon. pag.* 152. propoſita: longitudo eius eſt ſex unciarum circiter, non computatis corniculis praelongis, a capite porrectis. Proxime ad noſtram accedit ea, quam *Muſeum Beslerianum Tab.* XXXII. exhibet, in eiusdem

generis

generis lapide repertam, nisi quod haec paulo minor sit, et forficulas prae se ferat, a pictore forsitan temere affictas, cum squillae ipsis careant. *Dimidium* saltem accepi *specimen Cancri*, exacte congruentis cum *Cancro flauo* RONDELETII; quod si haberem integrum, profecto elegantia pariter ac raritate foret nulli secundum. Vtique autem rarissima existit *species crustati generis*, quam delineatam sistit *fig.* 6. *Tabula* mea III. Nullam ipsi similem in ullo *Zoographorum*, quos omnes studiose peruolui, hactenus deprehendere potui: Brachiis atque *chelis* gaudet *longissimis*, toto nempe corpore reliquo duplo fere longioribus; apices chelarum ualde inaequales; reliqua propemodum omnia *Astaco simillima*. Aliud eiusdem exemplum habeo in situ contrario, ut supina corporis pars cum transuersis caudae plicis clare conspiciatur. Ceterum dubito, utrum ad *Astaci*, an ad *Locustae* familiam referri debeat? ueruntamen cum priori maior apparet conuenientia. Ad *Locustae* autem genus pertinere uidetur illa species, cuius duo nactus sum specimina; quorum maius quatuor unciarum longitudinem corpore superat; forcipibus angustis instructa brachia, aequalibus ferme apicibus; in dorso existit scutum quasi dentibus per ambitum profunde serratum, papillis innumeris asperum. Icones plerorumque istorum cancrini generis fossilium, sane rarissimorum, *Physiotamei* descriptioni adjungam.

Nunc autem ad *Supplementa reliquis Oryctographiae Nor. capitibus* adornanda progredior. Circa *diuisionem* uero *testaceorum fossilium*, Tabula singulari propositam et *Capiti* VII. insertam, admoneo, illam quidem cognitis tunc mihi speciebus distinguendis sufficere, in aliquibus tamen articulis immutandam, passimque extendendam esse, si recentius obseruata sub eandem redigere uellem; quod etiam de Biualuium Tabula similiter instituendum

 foret.

foret. Aſt enim uero praeſentis temporis anguſtia, et negotiorum multitudo, ut id efficerem, non permittunt; dabo tamen operam, ut acceſſiones ſingulae ad loca ſua congrua dirigantur.

Pag. 60. Fragmentum ſaltem ingentis *Nautilitae* indicaui; quod quidem aſpernandum uel ideo non eſt, quoniam interiores helices perquam clare oſtendit. Ante aliquot autem annos *integrum* eius generis accepi *Nautilitem* prope pagum *Peunding* repertum, cui ſane ſimilem nec ipſe unquam uidi, nec ab ullo autore memoratū̃ noui. Amplitudo eius in diametro pedem geometricum ad uncias duas excedit; *naturali* autem *teſta*, excurrentibus per hanc a centro lineis ſiue ſtriis euidentibus, maiori ex parte adhuc inte&tus conſpicitur, ut profe&o ſplendidius ac melius conſeruatum ſpecimen eiusmodi reliquiarum a diluuio nullam habeam. Icon ipſius, aeri iam inſculpta, comparebit in *Phyſiotameo* noſtro; quemadmodū et alius minoris *Nautili foſſilis*, cuius alterum latus ad umbilicum usque deterendum ac depoliendum curaui, ut *concamerationes* tanto perfe&ius pateant, quae et in alterius lateris ambitu, qua deſtituitur teſta, manifeſtae ſatis ſunt.

Prope accedit ad *Nautili* configurationem in *Tab. Suppl.* I. *num.* 18. propoſitum *Ammonis Cornu*, niſi quod praeter extimam helicem ampliſſimam, interiorum quoque nonnihil in umbilico appareat; quam conditionem ego unicum inter *Nautilitem* proprie di&um et *Cornua Ammonis* quaelibet, diſtin&ionis fundamentum agnoſco. Haberem non paucas, ſiue ſpecies nouas, ſiue notabiles ſaltem *uarietates Cornuum Ammonis*, ſed quia icones ipſarum in hiſce tabulis non extant, deſignationem *Phyſiotameo* reſeruatam uolo. Ceterum, quod in O. N. pag. 64. inſinuaui, quod nempe *Cornuum Ammonis* quaedam ſpecies *uaſtae magnitudinis* inueniantur, idem nunc pluribus exem-

exemplis confirmare poſſum; ſiquidem integra poſſideo ex *Monte Mauritiano* effoſſa, ſeſquipedalis, quin et amplioris diametri; unum etiam cum *matrice* ſua pariter integra. Obtinui quoque ex aliis ſpeciebus eiusdem generis *perampla ſpecimina*, illius praeſertim *Cornu Ammonis*, quod ſpina per dorſum non articulata gaudet, undoſis uero per helicum latera excurrentibus ſtriis praeditum, in *Tab.* III. O. N. *fig.* 6. delineatum et pag. 65. indicatum eſt; huius unum alterumque complet dimidium pedem ac in latere depolito cameras transuerſas pulchre oſtendit. Aſt in *Tabula* III. *ſupplementis hiſce* iungenda, *fig.* 7. cernere licet duo *Ammonis cornua* ſibi incumbentia et arctiſſime concreta, eius ſpeciei, quae O. N. *Tab.* III. *fig.* 4. depingitur.

Quo minus ad alia ſtatim pergam, detinet me tantiſper promiſſum pag. 68. factum, uidelicet fore, ut amantiſſimus Frater meus D. Io. Gvil. Baiervs b. m. *Originem Foſſilium figuratorum plerumque ab uniuerſali diluuio*, argumentis firmioribus demonſtraret, contra diſſentientes. Et ille quidem ad hunc finem iamiam inceperat anno huius ſaeculi XII. materiam iſtam, edita *Diſſertatione prima* ſic tractare, ut, propoſitis ordine quodam phaenomenis, ſecutura Diſſertatione una aut altera, contrarias hypotheſes mathematica quaſi methodo expenderet, dilueret, ac illam ſaniorem prudenti obſeruationum applicatione dilucidaret; Neque dubium erat, quin potuiſſet idem cuncta expedire ſufficienter, utpote neceſſariis adminiculis ſcientiae, ac rerum ex mea collectione exemplis inſtructus, tum et egregia δυνάμει ἑρμηνευτικῇ praeditus; at enim uero, laborum in officio ſacro quotidie ferendorum cumulus, indeque fracta ſenſim ualetudo ita impediuerunt optimum Virum, ut anno ſuperiori aerumnoſam hanc uitam cum meliori commutans, non

nisi ualde imperfectum opus relinqueret in schedis aliquibus parum digestis; quibus equidem ordinandis, et quantum potero, supplendis ut operam dem, ipsa iubet pietas, ac indelebilis fraterni amoris recordatio, quae uel plura ut ei statuerem monumenta doposcit.

Reuertor autem nunc eo, quo digressus sum, ac *fossilibus testaceis uniualuibus*, et quidem *turbinatis* longius productis, annumero *Buccinum exiguum*, sed formosissimum, saxo adhaerens, cuius elegantiam chalcographus minime assecutus est. Alteri turbinatorum ordini adscribo luculentissimum specimen *Cochleae*, quam *caelatam* ab externo habitu cognominant: Effossum illud e monte *oppido Herspruccensi* opposito, mihique ad delineandum saltem fuit concessum a ciue quodam istius loci. Habeo etiam alibi in regione nostra deprehensos exquisite *conicos, trochisq; dictis simillimos Conchitas*, in quorum uno etiam interior *cochlidii structura* pulchre apparet.

Echinitarum autem, non tam nouas species, quam descriptarum iam in O. N. *pag.* 70. et seqq. exempla notabiliora inueni, quale est illud in *Tab.* I. *num.* 21. propositum, *Echini* scilicet, non paucis adhuc integris papillis, queis aculei insederant, conspicui. *Radium* uero seu *aculeum* plane singularem atque rarum, neutiquam clauatum, satis tamen crassum, in extremitate breuibus spinis obsitum, manifesto ad basin *acetabulo*, exhibet *Tab.* II. *fig.* 1.

Ad *Caput* VIII. O. N. plura occurrunt adiicienda, *Bilauium* scilicet *fossilium testaceorum* generis specimina, tam eorum, *ualuis aequalibus*, quam *inaequalibus* praeditorum. Et prioris quidem ordinis diuersae admodum species pulcherrimae sistuntur in *Tabula* II. ubi num 2. *Conchites* quasi medius inter *Mytilum* et *Musculum*, quandoquidem altero extremo acuminatus, prope id a latere

cardi-

cardinem ſuum oſtendit. *Fig.* 3. conuenit fere cum *fig.* 14. *Tab.* IV. O. N. *pag.* 75. ſed tamen non tam *Pholadis* quam *Tellinae* uidetur eſſe ſpecies. *Num.* 4. extat *Muſculus* ualde conuexus ac tumidus, ualuis in utroque extremo rotundatis; *Num.* autem 5. et 6. ſunt *Muſculitae* exigui, et hoc fere tantum nomine diſcrepantes ab illo, qui O. N. *Tab.* 4. *fig.* 11. notatur. Quod uero in hac, ad *Supplementa* ſpectante *Tabula* num. 10. occurrit *Conchylium* oppido rarum, nec niſi hoc unico ſpecimine hactenus mihi cognitum, quo referre debeam, haereo, affine tamen iudicauerim *Mytulis*, niſi obſtarent profundiores ſtriae. Aſt *multo rariſſimum et elegantiſſimum* eſt *Conchilium*, quod *Num.* 11. ab utroque latere contueri licet. In medio ſecundum longitudinem clare apparent commiſſurae et γιγγλυμοὶ, quos ambae ualuae mutuo crenarum concurſu et amplexu formant, ſicut in *pectinibus* atque *pectunculis* plerumque obſeruatur. Ea autem eſt conditio ualuarum eius, ut exiguam et ualde compreſſam habeant latitudinem, tanto maiorem uero profunditatem, a margine ad dorſum, quod leuiter conuexum utrinque exiſtit. Ipſae teſtae, quemadmodum crenis, ita etiam transuerſim incuruatis ſtriis alterne ſibi reſpondent. Vix duo integra huius *conchylii* exemplaria nactus hucusque ſum, et alterum quidem delineato in *Tabula* paulo maius, de cetero autem per omnia ſimile; Habeo etiam alterutram ualuarum ſolitariam, et a ſocia caſu ſeparatam, quin et in alio lapide expreſſam alius *formam ſiue matricem*. Haec mea exemplaria poſteaquam contuli cum iſtius *figurati foſſilis*, ab Excell. D. *Io. Frid.* HENCKELIO, *in Flora ſaturnizante*, *pag.* 561. et ſeqq. deſcripti, tum etiam ab ipſomet mihi transmiſſo ſpecimine, in ſaxo arenario, haud obſcura conuenientiae momenta collegi, quamuis in amplitudine diſcrimen ſit, ac figurae l. c. aere

expressae multum abludant, fortasse non minori pictoris aut calcographi errore, quam rerum ipsarum dissimilitudine. Quare, quod laudatus Vir in suis ad me literis perscripsit, beatum ROSINVM istud figuratum, pro *insecto marino* uenditatum, maluisse *testaceis* inseri, nunc apud me saltem omni caret dubio. Ad quem uero ordinem illud nostrum pertineat, non adeo difficile erit decernere, si consideretur insignis analogia eius cum *conchis cordiformibus*, alias *Cartissis* nuncupatis; qualium differentias in mea *Tabula* III. num. 7. 8. 9. proposui.

Sed ut reliquas in eadem *Tabula* exhibitas *Biualuium aequalium species* explicem, notare decet, quod *Num.* 12. et 13. ratione striarum transuersalium atque rugarum, prope accedant ad O. N. *pag.* 76. et *Tab.* IV. num. 33. uitiose quidem pro 23. indicatum *Conchitem*, nisi quod ille nouus, *fig.* 12. designatus, paulo magis sit conuexus; uidentur tamen omnes *Musculitis* quam *Pectinitis* esse propinquiores; quo etiam referri debet *Musculus fasciatus ualuis aequalibus* a DN. SCHEVCHZERO notatus in *Epistola* praemissa, sub *Num.* V. in *Tab.* uero adiecta uitiose per chalcographum *Num.* VI. signatus, quemadmodum eiusdem errore *Pectinites rarioribus striis*, una cum *Musculo plano, oblongo, angusto*, ibidem fig. V. indicatus est, cum poni debuisset *Num.* IV; quas aberrationes leuiculas attentus Lector facile agnoscet atque corriget.

Sequuntur nunc Additamenta ad *alterum genus Testaceorum Biualuium*, nempe *inaequalium;* ubi prae multis aliis occurrit specimen integrum ac prorsus incomparabile *Pectinis utrinque auriti et conuexi*, altero tamen latere notabiliter planioris: latitudinem habet quatuor fere unciarum, longitudinem uix minorem: Hoc insigne totius meae collectionis ornamentum, ex quadam cella Herspruccensi effossum, haud modico acquisitum pretio inter

inter rariora *Physiotamei* delineatum comparebit. Interim minoris cuiusdam *Pectinis* imaginem sistit *Tab.* II. *fig.* 18. reliquæ omnes in eadem *Tabula* propositae, sunt *species Conchae Anomiae*, transuersim saltem striatae seu *rugosae*, *rostrato uertice*, ad *pag.* 71. O. N. referendae: Et *Num.* 14. quidem singularis est latitudinis; Num. 17. rotundae propemodum figurae, margine confracta; *Num.* 16. ab utroque latere *Trigonellam* sistit.

In *Tabula* sequenti *tertia* occurrunt diuersa *Conchitarum biualuium* et inaequalium striatorum exempla, et *Num.* 8. quidem est elegantissimum Ostreum pusillum, perquam simile isti, quod in SCHEVCHZ. *Oryctogr. Heluet.* fig. 130. extat, nisi quod meum non aeque sit spinosum: *Num.* 9. est nucleus praegrandis *Terebratulae*, cui similem apud alios Lithographos me uidisse non memini. *Num.* 10. repraesentat *Pectunculum raris et elegantissimis striis* donatum, certe pulchriorem, quam chalcographus expressit; uidetur autem cognatus *Pectunculo minimo* Clar. D. LANGII l. c. *Tab.* 45. Ast *Num.* 11. eiusdem *Pectunculi* testa orbati sistit iconem. *Num.* 12. a priori potissimum gracilitate differt; *Num.* 13. perpulchre *imbricata* est *Terebratula*; *Num.* 15. autem *densissime striatam* ac ueluti *spinis obtusioribus obsitam* exhibet *Terebratulam*.

Insuper haec plura alia possem commemorare noua specimina *Oryctographiae* inserenda, *Biualuium fossilium* utriusque generis, e. g. ex regularibus *Chamas*, *Tellinas*, et *Musculos striatos* perelegantes in marmore tabulato Eichstadiensi; ex altero autem ordine *Ostreas*, ut magnitudine sic forma uaria conspicuas, *imbricatas* etiam, seorsim unam, quae *Lapidi Lyncis* praegrandi se firmiter agglutinauit. Verum enim uero, quia effigies ipsorum, certas ob causas, hisce supplementis adiungere non licuit, omitto

nunc

nunc recensionem prolixiorem; quae tamen, una cum Iconibus iamiam sculptis, indubitate exhibebitur in *Catalogo Physiotamei* toties promisso, ac propediem elaborando.

Ad *Caput* IX. *Oryctogr. Nor.* de *Fossilibus salinis et sulphureis*, referenda quaedam succurrunt, nempe de *Lithanthrace* ac *Pyrite*, quibus in proxima uicinia nostra eruendis, ante perpaucos annos operam denuo fuisse datam nouimus, nec tamen optato satis successu. Singularia per conatus istos detecta phænomena hic exponerem, nisi factum iam id scirem ab Excell. Collega DN. D. SCHVLZIO nostro, cuius Obseruationes ex *Collect. Vratislau. num.* XXX. Clariss. D. BRVCKMANNVS, *Magnal. Dei in Loc. subterr.* Part. I. pag 92. recensuit, quae cum nostris in *Oryctogr.* l. c. propositis conferri merentur.

Tentata quoque fuit eodem tempore, *Cespitum bituminosorum* (quos uulgo *Turffum* nuncupant) inuestigatio, multumque istius materiae deprehensum in locis paludosis *Altorfio* propinquis, ad uiam, quae ducit uersus pagum *Rieden*. Bonitas illius *Turffi* certe tanta est, ut Belgico, aut cuiuis alii ad ignem commode alendum idoneo, parum aut nihil concedat. Fortasse autem diutius latebit hic thesaurus subterraneus, quamdiu syluae nostrae sufficientem lignorum copiam elargiuntur; neque enim *Prouidentissimus* REIP. NORIMBERG. SENATVS ac *Per-Illustres* DOMINI PROVINCIALES in effossionem eius liberam consentire adhuc opportunum censuerunt.


De *Metallicis*, quae post diuulgatam *Oryctographiam*, in regionibus nostris inuenta fuerint, nil habeo, quod *Capiti ultimo* adiicerem: Quamuis enim passim, ac praecipue in *Palatinatu Solisbacensi*, quaedam uestigia eorum sese obtulerunt, uix tamen aliud reapse comparuit, praeter *pyritosas mineras*, partim *Vitrioli*, partim *Aluminis* naturam prodentes. Et ex huius quidem abundanti vena, prope arcem pagumque *Wildenreut*, non sine lucro posset excoqui Alumen, dummodo adessent, qui sumptus, non adeo magnos, in hoc opus necessarios facere uellent. Ego autem nunc *Supplementis Oryctographiae* meae impono

FINEM.


GEOR-


BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


Suplem. Oryctogr. Nor.
TAB. I.
TERA SIG
LATA


TAB. II. Supplem. Oryctogr. Nor.
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18




TAB. III. Supplem. Oryctogr. Nor.
Figuræ ad Epist. Celeberr. D. Scheuchzeri pertinentes.
I
II
III
IIII
V
VI
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14



GEORGII FRIDERICI FRANCI DE FRANKENAV

MED. D. ET PROF.
S. REG. MAIEST. IN SVPREMO IVSTITIAE TRIBVNALI
ET COLL. CONSISTOR. ASSESSORIS
ACADEMICI CVRIOSI

DE

INCENDIO FATALI NVPERO VRBIS HAFNIENSIS ET INSIGNI BIBLIOTHECAE TAM PROPRIAE QVAM PRIVATAE IACTVRA

LVGVBRIS EPISTOLA

SCRIPTA

AD

VIRVM PERILLVSTREM ATQVE MAGNIFICVM


D. D. LVCAM SCHROECKIVM

ARCHIATRVM ET COM. PALAT. CAESAR.
S. R. I. NOBILEM
ATQVE ACADEMIAE IMPERIALIS NAT.
CVRIOSOR. PRAESIDEM
REIPVBL. AVGVSTANAE PHYSICVM
PRIMARIVM ETC.

GEORGII FRIDERICI FRANC
DE FRANKENAV
MED. D. ET PROF.
S. REG. MAIEST. ...
ET COLL. ... ASSESSORIS
ACADEMICI CVRIOSI

INGENI...
PERO APPIS HA...
ET INSIGNI...
CA...
PRIVATAE IACT...
LIGN...

AD
VIRVM ...
D. D. LVCA...
ARCHIATR...
S. R. I. NOB...
ATQVE ACADEMIAE ...
CVRIOSORVM ...
REIPVBL. ...
PRIMARIVM



PRAESES PERILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE, SENEX VENERANDE,



Memoratu imprimis dignum est, quod *Arnobius Lib. 9. adversus gentes* quærit, cur ædes frequentissime sacras, atque urbium potiores, (quibus jure merito adjungimus Bibliothecarum), ad cinerem flammarum voracitate patitur collabi iratum Numen, ut nulli amplius mortalium usui inservire possint, adeoque jactura oriatur, quæ potissimum tangit publicum, & pro qua nemo mortalium pacisci queat, irreparabilis.

Ea profecto calamitas nos nec sola mansit, nec dici potest commune naufragium, ut est in proverbio, dulce, sed acerbissimum potius luctuosissimumque, quod tot Templis, tot Collegiis, Bibliothecis publicis instructissimis, tot Viris eruditis in hac Academia, mihique ex parte accidit præteriti anni vigesimo primo Octobris, die Musis nostris admodum exitiali, fatali, atroque eapropter carbone notando, imo ex fastis expungendo, dum scilicet intra nycthemeri spatium melior ac cultior urbis pars, Vulcani invidia, ventorumque sævitia, in ci-

 neres,

neres, in triſtia rudera, immo in nihilum redacta fuit. Phaëtontis iam imminere ſeculum putaram, de quo Myſtarum quidam prodidere, mundum hunc ad extremum omnem igneſcere, vel igne conſumendum; quod præter pagana, ſacra etiam luculenter nobis perſuadent monumenta: in illis quidem *Naſo Lib. I. Metamorph.*

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Etenim (patere, VIR ILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE, ut horridæ, tetricæ ac terribilis illius noctis faciem, qualem proh dolor! expertus ipſe fui, levi penicillo depingam) adeo copioſe imber igneus per aëra diſpergebatur, ut nemo ab ejus caſu plateas tutus obambulare poſſet ſine veſtium detrimento. Fateor, dolendi præ ceteris mihi tum temporis plures fuiſſe cauſſas, omni humana ope fidorumque hominum conſortio penitus deſtituto, quibus bona mea concredi poſſent, dum nec currus nec equi iisdem ulterius prouehendis, vel ab amicis precibus obtineri, vel ordinariis aurigis ære liberalius licet profuſo promiſſoque conduci poterant; verum communi fato mœrorem juſtiſſimum, aſſiſtente ſola Supremi Numinis gratia, temperavi, optimum exiſtimans ea patienter ferre, quæ corrigere nefas, DEVMque propitium, quo Autore cuncta proveniunt, ſine murmure quidem, ſed non ſine lacrymis, comitari; Quare advolantibus quantocyus flammis, quinque liberorum, ſororis, propriæque ut ſaluti conſulerem, easque evaderem ſalvus ac incolumis, habitationi, quæ commoda oppido & nullis Collegarum contigua, neceſſaria etiam ac ſpecioſa ſupellectile ſatis ſuperque inſtructa mihi erat, præter Bibliothecam Medicam ſelectiſſimam, qualem ſub Arcto meliorem vix invenires

nires (absit jactantia verbo), Manuscriptorum optimorum farraginem, Museum rariorum, Instrumenta varia Anatomica, Chirurgica, Mathematica, curiosaque Anatomica, multum temporis ac laboris olim quæ absumserant, his quidem bonisque quæ in terris possidebam omnibus, terga vertere, adeoque æternum valedicere cogebar.

Vt autem, PRAESES PERILLVSTRIS SVMMEQVE VENERANDE, Cui quondam cum B. Parente sinceræ & non fucatæ intercessit amicitiæ vinculum atque nexus indissolubilis, aliqua constet ratio Bibliothecæ ipsius a me multis sumtibus adauctæ, paucos quosdam nominare saltim licebit, quorum tituli etiamnum memoriæ, nimis alias ærumnis debilitatæ, inhærent, ut ex hoc specimine de reliquis facilius judicare possis: Potueram quidem, cum a sæviente Vulcano ædibus meis expellerer, geminum quem habebam Catalogum librorum, non adeo difficili labore mecum auferre, sed tristis librorum recordatio, quos relinquere flammis cogebar, me a proposito absterruit. Inter præcipuos merito numerabam *magni Hippocratis* nostri & *Claudii Galeni* Pergameni, Archiatrῶν universa quæ extant *Opera in fol.* 13. *Tomis* comprehensa, & *Lutetiæ Parisiorum A.* 1639. *a Renato Charterio* edita, cum *Matthæi Pini indice* gemino *in omnia Hippocratis Opera*, *Venet. in fol.* libro rarissimo. Dein ejusdem *Galeni Opera* seorsim *Basileæ in fol.* edita *Græce* 5. *Tom.* ut & *eadem Opera Latina* nitidissime *Venetiis apud Iuntas* innpressa 4. Voluminibus grandioribus. *Henrici Stephani Principes Artis Medicæ post Hippocratem & Galenum, Græce & Latine* 2. *Volum. in fol. Lutetiæ* impressa. *P. Æginetæ Opera, Græce*, ex Aldina Edit. Venet. *Vlyssis Aldrovandi Opera in fol.* edit. Francofurt. *Petri Gassendi Opera V. Tom. in fol.* edit. Lugdunens. *Dan. Sen-*

nerti Opera omnia in fol. 2. *Tom.* Lugduni impressa. *Hevelii Selenographiam & de Cometis, in fol. Lubienitzkii Theatrum Cometicum, in fol.* Amstelod. *Franc. Tertii de Lanis Magisterium Artis & Nat.* 3. *Tomis in fol. P. Athanasii Kircheri Mundum subterraneum, Musurgiam, de Arte Magnetica, item Artem Lucis & Vmbræ*, in fol. *P Mersenni ac Galilæi de Galilæis Opera omnia. P Schotti Opera Physica & Mathematica. Ioh. Alph. Borelli Opera Physico-Mathematica in* 4t. *Gesneri Opera in fol. Avicennæ Opera Arabice*, Romæ, in fol. impressa. *Franc. Bayle Opera omnia in* 4t. Tholosæ edita 5. Volum. *Gvern. Happelii Relat. Cur. VI. Tom. Ioh. Ionstoni Opera* 3. *Volum.* comprehensa cum fig. *Miscellanea Acad. Nat. Cur.* ab initio usque ad nostra tempora continuata, una cum Indice in 4t. *Acta Eruditor. Lipsiens.* in 4t. cum Indicibus & Supplement. suis ultra 50. Tomos. *Iournal des Sçavans Tom.* 60. in 12. *Dissertationum Physico-Medicarum* ex variis Academiis Germaniæ, Daniæ ac Belgii collectarum *Tom.* 150. *Claud. Salmasii Exercitatt. Plinianas in Caji Iulii Solini Polyhistora in fol.* 2. *Vol.* Parisiis edita. *C. Plinii, Cardani, Avicennæ, Mesuë, Vidi Vidii, Foësii, Fallopii, Cæsaris Magati, M. Aurel. Severini, Riuerii, Ballonii, P. Zacchiæ, Casp. & Thom. Bartholini, Borrichii, Horstii, Etmüllerii, Dolæi, Waldschmidii, Bohnii, Wedelii, Schelhammeri, Valentini* & plurimorum doctissimorum Virorum *Opera omnia*, una cum *Museis Wormii, Besleri, Calceolarii, Bonani* &c. rarissimis, *Blaëu Atlantem* una cum *Collectione* 300. *mapparum Geographicarum* novissimarum & accuratissimarum, ut & *iconibus* pulcherrimis *Principum, Virorum illustrium* & toto orbe celeberrimorum.

Ex Auctorum, qui *Anatomen* illustrarunt, numero saltim præcipuos recensebimus, inter quos eminebant in

in apparatu noſtro librario *Veſalius*, *Fabritius ab Aquapendente*, *Spigelius*, *Bidloo Anatome* cum fig. nitidiſſimis in fol. *Bourdon Tabb. Anatom.* majores in fol. *Bibliotheca Anatomica in fol.* 2. *Tomis* conſtans. *Marc. Malpighii Opera* omnia; *Caroli Stephani Anatome* in fol. *Raym. Vieuſſens Neurographia* in fol. & 8v. *du Verney de auditu. Frider. Ruyſchii ſcripta* varia cum *Epiſtolis ac theſauris ſuis*, *Verheyen*, *Blancardus*, & *Blaſii Anatome brutorum*, ceterique plures.

In *ſtudio Botanico* conſpiciebantur apud me *Besleri Hortus Eyſtettenſis* cum fig. accuratiſſimis in charta majori. *Ioh Bauhini Hiſtor. Plantarum* 3. Tomi. *Aug. Quir. Rivini Hiſt. Plantar. 3. Tom. in fol. Ioh. Raji Hiſtor. Plantar.* 2. *Tomi Ioh. Breynii Centuria & Prodromus plantarum exoticarum in fol. Horti Malabarici in fol. IV. Tomi. Ferrarii Heſperides* in fol. *Moriſonus*, *Fuchſius*, *Cluſius*, *Tabernæmontanus*, *Dodonæus*, *Petrus Andr. Matthiolus* figuris & plantis coloribus ſuis nitide diſtinctis. *Tournefort Elementa Botanica* 3. *Tom. P. Hermanni Flora Batava. Gottſched Flora Pruſſica. Volckamerus* &c. plures, una cum *Herbarii uiui* 3. *Volum.* & plantis chartæ agglutinatis plurimis indigenis & exoticis.

Ex *Chimicis* & *Pharmaceuticis* aderant *Theophraſti Paracelſi Opera* omnia, *Theatri Chimici Tom. VI. Valentini Muſeum Muſeorum in fol. Lemerii Pharmacia & Chimia*, cum magno numero auctorum Chimicorum Latinorum, Germanicorum & Gallicorum &c. adeo ut numerus totius Bibliothecæ Medicæ, exceptis MStis Codicibus, excreverit ultra ſex mille Volumina.

Inter *Manuſcripta* aſſeruabantur VI. Tomi majores in fol. Locorum Commun. Medicor. 3. Tomi, Phyſicorum, Conſultationum ac Reſponſorum medicinalium Tomi 2. Vitæ Medicorum a B. Parente collectæ, & in

3. To-

3. Tomos diſtinctæ. D. *Matthæi Fabri*, Medici Hailbronnenſis, *Entaphiocruſtica*, *Notæ* item *in Cælium Aurelianum*, ut & *Ariſteneti Epiſtolas amatorias* notæ propriæ, et cum *Lambecii* notis collatæ cum exemplari e Bibliotheca Cæſarea Vindobonnenſi. Neque mihi ſoli incendium iſtud fuit ferale & damnoſum, ſed & inſidias ſtruxit Fratris mei cariſſimi reliquiis Bibliothecæ ac MStis variis in Hiſpania & Gallia, non ſine magno labore collectis & cuſtodiæ meæ concreditis ante abitum 8. abhinc annis ad aulam Cæſaream, ex quibus præcipue nominari merentur *Notarum & Obſervationum in univerſam S. Scripturam veteris & novi Teſtamenti Volumina XXIV.* magno ſtudio, & continuata plurium annorum opera a B. Parente conſcripta, quibus permulta poſtea inſeruit & adjecit pari induſtria & ſacrarum literarum notitia inſtructus filius ejus, frater mihi unice dilectus, *Gerhardus Erneſtus de Frankenau*, Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi noſtro in Aula Imperatoria Viennenſi a Legationis Secretis. Præterea in ſcriniis ejus cuſtodiebantur *Orationes variæ* Panegyricæ habitæ olim in Academiis Heidelbergenſi & Wittebergenſi, ut & *Epiſtolarum Latinarum* a Parente & ad eundem exaratarum a perſonis illuſtribus, Virisque, tam intra quam extra Germaniam Daniamque celeberrimis, Tomi aliquot, cujus rei, PRAESES VENERANDE, teſtis ipſe eſſe poteris omni exceptione major, quocum quippe creberrimum, dum vivebat, literarum interceſſit commercium. Eiusdem infeſti infauſtique ignis aviditatem elidere non potuere *duo Diplomata Cæſarea*, ab Auguſtiſſimo quondam Imperatore LEOPOLDO glor. mem. Familiæ noſtræ clementiſſime conceſſa, *alterum S. R. I. Nobilitatis immediatæ*, *alterum Comitivæ S. Rom. Palatii*, tum & *Matricula Facultatis Med.* cui adſcripti fuere, quamdiu eidem præfui, 20. Med. Doctores, quibus ego

Præſes

Præſes Diſſertationum ac Brabeuta, ſupremos in Arte honores contuli; 4. item Doctorandi ad conſueta examina admiſſi, ut & ultra centum Chirurgiæ & 90. aliquot Pharmaciæ & Chimiæ Candidati in Magiſtrorum numerum relati, præter ingentem obſtetricum juratarum numerum. Talismodi fuit actorum & laborum meorum hac in Academia exantlatorum ultra 5. luſtra finis atque exitus.

Aſt quid mea pluribus jactito, meamque deploro jacturam, quæ minima fuere reſpectu Academiæ & honoratiſſimorum Collegarum meorum, pari fato triſtiſſimo tunc temporis expoſitorum; amiſit enim fatali hocce Vrbis incendio Academia bina templa urbis primaria, ſcil. D. Mariæ alterum, alterum SS. Trinitati ſacrum, in cujus poſterius nominati ſuperiore parte exſtabant doctorum uſibus expoſitæ 1°. *Bibliotheca Academiæ major*, Regale donarium glorioſiſſimæ quondam memoriæ Sereniſſimi Regis CHRISTIANI IV. cum turri Aſtronomica, Stellæburgo noſtro, variis inſtrumentis, tubis, machinis, planetarum, ut & ſatellitum *B. Olai Römeri*, quadrantes majores, B. *Tychonis Brahe* Globus cœleſtis major, aurichalceus, in gradus & minuta diviſus curioſiſſimus. Cæterum ingentem librorum ſelectiſſimorum copiam commendabant varia emblemata, Virorumque doctiſſimorum effigies rariſſimæ pictæ ac æri inſculptæ, ſimulac optimorum MStorum farrago. Aderant præterea in eodem conclavi ſplendidiſſimo atque ampliſſimo viſendæ *Bibliothecæ, Brochmandiana, Muleniana, Reſeniana, Dietericiana, Fuireniana triplex, ſcil. Henrici, Thomæ & Theodori Fuirenii* Mathematico-Phyſico-Medica ſelectiſſima, in qua *Gomezii Pereiræ* Hiſpani *Antoniana Margarita*, opus alias rariſſime oculis libandum, occurrebat, *Methymnæ in fol.* 1554. impreſſum. Proxime ædem Marianam ſita erat *Bibliotheca Albertina, Lemvicana & Gels-*

trupiana vetus cum *Hœpneriana*, Iuridica & Historica, in quibus codices pervetusti circa Typographiæ incunabula impressi deprehenduntur, quæ omnes cum *Borrichiana* et *Elersiana* earundemque MStis misere uno eodemque die periere.

Eandem Vulcani, Minervæ destructoris inimicissimi, violentiam ac tyrannidem expertæ sunt *Bibliothecæ privatæ*, inque his præcipue nominandæ instructissima illa summe Venerabilis Seelandiæ Episcopi Dn. *Christiani Wormii*, paucissimis privatorum hominum in orbe literato inferior credita, nec non illa Venerandi Dn. Præpositi, *Martini Reenberg*, utriusque t. t. in Synodo Roskildensi absentis. Post hasce etiam D. *Ioh. Bartholini*, & *Ioh Steenbuchii* Theol. Prof. celeberrimorum; Dn. *Andr. Frölundii*, h. t. Rect. Magnif. Dn. *Matthiæ Ancherſen*, *D. Henr. Dyrcopii* & *Matthiæ Schreiberi*, Pastorum hujus loci vigilantissimorum; Collegarum item honoratissimorum, Dn. Prof. *Arnæ Magnæi* historica selectissima cum multis MStis curiosis, ut & *M. Ioh. Grammii*, P. P. Græcæ Linguæ, cujus tamen supellectilis librariæ melior pars, magno nobis solatio, flammas adhuc evasit.

Deplorat insuper funesti hujus destructoris sævitiam *Museum Academiæ rariorum* curiosissimum, meæ curæ a 20. jam annis concreditum, & cujus sine suspiriis ac lacrymis vix recordari licet; erat enim multis abhinc annis magnisque sumtibus & labore *Wormiorum*, *Fuireniorum*, *Bartholinorum*, *Paullinorum*, *Iacobæorum* conquisitum, & affabre instructum elegantioribus ac rarioribus mineris, metallis, lapidibus, terris, conchyliis, marinis, diversis figuris catoptricis, & microscopiis, sceletis variis humanis, fœtuum, embryonum, monstrorum, variorum item animalium, utpote leonis,

equi,

equi, cervi, apri, lupi, melis, canis, ſimiæ, ſtruthionis avis, cygni, variorumque artefactorum.

Similiter aderant ſyſtemata omnium arteriarum, venarum, nervorum, venæ portæ & cavæ, ex homine extractorum, tabulis agglutinatorum, atque hoc modo ex Italia ad nos advectorum, una cum X. Tabulis Anatomicis omnium viſcerum ac muſculorum humanorum, ad vivum ab Appelle quondam Regio, *Carolo von Mandern* famigeratiſſimo, egregie depictorum, ita, ut nulla induſtria humana melius exprimere poſſet, diſcentium utilitati apprime inſervientibus, nec non ſpeculis cauſticis majoribus, machina digeſtoria Papiniana, atque Antlia Pneumatica in diametro 6. pollices poſſidente, cum hemiſphæriis æneis grandioribus, campanis, vitris, omnibusque ad hanc pertinentibus requiſitis neceſſariis, mea cura aliquot hinc annis adornata, adhuc variis ſiphonibus, rebusque artificialibus plurimis conſtabat, cunctis in uſum Philoſophiæ experimentalis ulterius provehendæ Curatorum Academiæ munificentia dicatis & accommodatis.

Pluribus communis hujus calamitatis meminiſſe piget, temporisque calamitoſi anguſtia id vetat. Adeo paucos novit ſecura quies, dum ubique naufragium Aeolus, & incendium Vulcanus, inimicus Muſarum debellator parat, etiam maxime cautos interdum opprimens, ut ſi ipſe Tibi domi caveas, foris ſcintillæ cumulative advolent, cunctaque devaſtent. Solum nunc ſupereſt, ut eidem conſolationis generi, quo uſus olim magnus noſter B. *Thomas Bartholinus*, aſſueſcam, poſtque deploratam fruſtra optimarum rerum jacturam in hæc verba erumpam: Sic me immenſo onere gravique ſarcina ſublevavit Omnipotentis provida cura, omnia nunc mecum quæ ſcio, portantem, atque juſſit, ut dato quaſi per

ignem exploratorium ſigno, de alio poſt fata hæc vivendi genere ſerio cogitem, ſpretisque mundanis, quæ hactenus vel mentem turbarunt, vel calamum delaſſarunt, ad immortales de DEO animæque ſalute curas ſuſcipiendas, me totum impoſterum componam, haud unquam immemorem *inſcriptionis* illius fatidicæ *Bartholinianæ*, *libro de incendio Bibliothecæ*, hic ſubnexæ, qua ultimum cineribus valedixit.

D. M.
QVI TRANSIS SPECTATOR
FAVILLAS ERVDITAS VIDE ET INGEMISCE
HEIC CINERES DOCTI PROFANIS MISTI
LOQVI NON CESSANT
QVANQVAM ET LITERAE DESINT AC LINGVAE
QVOS POSTERI LOQVENTVR
ETIAM COLLVCTANTES CVM PROPRIIS CINERIBVS
QVORVM FLAMMA ABSVMERE POTVIT CONTEXTVM
NEVTIQVAM IN ORBE LOCVM
NVNQVAM MEMORIAM
ABI OCYVS
NE PVLVERE MOTO OCVLI FRVSTRA OFFENDANTVR TVI
QVI SE IN HOC LIBRORVM PVLVERE
ANTE CINERES
CVM VOLVPTATE OCCVPARVNT SAEPIVS.

Ex buſto Hafnienſi
d. 14. Mart. A. C. 1729.

NB. In huius Epiſtolæ titulo lin. 12. pro PRIVATAE leg. ACADEMICAE.



WIL-

WILHELMI HULDERICI Waldschmidts
MED. DOCT. ET IN ACADEMIA HOLSAT.
PROFESSORIS PRIMARII

DE

SUPERFOETATIONE FALSO PRAETENSA

DISSERTATIO

CUI IN FINE ACCESSIT

EXTRACTUS PROTOCOLLI

IUDICII INQUISITORII IN PUNCTO SUPPOSITI PARTUS STELLIONATUS ET ACCELERATAE MORTIS INFANTIS PROPRII.



VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. CHRISTIANO IOACHIMO LOSSAV

MEDICINAE DOCTORI
ARCHIATRO DVCALI ET PRACTICO HAMBVRGENSI CELEBERRIMO

SALVTEM ET OFFICIA.

P. P.

Nosti, VIR EXPERIENTISSIME, quæ de ſuperfœtatione in vicinia noſtra, currente anno 1725. acta fuiſſe non vago rumore, ſed teſtibus & circumſtantiis omni exceptione majoribus divulgabantur. Pauperculam ante triennium abortum paſſam, ante biennium vero filiam vivacem enixam, anno ſupra dicto die 18. menſis Maji peperiſſe filiam, & tertio Octobris ejusdem anni, fauſta Lucina, filium, utrosque juſto & naturali termino editos, perfectos & vitales. Rem ut oppido raram, in programmate intimatorio Inauguralis Tuæ, de *Valore Medicinæ & Chemiæ*, hiſtorice & phyſice, ſed breviter,

ut ſcopus & charta ferre poterant, eruditis propoſueram, additis tribus ſuperfœtationis exemplis ex relatione perſonarum, fide quàm maxime dignarum, una cum cauſa ſuperfœtationis frequentiſſima, ab ipſo Hippocrate libro de ſuperfœtatione adducta. Mirabatur orbis eruditus rem inſolitam, & de veritate ejus ſolliciti medicorum celebrium plurimi, per literas certiores reddi a me cupiebant, quibus communicato programmate rem, ut acta erat, perſcribebam. Sed, ut fit in rebus humanis, licet omnis adhibeatur circumſpectio, omnesque circumſtantiæ perpendantur quam diligentiſſime, & quicquid præcautionis adhibeamus, tamen nonnunquam decipimur: fallere enim & falli non eſt alienum ab hominis ingenio. Ecquis fraudis quicquam hic ſubeſſe vel ſuſpicari poterat? Mulier paupercula, uxor ruſtici tenuiſſimæ conditionis, mater filiæ ante biennium prognatæ, cui victum vix ſuppeditare poterat, ſe denuo ſentit gravidam, accedit paſtorem loci & confeſſionarium, Virum ut eruditum, ita ſane prudentem, ipſique aperit, ſe eſſe imprægnatam, confitetur peccata ſua, & obtenta abſolutione ad ſacram cœnam admittitur, ſeque deinde publicis precibus per Verbi Divini miniſtrum ſingulis dominicis commendat. Poſtquam vero tempus partus, quod inſtituto calculo ſibi præfixerat, per plures ſeptimanas præterlapſum erat, fraudem cogitavit, nulla alia de cauſa, quam ut vexationes & irriſiones vicinorum & vicinarum evitaret; nam ignominiæ & dedecori cedere exiſtimabat mulieri nuptæ, ſi unquam ſe gravidam eſſe fruſtra ſibi fuerit imaginata. Occaſione igitur ita ferente, meretricis, itidem egenæ, infantem recens natum pro ſuo venditat, & marito, totius rei ignaro, ut filiam ab ipſo conceptam obtrudit, firmiter perſuaſa, ſe non amplius eſſe gravidam. Sed quæ alios decipiebat, illa egregie iterum decepta eſt:

ſenſit

ſenſit enim poſt aliquot ſeptimanas, ſe utero geſtare, & revera eſſe gravidam, id quod rumori de ſuperfœtatione primam dedit occaſionem cum hoc marito, agnatis, vicinis, Paſtoribus loci & Domino prædii patefaceret, fraudemque priorem callide cunctis occultaret, ita, ut poſt viginti ſeptimanarum a primo prætenſo partu ſpatio filium ediderit, ut omnes credebant, ſuperfœtatum. Atque hæc tota eſt illa hiſtoria, quam mirati ſunt omnes, quamque nemo, cui circumſtantiæ notæ erant, in dubium vocare auſus fuerit, niſi meretrix iſta, cujus prior & ſuppoſititius eſt infans, eundem repetere voluiſſet & ſibi vendicare, & hoc ipſo detectioni fraudis & inquiſitioni judiciali anſam præbuiſſet; teſtantibus actorum excerptis, in fine adjectis, unde & circumſtantiæ cunctæ, & mulieris vafrities, impoſturæ, mendacia, horumque pœna per judicis ſententiam promulgata, pluribus curioſis patebunt. Adeo verum eſt proverbium, Virorum aſtutias eſſe ſubtiles, mulierum vero infinitas.

Quid igitur ſentiendum eſt de medicorum obſervationibus? quarum fide tota nititur experientia. Magna ſcilicet opus eſt circumſpectione, magno judicio, in hiſce colligendis, aliisque obtrudendis: quemadmodum etiam ab altera parte cauti eſſe debemus in fide iis adhibenda. Neque enim aſſentiendum eſt hujusmodi hiſtoriis, quæ per rerum naturam ſunt impoſſibiles, quæque naturæ prorſus ſunt contrariæ, ut de brutorum partu a muliercculis facto, Maiol. dier. canicul. f. 1. coll. 3. p. 42. M. N. C. Dec. 2. ann. 4. p. 193. Van der Wiel cent. 1. obſ. 72. p. 310. Salmuthus cent. 1. obſ. 62. p. 39. De muliere Angla *Maria Taffts*, 17. cuniculos pariente: vid. relat. Schiffbec. a. c. No. 24. hæc enim ficta & ingeniorum Græciæ afflatu corruptorum producta videntur. Hoc nomine etiam ſuſpectæ ſunt Borelli quædam obſervationes: ipſe Tho-

MAS BARTHOLINVS, Vir summe eruditus, credulitatis nimiæ nonnullis est suspectus, adductis ex observationibus, epistolis, actisque Hafniensibus hanc in rem testimoniis. Quin & aliæ passim corrasæ sunt ejusmodi historiæ, fidei quam maxime sublestæ & suspectæ, quarum exempla cum odiosa sint, non lubet impræsentiarum adducere. Quod si humani quid hac in re passi aliquando simus, facili assensu & credulitate nimia inducti, officium boni viri est, detecta veritate, errorem agnoscere, reique prout gesta est, genuinas circumstantias publico communicare, ne in sanitatem, vitam, famam proximi peccemus, & aliis errandi autores existamus.

Quodsi vero a personis fide dignis, ea, quæ nec plane nova atque inaudita, nec per naturam impossibilia existunt, & quorum ipsi per propriam experientiam convictos sese affirmant, tradantur, ecquis quæso de talibus dubitabit? nisi fidem historicam omnem proscribere velimus; inprimis si nulla fraudis aut mendacii suppetat ratio. Atque hæ erant illæ causæ, illa momenta, quibus ego cum aliis inductus, superfœtationi huic prætensæ subscribebam. Nec plane impossibile erat hoc epicyema, superfœtatio, aut secundi foetus conceptus, gravida jam existente muliere, aut, quando intra pauciores dies, hebdomadas vel menses, post prioris fœtus alicujus conceptionem, unus, vel etiam plures adhuc fœtus ex diversis congressibus concipiuntur. Ita enim recte definitur Illustri FRANKENAVIO, Satyr. medic. 13. Quippe si autoritatem postules, quantus non inter eruditos horum observatur numerus, quorum catalogum suppeditat PAVLVS ZACCHIAS, quæst. medic. legal. l. 1. tit. 3. quæst. 3. Inter veteres agmen ducunt *Hippocrates, Aristoteles, Plinius,* & alii. Inter recentiores plurimi, de quibus infra commodior dabitur dicendi occasio. Quamvis enim alii possibilita-

tem

tem ſuperfœtationis negent, exemplo VALVERDAE, anat. l. 3. c. 14. riſu dignam hanc rem exiſtimantis: hic tamen ſuam ſententiam nullo affirmavit medio, & ratio de grano unico, ex quo plures naſcuntur, & tamen non omnes ſimul: ita fœtus multiplices ex uno ſemine poſſe concipi, & diverſis temporibus in lucem prodire, unus antea ut præcox, alius poſtea ut tardior, in maturitate & perfectione conſequendus, nihil valet, & recte ad hæc PETR. GARCIA de loc. diſp. 72. c. 4. ex Valverda hoc concludit, poſſe ex eodem ſemine diverſos fœtus, diverſis temporibus in lucem edi, non vero probari inde, ſuperfœtationem eſſe impoſſibilem. BLASIVS, veram ſuperfœtationem nec unquam ſe vidiſſe, neque poſſibilem eſſe judicat, c. 7. ad Syntagma anatomicum VESLINGII. Hæc tamen affirmantium partibus nihil plane derogant, cum fundamento ſane lubrico & male intellectis aut interpretatis HIPPOCRATIS æque ac aliorum autorum ſententiis innitantur. Chirurgum in embryulcia exercitatiſſimum, Valonienſem Gallum LA MOTTE, anno ſeculi hujus decimo octavo Pariſis diſſertationem de generatione & ſuperfœtatione, in lucem edidiſſe loquitur *diarium eruditorum* (Journal des Sçavans) anni ſupra memorati menſe Julio, p. 95. Sed ut verum fatear, ex ſola recenſione ibidem facta, ipſum enim librum videre non licuit, medium terminum hujus negationis invenire hactenus non potui. Demonſtrare annititur contra HIPPOCRATEM, ut lego p. 100. hujus diarii, orificium uteri internum non magis clauſum eſſe quam ante factam conceptionem, & quod nulla unquam contingere queat ſuperfœtatio. Certe ex hiſce, & pauciſſimis aliis, quæ refert diarium, nihil plane de argumentorum pondere, & quod hæc tanto majore attentione digna æſtimentur, quanto unice obſervationibus & experientiis innitantur, dijudicare valeo.

Ipſum quod attinet HIPPOCRATEM, aut male intellectum, aut peſſime interpretatum eum eſſe exiſtimo, quando hi, qui ſuperfœtationem negant, patrocinium ex L. de ſuperfœtatione exſpectant, & uteri ſtatim a conceptione firmiſſimam clauſuram ſibi imaginantur. Nunquam negavit bonus ille ſenex, quique nihil in Arte ignoraſſe nonnullis exiſtimatur, ſuperfœtationem, ſed *illas mulieres tantum ſuperfœtare dicit, in quibus uteri os poſt primum conceptum non ita valde clauditur.* Adeoque os uteri internum in gravidis ita ſemper claudi noluit, ut ne quidem ſtylum minutiſſimum admittere poſſit, nec forte unquam id fieri affirmavit: verbum enim συμμύειν, quo utitur, non clauſum eſſe os uteri, ſed connivere, ut nos palpebris, cum dormimus, ſignificat. Vteri os, inquit Adrianus Spigelius, corp. hum. Fabric. l. 8. c. 22. gravidis hiat, tantoque magis, quanto ſunt partui viciniores, quicquid etiam alii crepent ex Hippocrate, cum ipſi nec recte eum intelligant, neque experientiam, quæ veterum ſcriptorum, inprimis autem divini Hippocratis fidiſſimus eſt interpres, conſulant.

Ad negantium partes nonnulli etiam trahunt Divum Auguſtinum, quando contra Chaldæos & ariolos diſputat, l. de Civit. Dei c. 6. Tanta naturæ vis eſt, inquit, ut cum conceperit fœmina, deinde alterum concipere minime poſſit, unde neceſſe eſt eadem eſſe in genuinis conceptionis momenta. Hunc autem optime ab impoſtoribus vindicat Bonaventura l. 9. c. 25. oſtendens pluribus, nihil aliud hic docuiſſe Auguſtinum, quam quod *in gemellorum conceptione* non poſſit dari ſuperfœtatio. vid. Alphonſ. a Caranza, I. C. Hiſpanicus, de partu natural. & legit. c. 19. p. m. 628. Miſſis vero illis, quibus impoſſibilis viſa eſt ſuperfœtatio, antequam ad affirmantes accedam, e dubitantium numero unicum Mauricæum, celebrem embryul-

bryulciæ practicum Gallum adducere liceat. Hujus meminit Dionis de generatione & partu l. 1. c. 18. p. 160. putat conterraneum ſuum prægnantes dubitandi cauſas habuiſſe, ſiquidem conceptionem ex miſcela utriusque ſexus ſeminis fieri cum veteribus ſtatuat: ubi ſi ſemen novum in altero coitu, aperto denuo utero admitteretur, prius neceſſario elabi iterum, aut ſi id non fiat, nullam ſuppetere rationem, quæ ſemina iſta a ſui permixtione arceat, ut diſtincti exinde exoriantur fœtus. Imo hanc eſſe rationem, cur ante diem ſeptimum impoſſibilem eſſe ſuperfœtationem exiſtimet autor, poſt hunc autem eandem cum Hippocrate admittat. Quare Mauricæum affirmantibus potius quam dubitantibus annumerandum eſſe cenſeo, ſiquidem l. 1. c. 9. pag. 119. ſigna adducit, unde colligere poſſumus, num gemelli uno partu editi etiam ſimul, num ſucceſſive fuerint concepti. Confer. l. c. pag. 113. Tandem pag. 114. ita inquit: Vt autem ſuperfœtationem non plane negem, dicam ſaltem, fieri eandem quam rariſſime, ita, ut inter centum mulieres, quæ geminos pariunt, ultra octoginta reperiantur, quibus unica ſit ſecundina, tanquam ſigno infallibili, ut putat, non eſſe ſuperfœtatos, ſed unico coitu conceptos. Quamvis nec hoc etiam perpetuæ veritatis eſſe arbitror. Hoc loco præterire non poſſum ſententiam Dionis, quando l. c. p. 163. exiſtimat, generationem ex ovo ſuperfœtationi prorſus contrariam eſſe; ſiquidem gemelli oriantur, ſi duo ovula ſimul fœcundata in uterum dilabuntur. Sed nullam ego hic video conſequentiam: ex fœcundatione ſimultanea duorum ovulorum fit gemellorum conceptio, ergo ſtante hypotheſi de generatione hominis ex ovo, nulla poteſt fieri ſuperfœtatio. Non jam dicam, rariſſime generari gemellos ex duplici ovo, quoniam communiter iisdem obvolvuntur membranis, teſtante expe-

rientia, ut vero quam maxime ſit ſimile, unico ovulo nonnunquam inexiſtere duplicis fœtus rudimenta, id quod in oviparis haud raro contingit. Alias explicatu difficillimus foret ortus monſtrorum bicorporeorum, una vel altera ſui parte ſibimet cohærentium aut duplici capite, quatuor cruribus aut brachiis præditorum. Igitur ita potius ſentiendum eſt: ſi uno congreſſu ovulum fœcundum redditur, ſimplex fit conceptio, aut gemellorum, cæteris tamen paribus; ſi duorum vel plurium fœtuum rudimenta præexſtiterint in tali ovulo: id quod etiam, ſed multo infrequentius contingit, ſi unum, duo, tria ovula unico coitu impprægnantur. E contrario fit ſuperfœtatio, ſi a prima ovuli cujusdam fœcundatione & conceptione, a nova cohabitatione poſt temporis aliquod intervallum inſtituta, novum imprægnatur ovulum, novaque fit ſuper priorem conceptionem conceptio.

Quod ſi ex vermiculis ſeu animalculis virili ſemini inexiſtentibus, cum Levvenhœckio, Hartſœckero & aliis conceptionem fieri quis ſtatuat, nec hæc hypotheſis ſuperfœtationi ullo modo obſtare poteſt: ſi enim ex tot animalculorum myriadibus, coitu unico in uterum admiſſis vel unicum locum in utero offenderit, cui firmiter adhærere poſſit, aut ſecundum alios ovulum ingrediatur, facta eſt conceptio ſimplex; ſi pluribus ejusmodi animalculis forte fortuna idem obtigerit beneficium gemelli, trigemini aut plures concipiuntur: ſin vero prævia conceptione denuo concelebretur coitus, quid vetat, quo minus de novo tale animalculum ovulum, in quod ſe abſcondat reperire, aut uteri parieti adhærere poſſit? Verum non placet mihi verminoſa iſta philoſophia, quamvis illa ipſa animalcula in ſemine diverſorum animalium non ſolum, ſed etiam in aceto, imo in ipſa aqua ſimplici cernere mihi licuerit: propter diverſas & ſumme prægnantes

gnantes rationes, quas tamen inpræsentiarum adducere non licet.

Accedendum potius est ad illos superfœtationis testes, qui a partibus affirmantium stant, quasque beatiores censet laudatus illustris Dn. A FRANKENAV, Satyr. med. 13. pag. 222. quippe qui se tuentur 1. autoritate; 2. exemplis & historiis; 3. ratione. Et quantum ad autoritatem attinet, ponderis sane maximi est hæc, quæ ex ipso Iuris corpore desumitur, quando PAVLVS ICtus in l. antiqui. 3. D. *si pars hæreditatis petatur*, a LAELIO refert, in Palatio Imperatoris HADRIANI visam Aegyptiam, ab Alexandria perductam *cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post quadragesimum diem.* vid. Caranzam l. c. pag. 627. ubi ad superfœtationem referenda censet illa Vlpiani in l. *cum quidam* 308. *suum hæredem*, D. *de acquirenda hæreditate: & cum unum gerit, nec per naturam humanæ conditionis alium partum formare potest, quod quidem post certum tempus conceptionis eveniet.* Citantur simul medici plurimi superfœtationis existentiam pluribus rationibus probantes, & ex ICtis post ACCVRSIVM in dicta l. *antiqui*, idem astruunt cæteri fere ordinarii in eadem lege, & in d. l. *cum quidam*, 8. *suum hæredem*.

Medicos inter plerosque ab affirmantium partibus stare evincit prolixus eorundem catalogus a ZACCHIA, quæst. medic. legal. l. 1. tit. 3. quæst. 3. & a Dn. de FRANKENAV l. c. p. 223. adductus. Hoc loco nominare saltem liceat BORRICHIVM, Act. Hafn. Vol. 5. ubi tria adducit exempla: Ephemer. Nat. Cur. 2. 7. obs. 31. 165. BONET. Sepulchret. l. 3. 37. obs. 6. HARDERVM Ephem. l. 2. obs. 185. FOREST. Schol. ad l. 28. obs. 45. HORSTIVM de causis similitudinis. LAVRENTIVM Anat. l. 8. qu. 22. PLATERVM prax. tom. 3. l. 2. c. 1. p. 473. FOESIVM ad Hippocr. de superfœtatione

tatione, f. 114. Et præter HIPPOCRATEM ARISTOTELES 7. de histor. animal. c. 4. & PLINIVS 7. natur. histor. c. 2. admittunt superfœtationem. Neque difficile foret plures adducere tum medicos tum philosophos, quorum autoritate possibilitas superfœtationis stabilita est, nisi in re adeo manifesta, & ubi tot adsunt testimonia, id plane superfluum & supervacaneum esset. Historiæ & exempla factæ superfœtationis omni exceptione majora hinc inde apud medicos occurrunt, quorum pauca, sed notatu quam maxime digna, adducere, operæ erit pretium. Nolo vero exempla in programmate supra citato prolata, denuo hic repetere, id saltem monendum esse duco, quod superfœtationis vocabulo non tam molam, una cum fœtu conjunctam, ut Hippocrati l. de superfœtatione, & l. 5. Epidem. de Gorgiæ uxore in Larissa visum fuit: sed conceptum secundum foetus, grauida jam existente muliere me intellectum velle; nam de priore nullus nobis hic est sermo. Posterioris & proprie dictæ superfœtationis exemplum maxime singulare legitur apud Herculem Saxon. practic. medic. l. 4. c. 27. de Nobilis cujusdam uxore, quæ filium peperit nono mense, vivum & perfectum, octavo die a primo partu alium itidem, & non omnino absolutum, post 15 dies iterum alios duos. Et cum reconvaluisset, anno sequenti, cum iterum utero gereret, habuit eosdem omnino partus, & singuli eorum in propria tunica erant involuti. Cum tertio concepisset, & filium edidisset primo, & adhuc esset uterus filiis plenus, amplius parere non potuit, & obiit. Bartholinus hist. medic. p. 398. uxoris cujusdam honestæ meminit, quæ enixa est filium 31. Iulii anno 1637. perfectum, anno 1638. 9. Febr. iterum enixa est eadem mulier filiam, sequente anno adhuc superstitem perfectam. Et idem Bartholinus epist. medic. cent. 4. epist. 56. alterius cujusdam mentionem injicit,

jicit, quæ anno 1662. post Michaelis festum abortum exclusit, remanente tumore quodam, pro hypochondriaco affectu habito: aucto autem quotidie in majorem molem ventre, Aprili anni subsequentis sanum alium, vivumque fœtum natum vidit. LOSSIVS obs. medic. l. 4. obs. 14. p. 355. de uxore juvene refert, eam stato naturæ termino peperisse filiolum recte formatum, integrum, & bene sanum: nono vero a partu die iterum enixam fuisse seu perdidisse fœtum adhuc immaturum, quem nondum trium mensium maturitatem complevisse conjecturabat.

Chirurgus Gallus & in arte obstetricandi versatissimus PAVLLVS PORTAL, dans la pratique des acouchemens, partum, cui præfuit, recenset, quo pariens enixa est partum vivum justo termino, ac duos alios, quorum alter extractus est, ut loquitur, instar halecis, juxta caudam apprehensæ, longitudine pedem regium circiter æquans: tertius adhuc minor priore, crassitie halecem passam seu fumo induratam, longitudine vix sex aut septem pollices æquavit. Et ROVSSETVS itidem Gallus, sect. 6. c. 7. tr. de partu cæsareo, nobilis cujusdam fœminæ mentionem facit, novem liberorum matris, ex priore matrimonio: hæc, postquam ad secunda vota concessit, & circiter quintum mensem abortum passa est, cui medicus, ad expurganda, ut putabat, lochia, post octavam ab abortu, forte medicamentum dedit, quod abortum secundum aliorum duorum filiorum produxit, qui adeo integri & vivaces fuerunt, ut ipsemet medicus, quem consilii sui pœnitebat, testaretur, nisi medicamentum purgans vim ipsis intulisset, quod absque dubio ad rectam pervenissent maturitatem. Infantium hoc modo nascentium postremum Romanos, ut monet PLINIVS, *Vopiscum* cognominem fecisse, quasi υἱὸν ὄπισθε κυόμενον, infantem post natum, existimat autor. Mihi vero non tam ultimo e superfœtatis, sed isti gemellorum,

qui ſolus in utero reſtitat, & adeo ultimo prodit, Vopiſci nomen ex mente Plinii 7. 10. competere videtur. confer. etiam SALMASIVS in *Solinum*, p. 32.

Quin & attentionem meretur ſequens obſervatio, & rariſſimum ſuperfœtationis exemplum, quod STALPARTVS VAN DER WIEL, Cent. I. obſ. 74. ex D. S. *Vireſii* theatro magno dulcium atque utilium hiſtoriarum c. 61. p. 433. affert; Vtar autem partim *Stalparti*, partim *Schenckii* verbis, obſerv. l. 4. p. 562. hic enim eandem refert hiſtoriam, quamvis ſub circumſtantiis paulo aliis. Anno 1584. Viro nobili *Philippo Ludovico ab Hirshorn* (cujus ſedes fuit oppidulum in Palatinatu, tribus ab Heidelberga milliaribus, quod ejusdem Viri nobilis nomen ſibi vendicat) rebus humanis exempto, agnati & feudorum ſucceſſores viduæ, relictæ gravidæ, immaturam mariti mortem lugenti, in domo ſua claves ad cryptas & cellas e lumbis, non ſine vi & violentia detraxerunt. Quæ res adeo miſeram & triſtem viduam affecit, ut conjectis in verticem ſuum manibus, vociferari & ejulare magis cœperit; paucis interjectis diebus peperit egregium puerum, ſed mortuum, & calvaria carentem. Atque adeo inſolentiores facti proximi, tanquam de jure feuda inter ſe partiti ſunt, atque iis etiam viduam intervertere cœpere, quæ ad ipſam teſtamenti vi pertinebant. Cum vero huic venter poſt partum illum etiamnum tumeret valde, ut balnea Badenſia (*bey Eiſall am Rhein*) peteret, conſuluere medici. Illa itaque Badenam profecta, degentibus id temporis ibi forte Moguntino ac Saxone Electoribus, ſecundo poſt adventum die parturientis dolores ſibi ſupervenire ſenſit, advocataque obſtetrice pulchrum, valentemque optime, edidit filium, qui octavo poſt genitoris obitum menſe, undecimaque poſt ultimum partum prodiit hebdomada. Mira ſatis rei fama illico ad Electorum pervenit aures, voluitque

Mogun-

Moguntinus infanti, cum S. baptiſmatis lavaretur fonte, adeſſe compater: Saxo eidem mille imperiales (quos vocant) donavit, deditque Heidelbergam ad Palatinum literas, ut ipſe avidos illos, reique non ſuæ inhiantes nimium, poſſeſſione feudorum dimoveat, viduæque illa, utpote Ferdinandi recens nati Vaſalli matri, reſtituat. Quod continuo quidem factum fuit, nec ſua tantum damna, noxia cupiditate orta, doluere agnati, ſed, quod longe durius malum, cachinni dolores auxere.

Omnem autem fidem ſuperare videtur hiſtoria illa multiplicis partus cum numeroſa ſuperfœtatione, a VELSCHIO obſerv. med. epiſagm. 75. p. 47. adducta, mulieris ab ætatis ſuæ anno 18. ad 36. hoc eſt, 18. annorum ſpatio, parientis 29. & a 36 ad 44. hoc eſt, octennii ſpatio, enixæ 24. e quibus mares erant 38. omnes ſacratis lymphis tincti, & 15. fœmellæ, quarum novem his caruere, morte præventæ. Vterque conjugum una cum liberis omnibus ad vivum depictus cernitur in templo Monachorum ordinis S. Franciſci in oppido Binninga, (Binningheimio) duobus milliaribus Heilbronna diſtante. Liceat vero ea quoque brevibus de eadem hac hiſtoria ſubjungere, quæ EISENMENGERVS epiſt. ad HORSTIVM de fœtu Muſſipontano recenſet. Scilicet civem huncce cum uxore 53. liberos progenuiſſe, vicibus 28. ſingulos, quinque vicibus binos, quatuor ternos; eandemque mulierem aliquando menſe ſexto, cum ſex peperiſſet, nono poſtea die unicum, & rurſus undecim ſeptimanis poſt adhuc unum, partu edidiſſe: ſextum rurſum poſt decem hebdomadas; tandemque ſimul ſeptem in utero habuiſſe, quorum tres ſeptimana vigeſima, abſoluto puerperio adhuc duos, & rurſus poſt 24. dies ultimum, cujus magnitudo ultra ulnam cum tribus transverſis digitis ſe extendit, edidiſſe.

Apparet ex hisce, quæ numero satis magno adductæ sunt observationibus, superfœtationem non solum non esse impossibilem, sed haud ita raro etiam observari: nemo igitur negabit, dari circa partus negotium quandoque miracula, & ipsius hominis conceptionem, generationem, partum res esse plenas miraculi, nec omnino ista aut fortuita esse, aut vi quadam & industria solius cujusdam naturæ formatricis & plasticæ dirigi. Quare nemo omnia vocabit in dubium, quamvis non diffitear, multa sæpe sub veritatis specie tradita esse, quæ assensum vix ac ne vix quidem merentur, licet historicorum testimoniis æque ac publicis sint confirmata. Huc forte pertinet memorabilis Hollandiæ Comitissæ historia, ex marmore descripta Losdunæ haud procul a Lugduno in Batavis in æde sacra legenda. Et quidem in fronte Epitaphii literis majusculis:

EN TIBI MONSTROSVM NIMIS ET MEMORABILE FACTVM:
QVALE NEC A MVNDI CONDITIONE DATVM.

Margareta, Hermanni, Comitis Henneberga uxor, Quarti Florentii, Comitis Hollandiæ & Selandiæ filia, Guilielmi Regis Romanorum, ac postea Cæsaris seu Gubernatoris Imperii, atque Aletheia Comitis Hannoniæ soror; cujus patruus Episcopus Trajectensis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ. &c. Hæc autem illustrissima Comitissa annos XL. circiter nata, ipso die Parasceves, nonam circiter horam, anno millesimo ducentesimo LXXVI. trecentos & LXV. enixa est liberos, qui prius a Guidone, suffraganeo Trajectensi, omnes in duabus ex ære pelvibus baptizati sunt, quorum masculi quotquot erant, Ioannes, puellæ autem omnes Elisabethæ vocatæ sunt: quin simul omnes cum matre uno eodemque die fato concesserunt, atque in Lausdunensi templo sepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fæminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis gestabat pueros, quam rem admirata Comitissa dicebat, id per unum virum fieri non posse, ipsamque contumeliose rejecit.

fecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata ac perculsa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu apprecabatur, quot vel totius anni numerentur dies. Quod quidem præter naturæ cursum obstupenda quadam ratione ita est factum, sicut in hac tabula in perpetuam hujus rei memoriam, ex vetustis, tam manuscriptis, quam typis excusis chronicis, breviter positum & enarratum est. Deus ille Ter Maximus hac de re suspiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in sempiterna sæcula! Amen.

HAEC LEGE, MOX ANIMO LECTOR STVPEFACTVS ABIBIS.

Atque hæc est illa memorabilis & miraculosa Hollandiæ Comitissæ historia, inquit SCHENCKIVS observ. l. 4. p. 584. ex archetypo marmoreo Lausdunensi velut ex vivi radice ad plenum descripta. Lector candidus cum hac ipsa pugnantes auctorum, qui chronica scripsere, sententias circa annum, numerum prolium, nomen matris & Episcopi, conciliabit. Redeundum autem est, unde digressus sum, & pauca adhuc superfœtationis exempla erunt adducenda. LENTILIVS miscell. part. 3. p. 301. ex *Welschii*, Physici Nordlingensis, communicatione, superfœtationis suspicionem adducit fœminæ 35. annorum. Hæc filiam peperit vivam & alacrem, remanente in utero secundina, cessantibus etiam partus doloribus; biduo vero elapso prosiliebat vesica aqua plena, & puella alia, debilis quidem, post vero vivida nascebatur, & secundinæ binæ separatæ sequebantur. HOFFMANNVS Halensis Academiæ & literaturæ insigne ornamentum, medic. consultat. p. 3. cas. 9. admittit superfœtationem. Quamvis, inquit, assertum Hippocratis de clausura uteri post factam conceptionem non sit omni exceptione majus, postquam a facta imprægnatione nonnunquam superfœtationes fiunt. Et in relationibus eruditis *(denen gelehrten Zeitungen)* anno 1723. No. 95. mens. Novembr. p. 933. Coburgo perscribitur, Doctorem ALBRECHTVM referre, in pago Ahorn Catharinam Wolf-

ſiam, Erneſti Motſchmanni conjugem, uno partu continuo edidiſſe in lucem quatuor filios, quorum tres, primus ſcilicet, tertius & quartus, ſecundum ordinem nativitatis, longitudine pedis unius cum dimidio, vivi prodierint, quamvis poſt S. lavacrum ſtatim obierint. Secundum in ordine fuiſſe embryonem, pedem dimidium vix æquantem. KERKRINGIVS obſ. 2. fol. 4. ſceleta oſtendebat geminorum, uno partu editorum, quorum alter erat 8. menſium, alter e toto corporis habitu apparebat, quartum menſem non attigiſſe. Denique CARDANVS comment. ad aphor. 36. l. 5. Hipp. Superfœtatio, inquit, res eſt rara, viſa tamen Mediolani noſtris temporibus. BIERLINGIVS theſaur. theoret. practic. obſ. 69. fœminam ter gravidam, ſemper ſuperfœtationem in utero geſtaſſe, eamque viginti ſeptimanis poſt partum priorem edidiſſe commemorat. Rarioribus autem id accenſendum monet p. 900. Nec in brutis deſunt ſuperfœtationis exempla evidentisſima. RIEDLINVS lin. med. 25. menſ. Iulii anno 1694. equam adducit, quæ binos diverſos uno partu edidit fœtus, cum bis antea marem admiſiſſet. Simile quid de equa ſuperfœtante legitur in Act. Erud. Lipſ. Anno 5. p. 475. De gallinis res eſt notiſſima, Ephem. N. C. decad. 2. anno 8. p. 259. Gallina una cum ovo ordinario, viginti quatuor alia ova, perdicis ova magnitudine æquantia, perfecta, atque putamine obducta, ſimul excluſit. Et notatu maxime digna eſt hoc loco obſervatio, cui occaſionem præbuit anno 1724. die 13. Decembr. Conſiliarius Ducalis, Vir mihi amiciſſimus, commonſtrando ſyſtema quoddam ovorum aut vitellorum potius, quaſi coctione induratorum, ſibimet invicem cohærentium, & ex compreſſione coarctatorum, ita tamen, ut ſingula divelli haud ægre ſe paterentur. Totum corpus ex gallina recens mactata extractum, duos pugnos magnitudine æquabat, & ovula diverſiſſimæ

erant

erant magnitudinis, evidentiſſimo ſuperfœtationis teſtimonio. Lepores ſæpiſſime ſuperfœtant, ſunt enim animalia ſalaciſſima, & quanquam ſemel conceperint, coitum tamen celebrant, unde contingit, ut ſemen in uterum injectum a vaſis capillaribus abſorbeatur & ad ovaria deponatur, ut habet LEIGHIVS hiſtor. natural. Lancaſtriæ, Ceſtriæ & Iugerum Darbiæ, l. 2. c. 1. Vidi leporem fœminam fœtus in utero gerentem, in ovariis reſtitantibus cicatriculis, ab ovulorum fœcundatione relictis, & ovulis aliis imprægnatis, orobi aut piſi majoris & minorum magnitudine. Nec mirum eſſe arbitror, animal hocce ut ſalaciſſimum, ita fœcundiſſimum eſſe, cum teſte Ioh. FABRO Lynceo hiſtor. Mexican. p. 812. inter centum lepores vix quatuor maſculos invenire liceat. Diſtinctiſſimum enim habent ſexum, & vana ſunt illa omnia, quæ de mutatione ejus, aut quod omnes utroque ſexu gaudeant, dicuntur, teſte eodem Lynceo, & propria mea experientia. Lepores autem & ſues omnium animalium ſuperfœtatiores eſſe, ex ARISTOTELE docet LAVRENTIVS hiſt. anat. c. 5. qu. 22. An ab atra bile ſalacitas iſta in leporibus proveniat, cum ſucco melancholico maxime abundare illos Ariſtotel. problem. tradiderit, ego merito ambigo. Poſt iſtos vero, ſit comparationi venia, fœminæ omnium animantium magis ſuperfœtant, ut quæ poſt conceptum, maris congreſſum præ ceteris animalibus curent aut patiantur, PLINIO teſte, hiſt. natur. l. 7. c. 11. Cauſam lepidam ſuppeditat *Popilia, M. Agrippæ* filia: bruta ubi conceperint ideo non coire, quia beſtiæ ſunt.

Cauſa vero phyſica ſuperfœtationum varia ab autoribus allegatur: PARAEVS oper. chir. l. 23. c 32. p. 689. eſſe quosdam dicit, qui putant, uterum poſt conceptionem certis temporum intervallis dehiſcere, itaque gravidam, quæ tum in viri amplexus venerit, concipere. Alii ajunt, uterum

uterum ex ſeſe & natura ſua ſeminis & Veneris avidiorem, vel jucunda quæ a viro fit titillatione, præ fervida libidine efferatum & incitatum denuo dehiſcere ad ſeminis virilis exceptionem. Optime rem hancce dilucidare videtur VIARDEL *de partu humano* c. 6. p. 24. Cauſam ſuperfœtationis incertam eſſe, inquit, nec ab autoribus hactenus detectam: horum aliqui exiſtimarunt, repletam eſſe matricem a facta fœcundatione & adeo arcte clauſam, ut nulla amplius fieri queat conceptio. Alii vero ita ſentiunt: internum uteri os, muliere gravida exiſtente, clauſum quidem eſſe, ſed aperiri illud ſubinde, & ſi eodem momento ſeminis fiat communicatio, ſubſequi ſuperfœtationem. Mulieres autem plethoricas ſuperfœtationi maxime obnoxias eſſe, cum in hiſce, licet gravidis, ſanguis abundet, & uterum dilatare ſoleat; & ſi hocce tempore vir mulieri cohabitet, ſemen ejus admitti non ſolum, ſed conceptionem novam, aut ſuperfœtationem fieri poſſe quam facillime.

Superfœtationis poſſibilitatem ſufficienter probatam & ſtabilitam eſſe exiſtimo; de tempore autem, quando illa fieri poſſit, inter medicos controvertitur. Si communi opinioni fidem adhibere voluiſſem, ex ipſo inter primum & prætenſum partum viginti ſeptimanarum intervallo fraudem ſubeſſe, aut hujus ſuſpicionem mihi ſuboriri potuiſſe, etiam ex amicis quidam monuerunt. Nec diffiteor, ipſum Hippocratem intra dies priores undecim, aut minimum intra terminum quatuor menſium, fieri poſſe aut debere ſuperfœtationem, exiſtimaſſe: alios vero terminum 20. 30. 40. dierum conſtituiſſe; ita, ut id ipſum a primo partu temporis intervallum viginti ſeptimanarum, de fraude & mendacio mulieris facile ſuſpicionem, mihi æque ac aliis movere debuiſſet. Sed, bona verba, quæſo! Neque enim inter medicos, qui ſuperfœtationem admit-

admittunt, de tempore ſatis conſtat, quo fieri illa poſſit. Superfœtatio non ſolum in primo menſe, ſed & in quarto & quinto contingit, teſte PEREDA, ſchol. ad c. 55. Paſchal. l. 1. de curand. morb. Vt enim multa taceam exempla, uxor Doctoris cujusdam, qui Valentiæ Regiæ Cancellariæ præſidebat, *Gallart* appellati, poſt quatuor menſes ab obitu viri, filium peperit, & deinde nono menſe alterum. Neque enim, ſubjungit, cauſa ſuperfœtationis conſiſtit in eo, quod orificium uteri ſit apertum aliquantulum, (ut ſimul etiam voluit VALESIVS lib. 5. epidem. comm. 11.) quæ ſemper evenit orificio ita clauſo, ut ne ſpecilli cuſpidem admittat: ſed in uteri attractione, quæ tunc contingit, quia dilatatur in coitu, in fricatione & calore orificium uteri, & ita ſemen attractum, poteſt uteri cavitatem ſubire. Illuſtris, quem ſupra citavi, FRANKENAVIVS, ſuperfœtationem omnibus ferme menſibus fieri poſſe arbitratur, magis tamen in prioribus, priore fœtu adhuc minore, l. c. p. 231. Placent, quæ hanc in rem profert CARANZA l. c. p. 637. ſub hac, inquit, intrat illa ſingularis diſquiſitio, an ſuperfœtatio ſtatis certisque temporibus accidat poſt primum conceptum? In qua VLPIANVS in dicta l. *cum quidam*, 8. *ſuum hæredem*, D. *de acquirenda hereditate*, quæſtionem affirmative reſolviſſe videtur in verbis illis: quod quidem poſt certum tempus conceptionis eveniet. Sed variant medici & philoſophi in deſignando iſto certo tempore. BONAVENTVRA l. 9. de octimeſtri partu, c. 32. 33. exiſtimavit, ſuperfœtationem, niſi poſt plures dies a priori conceptu, contingere non poſſe, puta poſt quatuor aut tres menſes, duosve ad minus, & probare contendit ex ARISTOTELE l. 7. hiſt. animal. c. 4. Qui longo poſt tempore concepti ſunt, non perficiuntur. GARCIA de loc. affect. diſp. 72. c. 5. ita ſentire videtur, ſuperfœtationem in initio prioris conceptus, & reliquo tempore poſſe contingere: quod ſi proxime a primo conceptu ſecundus ob-

 veniat,

veniat, superfœtatum absolvi & feliciter edi, longo vero post tempore conceptum, non perfici notat; utriusque autem eam reddit causam, quia in priore suppetit ad alterutrius formationem nutrimentum, in posteriore non ita. Et porro infert idem, fieri posse, ut, licet conceptus sit magnus, superfœtatus perficiatur, ex pluribus ab eo adductis, optimeque consideratis. Quare ita concludit CARANZA l. cit. p. 631. sit ergo omnium prædictorum summa: *superfœtationem prioribus diebus contingere non posse: ast post illos priores quocunque gravidationis tempore evenire posse.*

Rarissimum autem esse arbitror, quod de superfoetatione asserit BRASSAVOL. ad aph. 38. l. 5. fuisse illam quandoque epidemiam, & hoc verum esse suadere rationem. Cum enim sit res quasi præter naturam, indiget, ut foveatur a causis communibus & potentibus, quare ab his prodeunt consimiles effectus. Illud idem de monstris adeo legitur apud LIVIVM: cum unum apparebat monstrum, semper plura fuisse. CARDANVS ad prædictum aphorismum. PAVLVS PORTAL, l. cit. obs. 90. p. 353. de gemellis memorat, quod anno 1683. permultæ mulieres duos vel tres infantes uno partu ediderint. Dantur igitur causæ quædam communes, ut recte judicat, quem modo allegavi, CARDANVS, effectuum istorum, quibus aut superfœtationes aut gemellorum partus fiunt frequentiores & quasi epidemii. Quemadmodum partus difficiles uno eodemque tempore frequentiores a me sunt observati, ita, ut intra biduum tres in hac urbe mulieres difficillime & cum vitæ periculo fœtus mortuos ediderint. Quin & Hamburgi ante viginti & plures annos multæ e puerperis, quasi contagio tactæ, vitam cum morte commutarunt, quare AMPLISSIMVM COLLEGIVM MEDICVM, habito consilio, tum temporis, & laudabili instituto, serio de causis & remediis cogitavit. Quamvis difficil-

difficillimum omnino ſit, cauſas ejusmodi communes detegere, quæ vel in aëre utplurimum hærent, vel ab aſtris horumque aſpectibus vulgo petuntur. Certe cum apud nos difficiles partus populariter quaſi graſſati ſunt, ab infelicioribus Lunæ, Martis & Saturni aſpectibus nonnulli hoc deducere volebant: an rem acu, quod dicitur, tetigerint, ego hac vice nolo determinare.

Rectius vero cura ſuperfœtationis in conſiderationem forte veniet, imminet enim & matri & fœtibus maximum periculum, adeoque præſervative æque ac curative illud, quantum eſt in Arte, averti debet. Ad ipſam curationem quod attinet, SENNERTVS, Germanorum *Hippocrates*, & in ſcholis Medicorum Vir magni nominis, practic. lib. 4. part. 2. ſect. 4. cap. 6. Naturæ totum negotium committendum eſſe cenſet, ſi ſuperfœtatio accidat: Interim accuratum regimen, quale gravidis præſcribi ſolet, obſervare debent gravidæ. Tutiſſimum tamen eſſe fœminis cavere putat, ne facile ſuperfœtent, & proinde ubi ſe concepiſſe animadvertunt, coitum & amplexus laſciviores vitare. An autem *Sennertus*, & Medicus talia cum illo ſuadens, apud ſexum pulchriorem magnam initurus ſit gratiam, de hoc ego fere dubito; & ſi toties totiesque id moneat, ſurdis tamen narrabit fabulam.

Sed manum de tabula!

EXTRACTVS PROTOCOLLI

In Inquiſitions-Sachen wider Stiencke Hedewig Büllen, Carſten Büllens Käteners in Revenſtorff, zum Hoch-Adelichen Guthe Lindau gehörig, Ehefrau.

in puncto ſuppoſiti partus, ſtellionatus *und cauſirten Todes ihres eigenen Kindes.*

Es *hat Stiencke Hedewig Büllen, Carſten Büllens Käteners in Revenſtorff Ehefrau, ihres Alters drey bis* 34. *Jahr, die vor ohngefehr*

gefehr fünff Jahren zu erst mit ihrem Mann ein todgebohrnes Kind, als einen Sohn, und hiernechst eine Tochter, so annoch im Leben, gezeuget,

Inquis. in dep. summar. ad art. inqu. 2. 5. & 6. in anno 1725.

ohngefehr 14 Tage vor Fastlabend inquis. ad art. inqu. 18. *solche Bevvegungen in ihrem Leibe verspühret, als vvenn sie vvürcklich schvvanger und ein lebendiges Kind im Leibe trüge, dahero sie sich nicht anders eingebildet, als daß deme also sey, in vvelcher Meinung sie um so mehr gestärcket vvorden, da sie seit der Heu-Erndte des 1724sten Jahrs, vvie man die Mühlen Wische angefangen zu meyen, und sie damahls daselbst mit gearbeitet, ihre ordentliche Zeit nicht gehabt, (vvelche sie auch nicht eher vvieder bekommen, bis sie ihr eigenes und nunmehro seeliges Kind gebohren gehabt,* inqu. ad art. inquis. 30.) *und sie damahls starcken Leibes gevvorden, vvobey sie immer gekräncket, eine schvvere Brust gehabt und immer übel und vvehe gevvesen.*

Inqvis. in depos. summar. & ad artic. inqv. 9. 10. 11. 12. 13. 16. 17. 18. 29. 30. 111. & 112.

Diesen bey ihr sich eräugnenden Umständen nach hat dieselbe gerechnet, daß sie etwa 14. Tage nach Maytag 1725. niederkommen würde, deßhalben sie auch in der Meinung, daß sie würcklich schwanger, vier Sonntage nacheinander auf der Cantzel vor sich bitten lassen, auch wie die Vorbitte zum erstenmal geschehen, das Heil. Abendmahl empfangen, zumahlen sie zur selben Zeit noch alle Zeichen einer bevorstehenden Niederkunft gemercket.

Inq. in depos. summar. & ad artic. inq. 15. 20. 21. 22 & 24.

Etwa 14. Tage hernach, hat Stiencke Büllen keine weitere Bewegungen in ihrem Leibe wahrgenommen, sondern es ist alles stille worden, und der Leib ganz wieder weg gesuncken,

Inqvis. in depos. summar. & ad artic. 25. 27. & 31.

Derowegen dieselbe aus Beysorge, daß sie von denen Leuten wegen der eingebildeten Schwangerschafft allzuviel vexiret werden würde: (wie es dann einer Frauen aus Blickstädt auch einmal so gegan-

gen,

gen, da viel Schnak in Kirchspiel davon gewesen, dergleichen Nachrede sie, (weil sie schon für sich bitten lassen, und zum Heil. Abendmahl gewesen, verhüten wollen) mit einer Hure Nahmens Anna Catharina Danielsen, so sich damahls in Gettorff aufgehalten und grobes Fusses gegangen, einig geworden, ihr das Kind abzunehmen, welches sich Anna Catharina auch gefallen lassen.

Inq. in depos. summar. & ad art. 32-38. & ad art. 111.

Carsten Büll. in depos. summar.

Der Vatter zu dem vor der Danielsen gebohrnen Kinde hat als Knecht auf dem Hammer vor Kiel gedienet, woselbsten die Hure zur selbigen Zeit auch gedienet.

Sophia Dorothea Matthiessen in depos. summar. inqvis. ad artic. 42.

Wie nun bemeldte Anna Catharina den Freytag vor Pfingsten als den 17. Maji in Stiencke Büllen Hause, Abends zwischen 6. und 7. Uhr ein lebendiges Kind zur Welt gebohren, und zwar ein Mädgen, so hat Stiencke Büllen dem Kinde die Nabelschnur verbunden, und die Nachgebuhrt verbrandt, auch das Kind abgewaschen und angezogen, das Mensch aber hat sich in der Stube ins Bette gelegt, hernach ist selbige, nachdem Inqvisitin Schwieger-Mutter zu Bette, und die inqvisitin *ihr zuvor den Leib mit einer Heedenen Dwele gebunden, auf den Boden gangen, hat sich daselbst ins Strohe gelegt, und ist biß auf den dritten Tag allda geblieben, da sie sich inzwischen mit Bier, so sie selbst vor 1. Schill. holen lassen und Brodt, welches sie bey sich gehabt, erhalten; hiernechst hat sie sich wieder von dannen wegbegeben, und das Kind der Inqvisitin gelassen.*

Inqvis. in depos. summar. & ad art. 44 49. 57. 59. & 60.

Als inqvisitin *Schwieger-Mutter zu Bette, hat selbige das Kind wieder ausgezogen, in ein faules Schürz-Tuch gewunden, solches in ihr Bett und zugleich sich selbst hinein gelegt, darauf ihren Mann, welcher laut* Protocolli, Num. I. pag. 3. *bey dem Hn.* Pastor Ottensen *in Gettorff dero Zeit gedienet, nebst einer Bade Mutter ruffen lassen. Sobald diese beyde gekommen und gefraget, wie es mit ihr*

ſtünde, hat ſie ihnen mit Vorzeigung des Kindes zur Antwort gegeben, ſie hätte ihr Kind ſchon im Bette.

Inq. in depoſ. ſummar. & ad art. 65. 66. 67. 68. 69. & 71.

Da aber die Bade-Mutter MariaGnſchen ihr den Leib verbinden wollen, hat ſelbige geſagt: ihr Leib wäre ſchon gebunden, wie jene darauf regeriret, das wäre nicht gnug, iſt Inqviſitin etwas im Bette hervorgekommen, da dann die Bade-Mutter ihr eine Dwele über das Hembd um den Leib gebunden, und das Halſs-Tuch ſo ſie darum gehabt, weggenommen, wobey dennoch Stiencke ſich ſowol der Bade-Mutter als ihrem Manne, glaubend gemachet, daſs es ihr eigen Kind ſey.

Maria Goſchen in depoſ. ſummar.

Inqviſ. in depoſ. ſummar. & ad art. 72. 73. 77. 78. & 79, & art. 126.

Dieſes Kind hat ferner Inqviſitin als ein von ihr gebohrnes Kind beym Kirchen-Buch angegeben, als ihr eigenes Taufen, auch vor ihre glückliche Entbindung Gott auf der Cantzel dancken laſſen,

Inqv. ad art. 83. 84. 85. & 86.

Nachgehends hat Inqviſitin zinnerne Döpffe gebraucht, um durch deren Aufſetzung aus den Brüſten Milch heraus zu zwingen, immittelſt das Kind ſo lange biſs ſie Sucht bekommen mit Milch, ſo ſie theils im Munde, theils in einem Löffel genommen, unterhalten.

Inqv. ad art. 87. 88. 89 92. & 93.

Einige Tage hernach hat Inqviſitin wieder Bewegungen im Leibe verſpüret, iſt auch deſshalben mit dem Hn. Paſtor *Ottenſen nach Kiel zum Hn. Doctor Waldtſchmiedt gereiſet, welcher dann dieſelbe ſchwanger befunden, und hat ſie noch damahls nicht das Hertz gehabt von ſich zu ſagen, daſs das erſtere Kind von ihr angenommen ſey, und das aus Furcht einiger Straffe;*

Inqv. ad art. 95. 99. 101. 102. 103. & 104.

Nichts deſto weniger hat Inqviſitin mit dem Säugen des frembden Kindes continuiret, auch ſo gar biſs zur würcklichen Gebuhrt ihres eigenen Kindes, welche ohngefehr vor Michaëlis A. 1725. geſchehen.

Inq. ad art. 98. 106. 107. & 108.

Letz-

Letzteres und der Inqvisitin eigenes Kind ist bey der Gebuhrt klein und gering, ja dünn und schmächtig gewesen; nachhero aber hat es gut zugenommen, und weil Inqvisitin so viel Sucht gehabt, daß das Ihrige es nicht über werden können, so hat dieselbe das angenommene Kind immer mit an der Brust behalten,

Inq ad art. 118. 119. 120. 121. & 122.

nachhero ist der Inqvisitin eigenes Kind ausgeschlagen, und wie solches wieder eingeschlagen, hat es die Brust-Seuche bekommen, woran es 8. oder 14. Tage vor Pfingsten An. 1726. gestorben, inzwischen ist selbiges nach seinem Tode noch so fett wie eine Pflaume gewesen.

Inq. ad art. 123. 124. & 125.

Nachdeme nun die rechte Mutter des ersten Kindes in Kiel zu des Tischlers in Gettorff Matthisen Ehefrau gesaget, daß sie ihr Kind in Stiencke Baaschen oder Büllen Haus zu Revenstorff gebohren und bey ihr gethan, sie wolte ihr Kind wieder haben, und könte sie eher nicht ruhen,

Sophia Dorothea Matthiesen & Maria Goschen in depos. summar.

so ist die gantze Sache ruchbar und die Stiencke Büllen dannenhero in die inqvisition *gezogen, auch zu mehrer Untersuchung ein ordentliches Gericht geleget, anbey* Fiscalis & Defensor *constituiret worden.*

Fiscalis *hat Inqvisitin* in puncto partus suppositi, stellionatus *und causirten Todes ihres eigenen Kindes angeklaget, mit Bitte dieselbe mit Straffe des Brandmarckes, Staupenschlages und Landes Verweisung zu belegen.*

Defensor *excipiret, daß* ratione præsenti partus suppositi, *die* requisita *solches Verbrechens als* dolus & damnum hoc casu *mangelten*, & dolus quidem ex ea ratione, *weilen Inqvisitin nicht* ex mala *intentione, sondern nur bloß die Vexirung und Nachrede anderer Leute zu vermeiden, diese List erdacht.* Damnum *cessirte, da zumahlen* maritus *vor ihr intercediret.* Crimen stellionatus *anlangend, daß Inqvisitin ordentlich auf der Cantzel vor sich bitten, auch nachhero vor die glückliche Entbindung Gott dancken lassen, so meritirte dieses eine* pœnam ecclesiasticam, nullam civilem. *Und endlich*

den

den verursachten Tod ihres Kindes anlangend, wäre ein solches unerweislich, vielmehr das Gegentheil, da das Kind gantzer 3. viertel Jahr gelebet, gut zugenommen, auch nach dem Tode gantz fett gewesen, ex actis *klahr zu ersehen.* Num. Act. 2.

Nach weiteren, hinc inde geschlossenen recessen, ist von dem Hoch-Adelichen constituirten Gerichte ein informatorium von der Hochlöblichen Juristen-Facultæt zu Kiel verlanget worden, welche eine ordentliche Sententz, cum rationibus dubitandi & decidendi zurück gesandt, worinnen Inquisitin pure absolviret.

Rationes Decidendi.

Wann die in gegenwärtiger Sachn verhandelte Acta zur Gnüge ergeben, welcher gestalten die peinlich Beklagte ein von einer andern Weibs-Persohn, Nahmens Anna Catharina Danielsen, in ihrem Hause den 17ten Maji 1725. gebohrnes unehliches Kind angenommen, solches als ihr eigen im Gettorffschen Kirchen-Buch eingeschrieben, daselbst auf ihren Ehemann öffentlich taufen, und vor ihre glückliche Entbindung Gott dancken lassen, zwantzig Wochen aber darauf einen Knaben selbst würcklich zur Welt gebracht habe, mithin solchemnach das materiale und corpus delicti Sonnen-klahr an dem Tage lieget; So will es zwar anfänglich kein geringes Ansehen gewinneu, als wann die von Hn. Fiscali gebetene pœna fustigationis & relegationis, wormit diejenige, so des criminis suppositi partus schuldig, alten Gebrauch nach bestraffet zu werden pflegen,

Teste Carpz. Pr. Crim. P. 2. Qv. 93. n. 29.

allerdings statt haben solte, da bevorab peinlich Beklagte über die von ihr begangene suppositionem partus nicht nur allein durch die in der Kirche zu Gettorff geschehene öffentliche Dancksagung des Allerhöchsten selber zu spotten und der ganzen Gemeine eine grosse Ærgerniß zu geben sich nicht gescheuet, sondern auch selbige sich durch Auffsetzung der Töpffe und continuirte Säugung des frembden Kindes, als wann sie ihrem eigenen Kinde die gnugsame Nahrung entzogen, und mithin dessen erfolgten Tod verursachet hätte, nicht wenig verdächtig gemacht zu haben scheinet.

Alldieweilen aber jedennoch bekannten Rechtens, daß zu einem crimine falsi (cujus species est crimen suppositi partus) præter specialem legis notationem, hauptsächlich auch, daß ein solches (1) dolo malo und bosshafftiger weise, und sodann (2) in damnum & præjudicium alterius begangen und committiret sey, erfordert und requiriret werde,

Carpz. d. Qu. 93. num. 6. seqq.

Lauterb, Colleg. Theor. Pract. lib. 48. tit. 10. thes. 4. & 9.

und

und hingegen diese beyde nothwendige Requisita sich bey gegenwärtigem facto nicht befinden, massen ex Actis durch und durch erhellet, wie peinlich Beklagte nicht aus böser intention oder jemanden an seinen Rechten zu schaden, dieses fremde Kind an-und aufgenommen, hiernechst auch das hierunter versirende præjudicium durch ihres Ehemanns angesuchte freywillige intercession gehoben wird und gäntzlich wegfället; Als haben wir auch, daß die gemeldte Straffe allhier keinen Platz finde, sondern vielmehr die peinlich Beklagte von wegen dieser ihrer unbedachtsamen That, über die bereits durch die Gefängniß erlittene Molestien weiter mit einiger Straffe nicht zu belegen, und nunmehro gäntzlich zu absolviren sey, denen Rechten gemäß zu seyn erachtet.

Dann ob zwar allerforderst, quoad Primum Requisitum, Dn. Fiscalis sich nicht wenige Mühe gegeben, den erforderlichen Dolum mit verschiedenen Beweiß-Gründen darzuthun, so ergiebet hingegen dennoch insonderheit die von der peinlich beklagten gethane Aussage, welcher gestalten selbige allbereits im Jahr 1724. in der Heu-Erndte am Leibe stärcker geworden,

Inq. ad artic. 9. 10. 11. & 12.

und von derselben Zeit an ihre Menstrua ordinaria nicht gehabt, auch im folgenden 1725sten Jahr einige Bewegungen im Leibe verspühret,

Inq. ad Art. 16. 17. & 18.

und dahero, daß sie würcklich schwanger sey, zu muthmassen, dessentwegen auch für sich auf der Canzel bitten zu lassen, und das H. Abendmahl zu nehmen wahrscheinlich Ursache gehabt,

Inq. ad Art. 20. 21. 22. 23. & 24.

hernach aber, nachdem sie etwa 14. Tage nach empfangenen Heil. Abendmahl keine weitere motus in utero mehr verspühret, und der Leib wiederum weggesuncken,

Inq. ad Artic. 25. 26. 27. 28. & 41.

daß ihre Schvvangerschafft nichts vväre geschlossen,

Inq. ad Artic. 31.

und dessentvvegen mit der bereits gedachten Anna Catharina Danielsen, vvelche eben dazumahl grob schvvanger gegangen, vvegen Ubernehmung des Kindes einig gevvorden sey;

Inq. ad artic. 31. 38. & 43.

Aus vvelchen Umständen dann klar erhellet, daß der peinlich Beklagten öffters repetirtes Vorgeben, vvie sie nemlich das fremde Kind bloß aus Besorgen, daß sie von den Leuten, und insonderheit andern Weibern, vvegen ihrer eingebilde-

bildeten Schvvangerschafft allzuviel vexiret vverden möchte, angenommen habe, sich in der That vvahr befinde, und demnach nicht der allergeringste dolus vorhanden sey.

cum secundum jura notoria, qualiscunque etiam fatua causa a dolo excusare soleat, L. 47. §. 5. ff. de furt. Carpzov. Pr. Crim. Qu. 39. n. 10. ibique alleg. Dd. com.

So viel aber das andere Haupt-requisitum concerniret, so mag zvvar allerforderst nicht in Zvveiffel gezogen werden, vvie daß sich solches anfänglich bey gegenvvärtigen facto allerdings befinde, vvobiervvogen nicht nur allein der peinlich beklagten Ehemann, durch das bisherige onus alimetandi albereits vvürcklicher Schaden zugefüget, sondern auch ohne dem die D.D. communiter lehren: quod ad incurrendam pœnam falsi satis sit, falsitatem præjudicare potuisse, licet actu non præjudicaverit.

Carpz. d. Qu. 93. n. 12.
Theoric. Colleg. crim. Cap. 8. aphor. 3. n. 2.

Nachdemmahlen aber ex Actis nicht vveniger zu erlernen, vvelcher gestalten der peinlich Beklagten Ehemann Carsten Büll sovvohl coram Protocollo,

vid. Carsten Büll. depos. summ. d. d. 25. April. a. c. in fin.

als auch vermittelst des den 29sten Jun. a. c. eingegebenen Memorials sub Lit. L. vor seine Frau intercediret, und dadurch ihr den ihm zugefügten Schaden und Unrecht remittiret und vergeben; als fället dieses requisitum ebenfalls von selbsten vveg; und mag darvvider nichts verfangen, vvas Hr. Fiscalis insonderheit eingevvandt, vvie daß nemlich die intercessio Conjugis in keinem andern delicto als dem crimine adulterii etvvas helffen möge; sintemahlen allhier nur die frage ist: Ob das von der Beklagten durch die suppositionem falsi partus ihrem Mann zugefügte præjudicium durch dessen intercession und Erlassung cessire oder nicht? vvelche dann allerdings nicht anders als affirmative beantvvortet vverden kan.

volenti enim non fit injuria, L. 178. de R. I. & per remissionem injuriam extingui certum & indubitatum est.

Berlich. Part. 5. conclus. 70. n. 14.

Eine gleiche Bevvandtniß hat es auch endlich mit dem letzteren, und vom Hn. Fiscali so starck urgirten puncto, da nemlich derselbe der peinlich Beklagten den Tod ihres Kindes dessentvvegen, vveilen Sie vvehrender ih-

rer Schvvangerschaft sovohl als nachhero das supponirte Kind mit ihrer eigenen Milch gesäuget, zu imputiren, und dadurch ihr begangenes Verbrechen zu aggraviren vermeynet, vvohlbetracht es eines Theils gar nicht unmöglich, sondern vielmehr, teste experientia, sehr frequent ist, daß eine Frau zvvey Kinder mit ihrer Milch ernähre, zumalen vvann selbige daran abundiret, vvie ein solches die peinlich Beklagte

ad Artic. inq. 122.

von sich ausgesaget, andern theils aber das Kind bey nahe 3. viertel Jahr alt vvorden.

Inq. ad Artic. 123.

kurtz vor seinem Tode noch gantz fett und frisch gevvesen,

Inq. ad Artic. 124.

und endlich an einem besondern Accident nemlich der sogenannten Brust-Seuche verstorben;

Inq. ad Artic. 125.

mithin also das von Hr. Fiscali zu diesem Ende angeführte Axioma, quod dans operam rei illicitæ de omni eo teneatur, quod sequitur etiam præter illius intentionem & voluntatem, allhier nicht appliciret vverden kan, nachdemmahlen aus jetztberührten vom Hn. Fiscali nicht elidirten Umständen, daß das Kind aus Mangel der Nahrung gestorben, keinesvveges zu glauben oder zu præsumiren ist, und demnechst das gedachte Axioma nur in dem Fall angehet, si quis mortis causam propinquam præbeat, & eventus ex opere illicito per se immediate & necessario sequatur, hingegen aber in dem allhier nicht einmahl ervviesenen casu, si quis causam saltem præbeat remotam, quæ non ordinata est ad subsecutum eventum allerdings cessiren muß;

cum ea, quæ per accidens veniunt ex opere aliquo, tanquam effectus remoti proveniant ab illo & agenti non imputentur.

Carpz. Qu. 25. n. 55.

Also daß vvir es solchemnach, da insonderheit vvegen des der peinlich Beklagten mit imputirten Criminis extraordinarii stellionatus, gleiche rationes decidendi fürvvalten, und in Praxi nach der heutigen Rechts-Lehrer Meynung inter Crimen stellionatus & falsi, in ordine ad dictandam pœnam gar kein Unterscheid zu attendiren nöthig ist,

teste Kreß. in Comment. ad Ordin. Crimin. artic. 112. 113. §. 6.

bey vorstehender Urtheil billig bevvenden lassen, und zvvar um so viel mehr, als nicht nur allein die peinlich Beklagte eine geringe Bauer-Frau, vvelche die atrocitatem ihres Verbrechens nicht reifflich gnug ervvogen, und also ob imbecillitatem sexus eine gelindere Ahndung meritiret,

per vulgata

sondern auch noch darzu allbereits eine geraume Zeit in gefänglicher Verhafft, und zvvar nach Anzeige der Acten, an Halß und Beinen sehr hart geschlossen gevvesen; mithin also dasjenige vvas die Rechts-Lehrer communiter zu lehren pflegen: Quod scilicet ob diutinam detentionem pœna pro ratione circumstantiarum vel mitigari, vel plane remitti posset, allerdings statt haben muß; vvir aber, daß solches alles denen Rechten und Uns zugesandten Actis gemäß, hiermit nochmahlen bezeugen. In Uhrkund Unsers vorgedruckten gevvöhnlichen Facultæts Innsiegels. Actum Kiel den 14. Augusti 1726.

(L.S.) Decanus Doctores *und* Professores *der* Juristen Facultæt *allhier.*

Indessen hat gemeldtes Gericht den 24. Augusti 1726. eine andere Urthel vvieder Inquisitin publiciret, des Innhalts, daß Inquisitin mit 14. tägiger Gefängniß im Keller bey Wasser und Brodt, mit Vorbehalt der öffentlichen Kirchen-Busse zu belegen sey.





ME-



VITVS RIEDLINVS PH. ET. MED. D. COLLEGII. MED. VLMENS. SEN. GYMNASII. SCHOLARCH. ACAD. IMPER. N. C. ADI.

N. Mai 1656. Denat. 1724.





MEMORIA RIEDLINIANA.

Interest omnino etiam Medicinæ, ut, qui de eadem optime merentur, non tantum, quoad vivunt, omni condecorentur honore, sed & ut ipsorum memoria, quando vivere desierunt, posteritati de meliori commendetur, quo hæc etiam habeat, quod imitetur, & ad exquisitiorem salutaris illius scientiæ culturam excitetur. Quos longe saluberrimos fines cum *Illustris Academia Imperialis Naturæ Curiosorum* sibi habeat præfixos; intermittere nec potuimus, nec debuimus, quin extremum simul pietatis & observantiæ munus *Viro Prænobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo Domino* VITO RIEDLINO, *Philosoph. & Med. Doctori*, laudatæ modo *Academiæ Adjuncto, Collegii Medici Ulmensis Decano, Gymnasiique Scholarchæ* &c. persoluturi, levi penicillo adumbremus ea, quæ ad veram illius laudem apprime facere nobis videbantur. Prodiit in hanc

lucem provida, quam Deus etiam de ingreſſu noſtræ vitæ gerit, cura, in Medicæ artis ſplendorem atque incrementa, quod poſtea comprobavit eventus, d. XIX. Martii A. S. R MDCLVI. Patre uſus eſt, Domino *Vito Riedlino*, Med. Doct. & Phyſico Ulmenſi Excellentiſſimo meritiſſimoque, gaviſus quoque Avo, Abavo, Tritavoque Chirurgis & Lithotomis primariis Ulmenſibus, ſuo tempore ſat celebribus. Matrem coluit *Annam Mariam Bloſſiam*, Matronam omnibus virtutibus, quæ ſequiorem ſexum ornant, oppido conſpicuam, Cujus Avus Tubingæ Profeſſoris munere functus, Pater autem Phyſicam ſcientiam in Gymnaſio Ulmenſi profeſſus, Medicam ſimul artem non ſine nominis celebritate ambo exercuerunt, eandemque in majus meliusve provehere pro viribus allaborarunt. Verbis exprimi vix poteſt, quanta ſollicitudine recens natum & ſacro aquæ lavacro ablutum, ſubcreſcentibus poſtea annis, educandum noſtrum curarint optimi Parentes, probe perpendentes, in pia & circumſpecta liberorum educatione ſitum eſſe plurimum. In Gymnaſium, quod *Ulmæ* floret, ſatis mature, ceu generoſa indolis planta translatus, mature etiam, magis tamen magisque temporum progreſſu qualis futurus eſſet, præceptoribus ſuis, quos habuit, longe fideliſſimis aperuit. Fuit etenim in noſtro adhuc puero non ea tantum ingenii docilitas, ut feliciter & velociter arriperet, quæ ei tradebantur, ſed & illa in eo fulſit virtus, ut raræ eum a pietatis tramite, diſcendi ardore & Claſſicorum, quos vocant Autorum lectione avocarint deliciæ. His

igitur

igitur doctrinis artibusque, quibus puerilis ætas inter Christianos impertiri debet, præmunitus, demum in Amplissimos Philosophiæ campos exspaciatus noster est tam felici successu, ut & Medicinam, ad quam singulari ferebatur propensione, viam ei pandente Domino *Joanne Pfauzio*, Phil. & Med. Doctore & Prof. in Gymnasio Ulmensi celeberrimo, primoribus gustaverit labris. Solidiores postea *Tubingæ*, quam A. MDCLXXIV. mense Februario petiit, ei præbuit cibos Excell. imprimis Dn. D. *Georg Balthasar Mezgerus*, quos & intra biennium tanta aviditate ingessit, ut indies majora hinc in arte Medica profectuum senserit incrementa, quæ tam grato memorique animo agnovit, ut huic Præceptori & hospiti suo maximas se debere gratias sæpenumero fassus fuerit. At enim vero cum ob rariores Anatomicas exercititationes famem suæ φιλομαθείας ibi non omnino explere posset, *Patavinum Lyceum* A. MDCLXXVI. adiit, ibidemque ab ore *Raym. Joh. Fortis P. de Marchettis*, *Montagnanæ* aliorumque Virorum celeberrimorum sedulus pependit, cum iisque crebros sermones, tam privatos quam publicos miscuit; cujus rei duplicem hunc quoque tulit fructum, ut a Natione Germanica *Consiliarius Anconitanus*, a Facultate vero Medica, prævio examine consueto, sine tamen disputatione publice habita, A. MDCLXXVI. d. 27. Sept. Phil. & Med. Doctor creatus fuerit. Quemadmodum vero alias res angusta domi bonis sæpe mentibus, forte meliore dignis, obstaculo est, quo minus studiorum stadium ex animi sententia eme-

emetiri queant: ita noſter, domeſticis deſtitutis ſubſidiis, patriam ſuam A. MDCLXXVII. repetere coactus fuit; in qua cum præter opinionem omnem non inveniret, unde pro dignitate vivere poſſet, *Auguſtam Vindelicorum* ſe contulit, ubi brevi temporis ſpatio variis honoris & officii titulis ſe condecoratum vidit. Etenim ex ſingulari, quo Vir quidam Illuſtris, cujus memoriam *Riedlinus* perpetuo ſuſpexit, ipſum exceperat favore, in Collegium Medicum A. MDCLXXIX. d. 4. Maij gratioſe receptus eſt, & magno illius modo laudati Illuſtris viri patrocinio ſuffultus, in munere Phyſici ordinarii B. D. D. *Joh. Ludovico Heniſio*, A. MDCLXXXII. d. 19. Sept. ſucceſſit; A. MDCLXXXII. d. 5. Nov. primum, atque iterum A. MDCLXXXXIX. per vota majora collegii Medici Decanus electus; A. MDCLXXXIX. d. 29. Maij, in locum beate defuncti D. D. *Lucæ Schrœckii Senioris*, examini obſtetricum præfectus, & ab *illuſtri Naturæ Curioſorum Academiæ Præſide* immortaliter merito, D. D. *Schrœckio* F. in hoc celebratiſſimum Collegium, tanquam ſocius, Crateris agnomine cooptatus, eademque porro benevolentia A. MDCCIX. menſe Sept. ejusdem laudatæ ſocietatis Adjunctus denominatus eſt. Licet igitur *Auguſtæ Vindelicorum* noſter in omnibus negotiis Practicis ea gauderet felicitate, & ab omnibus tanti exiſtimaretur, ut ſe Auguſtanum Phyſicum felicem, ſuamque familiam ſat laute ſuſtentatam prædicare potuerit: divinæ tamen benignitati Noſtrum Patriæ ſuæ reddere placuit. Anno enim MDCCIV. d. 19. Sept. benevolis ab *Inclyto Senatu Ulmenſi* literis, quas dicunt,

Voca-

Vocatoriis acceptis, & divino nutui & voluntati Patriæ noſtræ Patrum obtemperaturus, menſe exacto, cum tota ſua Familia *Ulmam* repetiit, quæ non ita multo poſt Civium numero iterum adſcriptum, non honorifico ſolum ſalario dotavit, ſed & ad varios, tam Medicos quam ſcholaſticos, per diſtincta temporum intervalla evexit honores. Namque illa præſtantiſſima ingeniorum nutrix A. MDCCVII. examini Chirurgorum Noſtrum præfecit, poſtea A. MDCCXIII. d. 6. Apr. in locum pie denati *Alphonſi Kohnii*, Med. Doct. Excellentiſſimi, *Seniorem Collegii Medici* ſuffecit, tum & A. MDCCIX. *Conventui*, quem nominant, *Scholaſtico Viſitatorum in Gymnaſio* adjunxit, & denique A. MDCCXIII. *Triumvirali Scholarcharum numero* adſcripſit. Quanta cura, ſolicitudine atque alacritate Claſſicorum æque ac provectiorum Studioſorum ſaluti atque commodis, Medicique Collegii Autoritati ac ſplendori invigilaverit noſter, animo adhuc agnoſcunt longe gratiſſimo ad unum omnes illi, qui ſingulares prorſus RIEDLINI noſtri dotes atque eruditionem recte æſtimare didicerunt. Non eſt quod de Praxi ejus medica multum dicamus, cum de illius frequentia & felici ſucceſſu, vel ſolæ typis jam impreſſæ tot obſervationes teſtentur, & multo plures nondum editæ amplius teſtarentur. Mittimus etiam, quanto amore & qua veneratione noſter a ſingulis fere exceptus fuerit, qui illius circumſpectionem, ſolertiam, dexteritatemque, & ut paucis multa complectamur, methodum, cito, tuto & jucunde curandi, in ſemetipſis animadverterunt. Quibus virtutibus

 cum

cum noſter enituerit, mirandum non eſt, ſi etiam *Principes*, *Comites*, *Liberos Barones* & *Nobiles* ſibi faventes habuit, eorumque clementiam, gratiam ac favorem ad finem usque vitæ ſuæ quam feliciſſime conſervavit.

Præter has virtutes medicum Virum exornantes longe major virtutis ſplendor enituit ex ſingulari pietatis zelo & divini Numinis cultu, quem aſſidue ſectatus eſt: Verbi namque Divini quotidianus ferme fuit Auditor non ſolum, ſed & indefeſſus ſcrutator; Biblia namque ſacra plus quam trigeſies perlegit, atque commentariis in uſum domeſticum illuſtravit; meditationes ſuper Emphatica verba & nomina Biblica conſcripſit; ſingula capita totius ſacri Libri verſibus germanicis comprehendit, innumera dicta in ligatum ſermonem eleganti vena transtulit. Non dicam de reliquis ejus quotidianis meditationibus matutinis & veſpertinis, quibus quotidie primam & ultimam diei horam dicaverat, relictis etiam ſcripto multis voluminibus.

Neque vero omittendus eſt, ſingularis ejus amor erga proximum, & in pauperes liberalitas; cujus innumeri adfuerunt teſtes: ipſe vero ſæpius doluit vehementer, quod non æquali erga omnes lenitate ſemper uſus fuerit, utpote ad iracundiam natura paulo proclivior.

Ad matrimonii fœdus quod attinet, conjugem propitio Deo, ſibi An. MDCLXXIIX. elegit virginem virtutibus ſexum ornantibus condecoratiſſimam, *Annam Magdalenam*, Viri ampliſſimi *Davidis Milleri*, mercatoris apud Ulmenſes ſpectatæ integritatis filiam, ex qua fidiſſima Crucis

&

& Lucis socia undecim filios & septem filias progeneravit quidem, sed tamen præmaturam plerorumque mortem luxit; inprimis, vero obitum filii maximæ spei jamjam Medicinæ Canditati, quoties facta fuit illius mentio. Superfuerunt dum viveret, unicus filius natu maximus, officialis Cæsareus, ac tres filiæ; quarum natu minima *Jeremiæ Adamo*, Medicinæ Doctori & Physico Ulmensi nupta, ex qua duos sibi natos nepotes magno cum gaudio suo vidit.

Restat, ut paucis subnectamus ea, quæ ad morbi, cui tandem Noster succubuit, historiam pertinent. Duobus autem ante mortem annis, maximam partem cum morbo molestissimo, Arthritide scilicet, confligandum ipsi fuit. Inceperat affectus ille A. MDCCXXII. mense Decembris, magno cum Urinæ ardore, ut non immerito de Calculo, aut minimum nephritide metus subortus fuerit; medicamentis interea, licet frustra oppositis, huic morbo alias quam maxime idoneis. Tandem mense Februario in scenam prodiit ille Protheus, arthritis nempe, & primo quidem in pede sinistro, deinde in nucha & tandem manu dextra tantos cruciatus per tres quatuorve menses attulit, ut ab iis per longum tempus illud domi se continere fuerit coactus. Varia equidem remedia identidem applicabanrur, non omissa diæta fere scrupulosa & nimis accurata; sed tantum abfuit, ut hisce restitutus fuerit pristinus corporis animique vigor, & aquæ medicatæ Bollenses manus hebetudinem & atrophiam sustulerint, ut indies major naturæ & totius Oecono-

miæ animalis infirmitas obſervari potuerit, ex eo etiam colligenda, quod herniæ, per viginti jam annos geſtatæ & machina ſat idonea cuſtoditæ, ſæpius acciderit prolapſus, magna cum virium proſtatione & doloroſis ſymtomatibus, conjunctus; qualis etiam ultima ſeptimana ante ejus obitum contigerat; cito quidem tunc reſtituebatur. Cum autem non ita poſt iter inſtituere ad ægrum Illuſtrem, duo milliaria abhinc habitantem cogeretur, novumque ex conſuetudinis & manualis operationis defectu paſſus eſſet prolapſum, mox ſequentibus vomitibus, inſuper temporis & tempeſtatis inclementia nec non viæ ſalebroſæ incommodis concurrentibus, unde, herniæ refrigeratæ ac prolapſæ poſt reditum tentata repoſitio perfici non potuit. Cum præterea etiam alvus ab illo tempore ad vitæ finem usque, neque internis neque externis medicamentis & clyſteribus fortiſſimis reſerari potuerit, hinc ſenſim ſenſimque intra ſpatium V. dierum ingens abdominis inflatio ſubſecuta eſt, febrisque inflammatoriæ apparebant indicia & metus iliacæ paſſionis non fruſtra ipſi etiam ægroto injiciebatur. Hiſce igitur periculoſiſſimis rerum circumſtantiis nil magis quam beatam ἀνάλυσιν optavit, quam per plures jam annos die nocteque animo meditatus erat; Hunc in finem ea, qua decet hominem Chriſtianum pœnitentia, peccata ſua confeſſus eſt, veniamque ipſorum a Deo ſerio petiit, ac certa hujus ſpe fretus, ſacro-ſanctam Euchariſtiam cum maximo pioque deſiderio excepit ore cordeque; quibus peractis, jam moribundus nihil supereſſe exiſtimavit, niſi ut mœſtiſſimis adſtantibus, conjugi nempe, Filio, Filiabus,

cæte-

cæterisque ſuis omnibus ultimum diceret vale, atque adeo fidei plenus & Chriſti merito confiſus, animam placide efflavit, quum vixiſſet annos LXVIII. Medicinam autem feciſſet per annos XLIII. Tu vero nunc o terque quaterque beate VITE RIEDLINE, ad meliorem perducte vitam, macte gloria Tua, fruere quiete, lætare felicitate quam plenis manibus a Deo collatam poſſides, & poſſidebis æternum. Nos autem, qui Te viventem maximo tuo merito æſtimavimus, poſteaquam fato ereptus nobis es, memoriam Tui perpetuo recolemus, virtutesque tuas gratæ commendabimus poſteritati!

LIBROS B. RIEDLINVS EDIDIT SEQVENTES.

Linearum quotidie ductarum Anni VI. totidem voluminibus comprehenſi ab anno 1696. usque ad annum 1702. 8vo.

Obſervationum Medicarum Millenarius. Ulmæ. 1709. 4to.

Methodus curandi febres. Ulm. 1705. 8vo.

Iter Medicum, ſanitatis cauſa inſtitutum, Auguſt. Vind. 1702. 8vo.

Medulla Pharmacopœiæ Auguſtanæ, Ulmæ, 1707. 8vo.

Manuductio ad ſtudium Medicum, a Patre D. *Vito Riedlino* conſcripta, & a Filio homonymo notis neceſſariis illuſtrata. Aug. Vindel. 1706. 8vo.

de Embrochis, Ulmæ, 1706.

Obſervationum medicarum Cent. I. Auguſt. Videl. 1682. 12.

— — — Cent. II. Ulm. 1721. 12.

Von dem Augſpurger Maurbad. Augſpurg. 1722.

Jatrophili ſinceri, kurtze und gründliche Unterweiſung, wie die meiſten Kranckheiten zu curiren &c. Ulm. 1714. 1717. 1719. 1728. 8.

Observationes præterea varias, plures quam L. contulit subinde ad *Ephemerides Academ. Nat. Curios.* quarum quidem titulos, evitandæ prolixitatis causa, hic non apponimus, sed curioso Lectori in voluminum istorum Indicibus evolvendos relinquimus.

Ἀνέκδοτα sunt

Observationum Medicarum Chilias II. III. & IV.

Observationum selectarum Centuria III. IV. V. VI. & VII.

Descriptio nova Balnei Bollensis.

Tacemus complures *exercitationes Theologici argumenti*; Animadversiones in *SS. Biblia*; Meditationes pias de *Passione Dominica*, & rebus variis derepente objectis; *Poëmata* item *sacra*, bene multa; quibus omnibus, per diversa volumina digestis, & otium suum, si quod a medicina facienda concessum erat, *Vir optimus* consumpsit, & pietatis suæ documentum dedit egregium.



MEMO-


BRITISH
NATURAL HISTORY



IOH. MAVRICI HO[illegible]MANN D.
Sac. Caes. Maj. Archiater, Serenissi. Marchion. Onoldo-
Brandenb. Consiliarius Aulicus et Medicus Primarius Sacri
Palatii Lateran. Aulae Caesar. et Consistor. Imperialis
Comes. S. R. I. Nobilis. Academ. Leopold. Carolinae
Caesareae Natur. Curiosor. Director
Nat. Altdorfi 26 Octobr.

J. C. Fillish junior pinx. — J. Lichtensteger sculp.

MEMORIA

VIRI ILLVSTRIS

IOHANNIS MAVRITII HOFFMANNI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS
ARCHIATRI
SERENISSIMAE DOMVS MARCHIONVM
ONOLDO-BRANDENBVRGICORVM MEDICI
SENIORIS PRIMARII ET CONSILIARII AVLICI
SACRI PALATII LATERANENSIS AVLAE CAESAREAE
ET CONSISTORII IMPERIALIS COMITIS
S. R. I. NOBILIS
EPHEMERIDVM ACADEMIAE LEOPOLDINO-
CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM
DIRECTORIS GRAVISSIMI
VNIVERSITATIS ALTORFINAE QVONDAM SENIORIS
ET FACVLTATIS MEDICAE PROFESSORIS PV-
BLICI PRIMARII

IMMORTALIBVS MERITIS CONSECRATA

SCRIPTORE

ALCMAEONE.





Alma Musarum sedes Altorfina, ad ipsas Palatinorum montium radices, non minus pia quam prouida Perillustris liberæ Reipublicæ Norimbergensis munificentia, ante hos centum et quinquaginta admodum annos posita, Augustissimorumque Imperatorum gratia inde ab incunabulis suis amplissime & identidem exornata, inque maius fastigium euecta, illud diuinitus habuit beneficium, vt numquam ipsi deessent doctores in suo quisque genere ac disciplina ita exculti, vt non solum sufficerent bonis artibus ac doctrinis auditorum mentibus feliciter instillandis, verum etiam famæ per omnem terrarum orbem ebuccinandam Academiæ gloriam tradere possent. Nulli autem concessit medicorum in illa ordo, vt maiorem sibi aut præcipuam illius gloriæ partem vindicare posset: sed plane, ni fallor, effecit, vt ad auctoritatem illam, quam pridem hæc Academia consequuta est, et cum dignitate tuetur, vel ultra ratam portionem contulisse videatur. Inter illos vero Hygeæ sacerdotes, qui Asclepieum Altorfinum ornauerunt, gloriamque insignem immortalibus meritis consequuti sunt, tres HOFFMANNOS, CASPARVM, MAVRITIVM, huiusque filium IOANNEM MAVRITIVM, iure optimo maximo tantum elucere dicamus, quantum in lucido

 Orionis

Orionis ſidere ſupra reliquas ſtellas illæ præfulgent, quæ balteus ipſius eſſe nobis adſpicientibus videntur. Hi enim triumuiri per centum, & qui excurrunt, annos, continua & numquam interrupta ſerie, cathedram medicam apud nos tenuerunt, ſic, vt Mauritius, cum Caſparo, quondam præceptore ſuo, collega per aliquod tempus vixerit, rurſusque Ioannem Mauritium, vltimis vitæ ſuæ longæuæ viginti annis, ſocium in medicina tam tradenda quam facienda habuerit.

Quum vero tam clarorum virorum memoriam, victuris ingeniorum ſuorum monumentis iam olim immortalem redditam, inſuper etiam non minus diligenter quam eleganter ſcriptis vitæ factorumque hiſtoriis, ante paucos annos, poſteritati commendauerit Illuſtris S. R. I. Academiæ noſtræ Dominus PRAESES illo volumine, quo *biographias profeſſorum medicinæ, qui in Academia Altorfina vmquam vixerunt*, complexus eſt: cur de IO. MAVRITIO aliqua huic operi inſerenda commentari aggreſſus ſim, cauſſas haud nullius plane momenti habere mihi videor. Atque illud in primis æquum erat, vt, qui ſelectis optimisque obſeruationibus has ephemerides tot retro annis inſtruxerat, illo gratæ commemorationis officio non præteriretur: præſertim quum non ſolum ſocium ſe ſtrenuum præſtiterit, verum etiam, Adiuncti honore exornatus, in rebus Academiæ recto conſilio iuuandis, per annos complures operam indefeſſam nauauerit; tandemque non minus honorificum, quam laborioſum, officium Directoris Ephemeridum Academiæ noſtræ pigne gnauiterque geſſerit. Acceſſit autem maximumque pondus addidit, quod ea, quæ exſtat, biographia a pie defuncto maximam partem conſignata, ipſo Illuſtri Editore id ægre ferente, adeo conciſe & humiliter de omnibus exponat, vt longe plura & luculentiora de laudato viro commemoranda

moranda desiderari queant. His denique caussis maximum pondus adiecit pietas illa, qua τὸν μακαρίτην viuum semper colui, & desiderium iusta persoluendi, quantum equidem valeo, insigni amori quo me coram aliquoties, & per amantissimas litteras subinde, complecti dignatus est: cuius memoria effecit, vt illud a me officium efflagitantibus nobilissimis heredibus denegare operam meam non potuerim. Atque utinam ea mihi sit eleganter copioseque scribendi facultas, quæ requiritur ad illum viuis coloribus depingendum virum, qui summa, quæ contingere illius ordinis hominibus posse videntur, mature consequutus, cum tanta grauitate & dignitate ad senectutem tuitus est, vt, quum Deo vocante ex statione discederet, triste sui desiderium omnibus bonis, etiam summi ordinis, relinqueret. Enimuero mihi neutiquam constitutum est professa laudatione ea obterere, quæ natiua pulcritudine radiant: nec irrito conamine ea eloquendo efferre tentabo, quæ supra meas & omnes laudes posita agnosco: satis habiturus, si bona integraque fide de vita, fatis & meritis tam Illustris quondam viri exposuero, quæ certa cognitione, & pleraque ex biographia ab ipso consignata, aut ex litteris ad eundem scriptis, tum vero etiam ex fide vel nobilissimorum heredum, vel ore eorum, qui bene ipsum nouerant, accepta & in me deriuata sunt.

Bene nascendi sortem noster diuinitus consequutus est: quippe in vrbe Altorfina, multis quidem magnitudine plurimum concedente, sed, postquam Musarum Noricarum sedes facta est, per totum orbem celeberrima, lucem adspexit, a. d. VI. Octobris superioris sæculi anno supra quinquagesimum tertio, quo Academiæ fasces summa cum laude tenebat ICtus magni nominis NICOLAVS RITTERSHVSIVS, magni CONRADI dignissimus filius. Parentes optimos & nobilissimos sortitus fuit. Patrem quidem

MAVRITIVM HOFFMANNVM, *Fürstenwalda-Meso-Marchicum*, Medicinæ Doctorem & in Vniuersitate hac eiusdem artis professorem, tunc quidem nondum integro lustro spectatum, ita tamen omnibus iam probatum, vt non minus tunc amaretur & coleretur, quam cum duobus supra quinquaginta annis in hoc munere consumtis ad æternam requiem captandam, vitæ honorumque satur, concederet. Huic viro nescio utrum maiori gloriæ apud posteros futurum sit, si ipsum Potentissimi Electoris Brandenburgici, Serenissimorumque ex eadem domo Marchionum, qui in Franconia longe lateque dominantur, vt & Ducis Würtembergici, Consiliarium & Archiatrum fuisse recognoverint, an maiorem gratiam habituri sint, quod ductum pancreatis excretorium, primus omnium post renatas litteras, Patauii feliciter detexit & IO. GEORGIO VVIRSVNGO, suo tunc hospiti, præmonstrauit: quodque, ad medicinam publice docendam adhibitus, primus in hac schola fuit, qui salutarem artem circulationi sanguinis, haud ita pridem publice propositæ, accommodaret. Ita certe in fatis fuit, vt nobilissimum illud inuentum, quum apud nos in publicum, quinquennio prius, quam in Britannia, prodire niteretur, ab vno HOFFMANNO suppressum, & postea numquam per eundem admissum, per HOFFMANNVM tamen, nemine amplius reluctante, introduceretur, totaque ars ad hanc lucernam, felici ejusdem manu, refingeretur.

Matrem habuit feminam nobilissimam ANNAM MARGARETAM, IOHANNIS SAMPSTAGII, dicti SAMPFERII, qui inter nobiliores Ciues Norimbergenses referebatur, & PerIllustri Reipublicæ ab officiis tributariis erat, vnicam filiam, totius antiquæ stirpis vltimum germen, quam parens nostri MAVRITIVS primam ex tribus coniugem duxerat, tantoque amore, etiam morte sibi ereptam, prosequebatur,

batur, vt ad illius potiſſimum latus in coemiterio requieſcere, eiusque ſolius nomen ſepulcrali marmori inſcribi voluerit. Si vero credimus auctoribus illis, qui non parum referre contendunt, virum ex valentibus & pleno ætatis vigore gaudentibus natus ſis, an parentes iam laboribus & ſenio fractos ac quaſi carioſos habueris: non male forte illud inſigne corporis robur, quot tot itineribus faciendis, laboribusque ferendis, per ſeptuaginta annos, & qui excurrunt, par fuit, illumque ſollertiſſimi ingenii impetum, per omnia feliciter verſatum & numquam deficientem, ex eo deriuauerimus, quod ambo parentes optimæ & florentiſſimæ ætatis vires æqualiter contulerunt, e caſtique tori luculentis flammis in fomitem durabilem & perennaturum ſcintillas viuidas propagauerunt.

Quum a. d. VII. Octobris Chriſto Seruatori recens natus offerretur per lauacrum myſticum regenerandus, ſponſorem fidei habuit IO. CAROLVM FRAVENBVRGERVM, tunc I. V. Candidatum, poſtea Illuſtriſſimorum Raugrafiorum Palatinorum Conſiliarium, B. IO. GERHARDI FRAVENBVRGERI, I. V. D. & Prof. P. filium, & fratrem MARIAE MAGDALENAE, quæ Noſtri defunctæ matri in toro Hoffmanniano, ad breue quidem tempus, quippe altero ſtatim anno morte eidem erepta, ſucceſſit.

Teneram deinceps ætatem, quam primum animi vires explicari cœperunt, parentes optimi pia ſedulitate ad homine & chriſtiano digno mores, verumque de Deo ſenſum, formauerunt, adſcitis etiam, quum vſus id poſtularet, honeſtis præceptoribus, qui inſpicientibus ipſis operam darent, ne animi agellus, quod nimis promte fieri aſſolet vbi diſciplina adductior deficit, & inſtitutio nimium differtur, vitiis obſeſſus ad ſemina virtutum meliorumque ſcientiarum ſuſcipienda & producenda ineptior redderetur. Accidit autem noſtro, nouem admodum

annos nato, illa calamitas, vt amantiſſima matre orbaretur prius, quam intelligere ſatis poſſet, quantam hoc præmaturo eius obitu iacturam faceret. Quumque in fatis eſſet, vt parens noſtri vnius luſtri decurſu amantiſſimis vxoribus exſequias bis iret, & nuptias nouas toties celebraret; quæ viciſſitudines virum domi foriſque occupatiſſimum a cariſſimorum liberorum ſollicita cura ſubinde nimis auocant, mentemque ita diſtrahunt, vt plus optare quam efficere in educationis negotio liceat: hanc puto cauſſam potiſſimam fuiſſe, cur amantiſſimus parens noſtri tam ſibi dilectum filium, in optimam ſpem adoleſcentem, e domo ſua omnino dimittendum ad tempus exiſtimaret. Florebat tunc in vicino oppido Hersbruccenſi ludus litterarius, quem vir doctus & ingeniorum formandorum artis in primis gnarus IO. LVDOV. FABER, poeta laureatus Cæſareus, regebat: ad quem deductus a ſuo parente Noſter, in eius viri conuictu & diſciplina tamdiu hæſit, & linguarum Græcæ ac Latinæ, optimarumque artium fundamenta illa, quibus maiora in Academiis ſuperſtrui debent, feliciter iecit, donec dignus & idoneus eſſet, qui ad Academicam inſtitutionem admitteretur. Factum hoc eſt, quum ætatis decimum ſextum annum IO. MAVRITIVS noſter ageret, anno ſuperioris ſæculi ſexageſimo nono, quæ cætui Academico apud Altorfinos præerat Theologus grauiſſimus & doctiſſimus M. LVCAS FRIDERICVS REINHARTVS, apud quem nomen ſuum profeſſus Muſarum cultoribus adiungi merebatur. Ordine autem recto ad eruditionis culmen adſcenſurus, initio quidem illa ſubſellia præcipue occupabat, in quibus ad bene ratiocinandum ac diſſerendum, aut ad Græcæ linguæ intimiorem cognitionem, pangendiue carminis facultatem, vel naturalium rerum ſcientiam, pertinentia præcepta auſcultando accipere aut rerum ante noſtra tempora geſtarum notitiam

titiam acquirere liceret: quorum quidem singulorum cupiditate ductus doctores & professores celeberrimos tunc assidue frequentabat IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVM, IOH. PAVLVM FELWINGERVM, GEORG. MATHIAM KOENIGIVM, CHRISTOPHORVM MOLITOREM, & qui tunc recens accedebat, IO. CHRISTOPH. STVRMIVM. Præ ceteris autem vnum sibi, ex Parentis consilio, eligebat, philosophum ac theologum acutissimum non minus quam moderatissimum, IO. CONR. DVRRIVM, in cuius priuatissimis scholis plerasque philosophiæ partes ita pertractabat, vt & docendo ille vnius nostri perspecto iam ingenio se accommodaret, frequenterque interrogando de recte perceptis certior reddi cuperet, non recte intellecta suppleret vel corrigeret: noster autem maiori fiducia cum suo hoc cognato communicaret, si quod dubium sibi residere cognosceret. Quantopere huius sui DVRRII memoriam per omnem suam vitam coluerit ὁ μακαρίτης Noster, plures testabuntur, quibus æque ac mihi deprædicauit illius in docendo dexteritatem, in admonendo sinceritatem, in corrigendo humanitatem: quam vero ipsemet DVRRIVS nostrum amauerit, iamque schola sua egressum desiderauerit, testes habeo familiares litteras ad ipsum exaratas, amorem feruidissimum vndiquaque spirantes.

Biennium huius generis laboribus vtiliter iucundeque noster exegerat, quum iam ingenii vires tentare, suadentibus ita præceptoribus suis, aggrederetur. Atque vt athletæ quondam solebant a leuioribus certaminibus ad grauiora per gradus progredi; sic Noster initium sui ostendendi illud fecit, quod omni tempore doctis viris dignissimum fuit habitum, & cui in nostra hac Vniuersitate aliquanto fortasse maior, quam alibi, honor habetur, vt studiose elaboratam orationem *de causis longæuitatis maiorum nostrorum* in patrum Academicorum

splen-

ſplendidiſſimo conſeſſu, & ciuium litterariæ reipublicæ frequenti conſpectu, applaudentibus & congratulantibus omnibus, recitaret. Mox alterum, maioris momenti certamen, philoſophorum ampliſſimo ordine moderante, aggreſſus, examina legitima ſubiit, cumque laudatus hinc diſceſſiſſet, ex publica cathedra *de magnorum mundi corporum magnetiſmo*, moderante STVRMIO ſupra laudato, diſputauit, & rei bene geſtæ præmium, Magiſterialem laurum, in proxima panegryri Petro-Paulina, quem natalem ſuum hæc Academia ſollemni ritu celebrat, honoribusque diſtribuendis tribuere ſolet, ex manu ſpectatiſſimi IO. CONRADI DVRII, ordinis philoſophici tunc quartum decani, inter duodecim candidatos, nondum octauo ſupra decimum anno exacto, reportauit.

Tam bene præparatus Noſter toto iam impetu ad ſalutarem artem addiſcendam ſeſe conferebat, quum antea, ita impellente proprio inſtinctu & approbante parente ſuo, animum ſubinde eo iam appuliſſet, quin a teneris vnguiculis de rebus medicis diſſerenti, aut in horto academiæ cultiſſimo forte occupato, aut animalium hominumue corpora diſſecanti patri auidus auditor & ſpectator adſtitiſſet, illumque fructum, haud ſane modicum, reportaſſet, quem Aſclepiadarum quondam filii, qui longo vſu rerum, quem inde a primis annis habebant, & ipſi Aſclepiadæ, id eſt patrum ſimiles medici, reddebantur. Neque tamen ſolum parentis ſui ſcholas frequentabat, verum etiam D. D. IO. PANCRATIO BRVNONI, medico celeberrimo, diligentem operam nauabat, nec vmquam ſubterfugiebat occaſiones in circulo diſputatorio, ſiue defendendo propoſitas theſes, ſiue erudite impugnando, fructum & profectum vberiorem acquirendi.

Enimuero exſtimulabat noſtrum, extra patris ædes viuere iam pridem adſuetum, ardens deſiderium alias

porro

porro vrbes Musarumque celebriores cœtus perlustrandi: cuius sui desiderii causas quum Parenti suo & amicis satis comprobasset, eiusdem anni auctumno dimittebatur, vt voto suo, quantum posset ac vellet, satisfaceret. Præ reliquis autem terris illas lustrare cupiebat, quæ parenti ipsius, vt & GEORGIO NOESLERO, itidem claro apud nos medicinæ Doctori, Mauritii Hoffmanni auunculo, originem dederant, & in quibus non paucos superesse nouerat cognationis iure ad se pertinentes. Celeriter itaque pertransibat Ienam & Lipsiam, vt & Wittebergam, neque aliud ibi, nisi doctos viros salutare & cognoscere, tunc quidem curæ habebat. Berolini, in splendidissima illa Electorali sede, aliquando longius moratus, ibique salutatis paternis amicis, visisque quæ in aula, vrbe & vicinia curioso spectatore digna essent, vsque ad Silesiæ metropolin Vratislauiam accessit, paternos in illo tractu illaque vrbe amicos salutaturus: quo facto, ad Francofurtum Viadro adiacens mentem direxit, vt Musarum sedem tunc florentissimam non inuiseret, vt priores illas, aut percurreret, sed, commorationi diuturniori iam antea a parente sibi destinatam, ad tempus aliquod placide inhabitaret. Et sane magna alacritate ad hæc loca contenderat noster, quippe cui Parens sæpe commemorauerat patriæ suæ & Heliconis illius iucunditatem, cuique porro optimam spem fecerat sibi in paternis ædibus cognita humanitas IRENAEI VEHRII, qui apud nos honores doctorales ante paucos annos consequutus, tunc medicinam in illa Vniuersitate maxima cum laude docebat. Ab hoc autem viro, quæcunque exspectauerat, abunde consequutus est, quum in ædibus & conuictu eius non minus iucunde quam fructuose degeret, & ex doctrinis eius tam publicis quam priuatis ad vtilitatem suam multa colligeret. Neque minus ipsi commodum & facilem se præbebat CHRISTOPHO-

RVS VRSINVS, Facultatis medicæ alter Professor, a cuius ore Hoffmannus noster cupide pendebat. Sed quo minus satis iucunde hic viueret, primum efficiebat anceps & difficilis, quo corripiebatur, morbus, quem tamen Dei auxilio & laudatorum virorum, qui impense ipsum amabant, diligenti cura & præsidio superauit. Valetudinem pristinam adeptus cupide optabat a philosophorum amplissimo ordine impetrare, vt sibi liceret disputando & prælegendo ingenii vires periclitari, sicque docendo porro discere; quod consilium ipsi fidelissimus præceptor DVRRIVS dederat: sed consuetudo illius academiæ contraria obstabat. Satis itaque habebat bonas horas, quas huic exercitationi daturus fuerat, sibi conseruare, & in bibliothecæ tam publicæ Academicæ, quam Pelargianæ, crebra visitatione, non sine insigni emolumento suo, consumere.

Anno integro sic Francofurti transacto, quum iterum iterumque valetudo hic vacillaret, consilia agitabantur de alia Academia visitanda. Et DVRRIVS quidem, philosophiæ præcipue intuitu, Helmstadium litteris familiariter scriptis commendabat: ibi enim sibi promte quondam permissum fuisse, vt se disputando & acroases instituendo exerceret, gratissime prædicabat, volebatque Hoffmannum idem iter tenentem ad philosophiæ palmam porro decurrere: ipse vero, approbante parente, Belgium Britanniamque inuisere optabat. Enimuero bellicæ turbæ, a Gallis tunc concitatæ & Belgium in primis affligentes, destinatis eius intercedebant, efficiebantque, vt tantisper domi euentum exspectare, & de tota re maturius cum parente & amicis deliberare, statuerit. Post non adeo longam in patria moram, quæ comparandis itineri necessariis danda erat, Italiam ingredi statuebat, præcipuorum, qui Norimbergæ & Altdorffii ad illud vsque tempus commorabantur, medicorum exemplo, quorum vix quisquam erat,

erat, qui non Alpes transiisset. Atque hunc quidem morem paulo superioribus temporibus omnibus fere Germanis communem, & ex parte necessarium, quum apud nos Academiæ pauciores essent, deinceps tamen diutius obseruasse Norimbergenses hanc potissimum ob causam videntur, quod Italia commerciorum causa huic emporio longe magis coniuncta & commoda est, quam vel Gallia vel Belgium, omninoque facile est Patauii degentibus per mercatores Venetiis aliisque in locis habitantes a suis necessaria tempestiue seu rescire seu consequi. Neque vero Hoffmannum nostrum hæ solum rationes hæcque exempla ad Italos inuitabant, sed potissimum valebat, quod Patauinum gymnasium, prouida Serenissimæ Reip. Venetæ cura, optimis & celeberrimis viris abundabat, a quibus in medicinæ studiis operæ pretium facturi insignes scientiæ accessiones sperare sibique promittere possent. Neque spem Hoffmanni nostri frustrabatur euentus: sed ita plane singula sibi ad votum comparata inueniebat, vt toto biennio minime exsatiari posset. Atque huius temporis maximam partem Patauii consumsit, audiendo Illustrissimos Comites, HIERONYMVM FRIGIMELICAM, nationis Germanicæ Protectorem, & ALEXANDRVM BORROMAEVM: tum & alios medicinæ Professores inclytos, RAYMVNDVM IOANNEM FORTEM, ANTONIVM MOLINETVM, DOMINICVM & ANTONIVM DE MARCHETTIS. Sed in primis se adiungebat Medico & Polyhistori eximio, CAROLO OFFREDO, cuius contubernio & conuictu fruebatur. Anatomiis sollennibus anniuersariis, ductu MOLINETTI habitis, neque minus botanicis demonstrationibus, quas in horto Academico GEORGIVS A TVRRE habebat, assiduus aderat. Fovebat etiam & adiuuabat industriam eius in anatomico studio ANTONIVS DE MARCHETTIS, qui priuatæ exercitationi aliquot hominum cadauera suppeditabat, ipsique metho-

dum extrahendi venas, arterias & neruos, artem vtique subtilem & laboriosa patientia circumspecte exercendam, præmonstrabat: quemadmodum ab eodem etiam in nosocomium, ad D. Franciscum Maiorem dictum, non exiguo suo bono, deducebatur: præsertim quum antea a DOMINICO, Antonii fratre, singularum chirurgiæ operationum rationes addidicisset, sicque præparatus de exercitio earum iudicare valeret. Ad chemiam excolendam admittebatur a IACOBO BARNERO, auctore chymiæ philosophicæ, haud contemnendi scripti, & EBERHARDO MELCHIORE, Germanis natione, & tunc artem illam, post IO. ZWELFERVM & OTTONEM TACHENIVM, itidem Germanos, in Patauina Academia docentibus. Quin desiderium videndi TACHENII, qui tunc Venetiis locupleti prouentu praxin medicam exercebat, & inclytum nomen ex chemiæ professione consequutus erat, nostrum in hanc ipsam vrbem pertrahebat, vt aliquanto familiarius hunc virum pernosceret. Ibidem vero innotescebat viro integerrimo IOANNI BEHMIO, medico celeberrimo & inprimis curioso, qui, quantum ægrotorum desideria gemitusque permittebant, chemiæ, vt & anatomicæ & botanicæ rei, aliisque ad naturalem historiam pertinentibus, magno studio & iucunditate impendebat, & ab illo tempore, quo HOFFMANNI virtutes primum cognouit, eidem impense semper fauit, litterisque familiariter scriptis amicitiam eius coluit: quæ posthæc magis confirmata fuit, cum ciuis Hoffmanni nostri, eiusdemque postea affinis, IO. FABRICIVS, Venetias paulo post iret, & eandem cum hoc humanissimo medico amicitiam, proxeneta HOFFMANNO, contraheret, quotidiana & familiari consuetudine multorum annorum confirmandam. Ex quo factum est, vt Hoffmannus postea per FABRICIVM maxime amicitias cum Italis contractas conseruaret, ipseque FABRICIVS nostro ad plures ineundas

viam

viam ſterneret. Sed & hæc res toti Altorfinæ Academiæ emolumento ceſſit: quippe BEHMIVS tam dilectum ſibi amicum iam Profeſſorum Altorfinorum collegio adſcriptum, etiam abſentem perpetuo colens, quum poſt aliquod tempus etiam FABRICIVS in idem cooptaretur, tam ὁμοψήφων in amore Almæ matris Altorfinæ amicorum memoriæ illud ultro dedit, vt ſui perpetuam recordationem apud illos exſtare cuperet, beneficio quodam inſigni & ſemper profuturo. Scilicet Excellentiſſimus BEHMIVS, vna cum præcipuæ dignitatis mercatore Germano, Venetiis habitante, CONRADO POMMERO, qui FABRICIVM vnice dilexerat, abeunti mille florenos hac lege dederunt, vt quamdiu ipſemet, vna cum coniuge quam ducturus eſſet, (duxit autem HOFFMANNI noſtri ſororem,) viueret, fructibus illius pecuniæ vteretur frueretur que: ambobus vero mortuis, illa ſumma Altorfinæ Academiæ perpetuo vſui elocaretur.

Sed e breui diuerticulo ad HOFFMANNVM, & cum ipſo Pataium, redimus. Is præter iam laudatos viros, medico futuro proxime inſeruientes, inſigni etiam modo admirabatur & colebat præſtantiſſimum oratorem OCTAVIVM FERRARIVM, cuius ſuauiſſima eloquentia tantopere ipſum in admirationem eius rapiebat, vt numquam deinceps, etiam valde iam ſenex, ſine inſigni delectatione & fructu lucubrationes eiusdem euolueret, & ad hoc bene ornateque dicendi exemplar ſe potiſſimum componeret. Ceterum non ſine honorum acceſſione Patauii HOFFMANNVS noſter vixit, quandoquidem inclytæ nationis Germanicæ Artiſtarum bibliothecarius primarius, & Bohemicæ Conſiliarius legitime conſtitutus fuit. Quam vero cupide elaborauerit his officiis rectiſſime præeſſe, vel illud perpetuo comprobabit monumentum, quod ipſi ſudore & labore ſuo ſtatuit, quum bibliothecam ſibi per-

missam in ordinem meliorem redegerit, & a se conscriptum illius indicem primus omnium typis excudendum curauerit: vt omnes, ad quos ille apparatus pertinet, bona sua nosse, &, quicquid optarent, ad vsum suum conuertere facilius possent.

Patauio relicto, reliquas per florentissimam Italiam Musarum sedes, si per tempus liceret, inuisere serio cupiebat: ne vero his diutius immoranti aliquid accideret, quod efficere posset, ne Romam, cuius lustrandæ præcipuo desiderio flagrabat, satis diu frequentare deinceps sibi liceret, per Ferrariam, Bononiam & Lauretanam domum celerius transiuit, quo citius ad vrbem perueniret. Heic vero summum Pontificem, CLEMENTEM X. consistorio publico præsidentem, contuitus, omnia deinceps antiquæ Romæ vestigia & rudera, nouæque decora, curiose lustrabat. Potissimum autem ipsum iuuabat viros adiisse, a quibus discere aliquid ad futuram vtilitatem suam posset. Atque hos inter præcipue faciles sibique fauentes habuit R. P. ATHANASIVM KIRCHERVM, & GVIL. RIVAM S. Pontificis chirurgum, quorum consuetudinem plurimum sibi delectationis & fructus attulisse sæpe prædicare solebat. Bibliothecæ Vaticanæ cupidus spectator, quum ad illam liberum aditum impetrasset, subinde admiratus est eius amplitudinem, atque librorum omnis generis copiam atque splendorem. In primis vero auide perlustrauit longe elegantissimum codicem MStum PLINII *Historiae naturalis*, qui artificiosis picturis passim illustratus est. Sæpissime etiam intrauit celeberrimum *Nosocomium ad Spiritum S.* vt omnis generis morborum ac curationum exempla oculis ibidem vsurparet.

Volebat Noster Neapolin etiam adire, nisi viarum minus tuta conditio, & nuncius de morbo contagioso ibi grassante, ac denique dissensus parentis, obstitisset, qui

qui reditum in patriam maturare repetitis vicibus iubebat. Cuius voluntati obſequutus noſter ita itineris rationes inſtituebat, vt per Viterbum, Senas, Florentiam & Piſam, ad portum Liburnum pergeret: vnde per Luccam progreſſus Bononiam iterum contigit, maiorique otio hac quoque Academia perluſtrata, ad Patauinam remeavit, vbi ſarcinis collectis itineri in patriam ſeſe accingebat, illudque poſt non longam moram ingreſſus feliciter abſoluebat.

Poſt biennem abſentiam patriæ ſuæ auctumno A. cIↃ IↃCLXXIIII. redditus IO. MAVRITIVS noſter, iubente patre & hortantibus amicis, profectuum ſpecimen publicum edere conabatur. Conſcriptam igitur a ſe theſium medicarum *de pinguedine* ſemicenturiam offerebat optimo præceptori ſuo IACOBO PANCRATIO BRVNONI, qui tunc Vniuerſitatis huius ſceptra tenebat, atque ab eo petebat, vt, cenſura earum inſtituta, deinceps publicæ diſquiſitioni præſideret: in quo cum beneuole aſſentientem habuiſſet, ipſum publicum hoc ſpecimen a. d. XXV. Nouembris, applaudentibus omnibus, edebatur.

Sequenti anno ſeſe præparabat honoribus Doctoralibus capeſſendis; quumque a gratioſa Facultate per examina legibus præſcripta exploratus ac comprobatus eſſet, publicum inaugurale ſpecimen, *de paroxyſmis frequentioribus & vehementioribus*, a. d. X. Iunii ſollemni diſquiſitioni ſubiiciebat. Hoc facto, doctorales honores in proxima panegyri Petro-Paulina, a brabeuta MAVRITIO HOFFMANNO, parente ſui amantiſſimo, conſequebatur.

Quam primum Doctoris titulo exornatus erat, totum ſeſe comparabat, vt iis, quas tamdiu diſcendo & peregrinando comparauerat, eruditionis opibus in ſtudioſæ iuuentutis plurimum fructum & ſolatium ægrotorum amplis-

amplissime vteretur. Approbante igitur patre suo, dissectionibus in primis diligentem operam nauabat, atque philiatris, in hoc genere exercitationum instituí desiderantibus, non minus perita manu, quam diserto & facundo ore, corporis nostri fabricam proponebat. Quum istis inter priuatos parietes bene peractis, impetrasset, vt iam philiatri non tam bene de ipso sperarent, quam dexteritati eius & fidei plane confiderent; amplius etiam comprobandi artem & industriam suam occasio subnascebatur. Obtingebat scilicet Parenti ipsius cadauer humanum studiosæ iuuentutis bono in theatro anatomico publice dissecandum: ad quem laborem parens doctissimus filium ita in partes vocabat, vt præparationem omnium ipsi peragendum relinqueret: sibi nihil prorsus, præter demonstrationem, reseruaret. Quin cathedram etiam medicam, approbante Asclepiadeo ordine sæpius conscendebat & thesium a se propositarum defensioni præsidebat. Huiusmodi laboribus per duos annos, non minus diligenter quam fructuose, defuncto, ad studii sui fructus amplissime percipiendos aditum parari æquissimum erat: præsertim quum is tunc esset medicæ Facultatis status, vt per novendecim annos omnis medicinam docendi faciendique labor duorum Professorum humeris incumberet, nostri autem parens, post triginta fere annorum Academicos labores, sensim debilitari se sentiret, & insuper aularum complurium iussis crebro auocaretur. Facile igitur impetrauit, vt sibi iam fatiscenti adiungeretur IO. MAVRITIVS suus, cui Illustres Academiæ Altorfinæ Domini CVRATORES A. CIↃ IↃCLXXVII. ad Panegyrin Petro-Paulinam sua præsentia ornandam huc profecti, medicinæ professoris publici extraordinarii munus honorifico ritu tribuebant, cum peculiari mandato, vt in anatome docenda ac facienda parentem sublevaret, chemi-

chemiam autem, quæ ſola ad hunc diem inculta hic manſerat, primus in patriam Academiam deduceret. Huius autem tantopere a ſe adamatæ diſciplinæ cauſa multum laborauit, donec commodam ipſi ac ſtabilem ſedem compararet. Et initio quidem domi ſuæ, mox in horto Academico, quam bene fieri poterat, nidum ipſi ſtruebat. Enimuero ea eſt huiusmodi laborum conditio, vt multa plane omittenda ſint, ſi commodo & apto loco deſtituaris: plurima non ſine moleſtia & periculo peragantur, ſi deſit exquiſite aptatum ad huius philoſophiæ culturam laboratorium. Hæc cum munificentiſſimis Academiæ Dominis Curatoribus expoſuiſſet, atque ſimul locum commodiſſimum exſtruendæ officinæ Vulcaniæ oſtendiſſet, totiusque operis ichnographiam exhibuiſſet, tantum abeſt, vt rem tam vtilem intra pia deſideria & vota ſubſiſtere permiſerint, ut potius ardorem illum HOFFMANNI, collata a. d. XII. Ian. CIↃ IↃCLXXXI. ordinarii Profeſſoris dignitate, compenſauerint, ac memorabili & numquam ſatis laudibus extollenda benignitate votis eius pleniſſime aſſenſerint. Sub ipſis itaque oppidi mœnibus, ex ſaxo quadrato & firmo conſtructis, ædificabatur illud, quod omnes laudant & admirantur, Laboratorium chemicum, totum lapideum, ſatis ſpacioſum, ſatis luminoſum, ſuperius fornicato opere clauſum, & tam probe munitum, vt nullum ſit ab igne etiam fortiori periculum. Huius iam conſtructæ & A. CIↃ IↃCLXXXII. abſolutæ officinæ quam frequens & occupatiſſimus incola ὁ μακαρίτης deinceps fuerit, æternum loquentur edita ab ipſo, poſt diſceſſum ex hac Vniuerſitate, *Acta laboratorii chymici Altorfini*, in quibus labores ibi a ſe peractos, vna cum rationibus illorum, ita accurate, &, neruoſo quidem dicendi genere, copioſe deſcribit, vt neſciam quis plura, veriora & medicinæ vtiliora, abſque pompa tamen & vanitate, ad hanc

diſciplinam illuſtrandam in medium contulerit. Atque vt diſcerent auditores chemicis medicamentis ad ſalutem ægrotantium recte vti, tunc, vel certe non multo poſt, cœpit IO. HARTMANNI *praxin chymiatricam* prælectionibus ſuis illuſtrare: quod inde potiſſimum colligo, quia ſubinde in litteris ſuorum quondam auditorum circa finem ſuperioris ſæculi ſcriptis mentio illarum occurrit. Auxit vero & perpoliuit illum laborem quotidie, donec in lucem tandem edere hunc fœtum, vltimis vitæ ſuæ annis decreuit.

Atque ab hoc tempore non lento gradu ad nominis celebritatem conſequendam Noſter procedebat, ſed plane concitato curſu pulcerrimum dolichodromum decurrebat. Et anatomen quidem publico in theatro, & domi ſuæ, ſumma diligentia excolebat; quumque *microcoſmus* celeberrimi IOHANNIS VAN HORNE præ reliquis commodus viſus eſſet, quo duce ſuos in topographia corporis humani cognoſcenda inſtitueret; ſuarum ad compendium hoc prælectionum & lucubrationum ſpecimina edebat, duodecim diſputationibus publicis propoſita, quæ tandem A. CIϽ IϽCLXXXV. abſolutæ & vni faſciculo incluſæ, ſub titulo *diſſertationum anatomico-phyſiologicarum ad* HORNII *microcoſmum*, prodierunt, auctorique ſuo non exiguum famæ incrementum dederunt.

Quumque eodem tempore medicinæ cupidorum ſatis magnus eſſet in hac Vniuerſitate numerus, quorum non pauci abſoluto hic ſtudiorum curriculo ad alias Germaniæ ſcholas viſendas, nonnulli etiam ad Italos, Gallos, vel Batauos excurrebant, fieri non poterat, quin præceptoris ſibi tantopere chari nomen vbicunque prædicarent: ad ipſum autem datis literis multam pietatem ſpirantibus ſubinde referrent, ſi quid vllibi nouiter inuentum publicaretur, aut ſi inſtrumenta prius cognitis aptiora excogitata

tata

tata essent, aut si plantarum in Altdorfino horto nondum visarum semina adipiscerentur, aut denique si medicinarum arcaniorum descriptiones nacti essent, aut curationes maioris momenti resciuissent vel intuiti essent. Multas inspexi huius generis epistolas, a viris tunc iuuenibus, Hoffmannianæ scholæ primis alumnis, celebre deinceps nomen adeptis, ex itineribus scriptas, ex quibus nominibus suis MICH. FRID. LOCHNERVM Norimbergensem, CHR. DAN. METZGERVM Ratisbonensem, BERNH. MATTH. FRANCKIVM Kiloniensem, DAV. ZOLLICOFERVM Heluetium, & IO. BENED. DE ZAPOTH Magni Czarii deinceps Archiatrum, laudasse sufficiat.

Quin summi etiam ordinis & nominis medici, aliique celeberrimi viri, HOFFMANNI amicitiam frequentibus litteris colebant, quibus simul vel filios aut cognatos scholæ eius commendabant, vel ex horto academico Floræ suæ suppetias quærebant, vel ad dignitates & officia alibi suscipienda ipsum sollicitabant, vel pro iuuenibus antea commendatis gratias ipsi agebant. Ex multis, quæ ad manus sunt, indicabo GEORGIVM FRANCVM, tunc Wittebergæ professorem, qui in causa filii hic commorantis sæpius amantissime scripsit, & circa annum 1691. serio & repetito Nostrum ad professionem anatomicam atque botanicam inuitauit: quemadmodum antea etiam GEORG. VVOLFGANGVS VVEDELIVS vltro significabat, Facultatem medicam Ienensem Nostrum in litteris ad Serenissimos Nutritores scriptis inter illos posuisse, ex quibus seligi optarent, qui in locum GVNTHERI CHRIST. SCHELHAMMERI discessu vacuefactum surrogaretur; idemque postea crebris litteris filium disciplinæ Hoffmannianæ traditum commendauit. Iam laudatus SCHELHAMMERVS botanicæ rei adminicula sibi Helmstadium mitti rogabat; & pro impetratis ex sua supellectile paria reponebat. ANTONIVS MAGLIABECCHIVS ami-

citiam noſtri ſponte quærebat, litteris per IOANNEM FABRICIVM miſſis: quas primas crebræ deinceps aliæ ſubſequebantur, multis nouitatibus litterariis repletæ, ſæpisſime nouiſſimis libris comitatæ.

Sed longe honorificentiſſimum Noſtro erat ab inclyta Academia Cæſarea Naturæ Curioſorum collegam A. cIↄ Iↄc LXXXIIII. adſcitum fuiſſe, & ſtrenua induſtria in transmittendis obſeruationibus ſelectiſſimis commeruiſſe, vt quinto anno poſt illam adſcriptionem, diplomate ab Illuſtri tunc Præſide IO. GEORGIO VOLCKAMERO transmiſſo, inter illos referretur, quorum conſilio res maioris momenti ad vniuerſam Societatem pertinentes adminiſtrantur, vnde Præſidi Adiunctorum nomine inſigniuntur.

Atque hæc fere ſunt, quæ primis publicæ profeſſionis ſuæ annis IO. MAVRITIVS noſter diligentiæ aſſiduæ ſpecimina dedit, hique fructus, quos collegit. Neque tamen docendo tantum aut commentando adſtrictus domi perpetuo reſidebat, & artis exercitium negligebat: ſed cuiuis operam ſuam expetenti in hac etiam medici officii parte ſatisfaciebat: cuius rei documento ſunt quam plurimæ litteræ a Sereniſſimis & Illuſtriſſimis perſonis ad Noſtrum exaratæ. Enimuero Noſter huius generis laboribus libenter ſuperſedebat, quamdiu Parentis optimi eæ vires erant, ut ad ſe confugientibus ægrotis ſuccurreret. Poſtea vero quam ille annis & laboribus attritus nimium requiem deſiderare cœpit, quod moleſtioribus itineribus ineptum ſeſe ſentiebat, quod fere ab A. cIↄ Iↄc XCV. accidebat, a tranquilliori cum Muſis conſuetudine & prælectionum ac commentationum Academicarum aſſiduitate ſæpe nimis longe diſcedere cogebatur. Huius etiam actiuæ magis & diſtractæ vitæ rationes dare iuuerit. Accidebat anno antea indicato, vt vernali tempore Sereniſſimus

mus Marchio Onoldo-Brandenburgicus D. GEORGIVS FRIDERICVS variolatum epidemio morbo, pluribus ex Serenissima hac domo antea fatali, corriperetur: vnde IO. MAVRITIVS noster ipsis feriis Pentecostalibus quam celerrimis nuntiis aduocabatur, vt tanti Principis valetudinis curam gereret. Superato feliciter hoc morbo clementissimus Princeps, HOFFMANNI in arte spectatam peritiam, morumque recte compositorum elegantiam, vsque adeo adamabat & admirabatur, vt ipsum Consiliarii & Archiatri honoribus exornaret, stipendio honorifico clementissime adiecto. Eiusdem anni auctumno cum eodem Principe ac Domino suo concedente Perillustri Magistratu Norico, iter in Italiam suscipiebat, quo primum *Mediolanum* visebatur, hinc castra ad *Casale S. Euasii*, quod munitissimum propugnaculum, tunc iam ad extremum discrimen redactum Fœderatorum exercituum diuturna oppugnatione, tandem penitus solo æquatum fuit, lustrabatur: deinde aulam *Taurinensem* cum Principe suo visitauit: ab hac per Astam Pompeiam & montanum, qui interiacet, tractum, satis difficili itinere, Genuam peruenerunt. In hoc amplissimo & elegantissimo emporio, virium reficiendarum causa, aliquantisper morati, hinc porro, ad Principum in illa Italiæ Cispadanæ parte aulas ordine inuisendas, iter per Parmam, Guastallam, Mantuam & Mutinam prosequebantur, donec anno illo exeunte ad florentissimum emporium Venetum appulerunt. Huius vero amœnitas, & hospitum, qui eo confluxerant, frequentia ac varietas, tantopere Serenissimum Principem delectabat, vs vltra trimestre temporis spatium iucunde hic transigeret: HOFFMANNO nostro, quantum a Principe abesse licebat, fere consumente familiari cum BEHMIO suo consuetudine, aut cum aliis eruditis viris, in quorum cognitionem recens peruenerat. Venetiis relictis, per Bo-

noniam & Lauretanam domum, recto itinere Neapolin petebant, vt hanc adeo decantatam totius regni metropolin, cum circumiacentibus locis, monteque igniuomo Vesuuio, oculis vsurparent. His spectaculis satiatos Roma ad se vocabat, vt quae ibi Dominica Palmarum, die Viridium & paschali sollemniter religioseque quotannis fiunt, coram intuerentur, & deinceps reliqua amplissimae vrbis decora per otium considerarent. Nostrum maxime tunc iuuabat innotuisse LVCAE TOZZIO, S. Pontificis cubiculario medico, cui tunc recens editorum Miscellaneorum Acad. Nat. Curiosorum volumen, ab Illustri SCHROECKIO Venetias transmissum, offerebat; & IO. MARIAM LANCISIVM, qui TOZZIO postea in eodem munere successit, virum eruditissimum, & litterarum patronum maximum; & IO. BAPT. TRIVMFETTI, botanicum celeberrimum, cognouisse, cum quo postea crebrum ipsi fuit litterarum commercium, ita vt semina plantarum noster Romam, ille Altorfium mitteret, tandemque humanissimum virum Academiae N. C. sociis adscribi apud Illustrem Praesidem LVCAM SCHROECKIVM efficeret. Roma discedentes per Hetruriam itinere celeriori pergebant, nullibi, nisi in Florentina metropoli, multum commorati, vt ante in Germaniam reuerterentur, quam magni calores Italos exurere inciperent. Sed hic iucundissimum Nostro erat cum ANTONIO MAGLIABECCHIO, Magni Ducis bibliothecario, veteri suo amico, cum FRANCISCO REDI, nobili Aretino, NICOL. BELLINO, anatomes totiusque medicinae gnarissimo viro, colloqui, etsi bibliothecam toto orbe celeberrimam, quantum vel ipse videre, vel Praefectus illius humanissimus ostendere gestiebat, ob festinandi legitimas causas, vsurpare non licebat, quod proximis litteris suis Magliabecchius valde deplorabat: quemadmodum etiam DOMINICVS GVGLIELMINVS officiose

scriptis

ſcriptis litteris ſignificabat, quantopere doleat, quod præſens in vrbe non fuiſſet, cum Hoffmannus noſter Mutinam anno ſuperiori tranſiens inuiſere ipſum vellet.

A tam longa & difficili excurſione ſaluus & incolumis noſter Altorfium a. d. xx. Iunii cIↃ IↃCXCVI. reuertebatur, nihilque magis curæ habebat, quam vt diuturnam abſentiam maiori diligentia penſaret, eoque alacrius ad labores ſecum obeundos deduceret philiatros, quo diutius feriati eſſent. Enimuero inuitum ab hac induſtria retrahebat Noſtrum Celſiſſimus Princeps ſuus, qui nunc in caſtris ad Rhenum copiis fœderatorum aduerſus Gallos bellantium præerat, &, ob morbos ingruentes ſibi metuens, exeunte Auguſto mandabat, vt quam celerrime ad ſe excurreret; quæ tamen abſentia breuior fuit & medio Octobris finem conſequuta eſt. Sperabat iam noſter fore, vt ſine noua auocatione ſecum, & cum Muſis ſuis, habitare ſibi per hybernos menſes liceret: ſed longe aliter accidebat. Sereniſſimus enim Dux Würtembergico-Weiltingenſis, FRIDERICVS FERDINANDVS eodem menſe exeunte mittebat aliquem ex aulico miniſterio, qui Noſtrum, vna cum Norimbergenſi medico percelebri, SEPTIMO ANDREA FABRICIO, ad ſe adduceret, vt in commune conſulerent, quo pacto Sereniſſimæ coniugi ſuæ, a melancholia grauiter uexatæ, ſuccurrendum eſſet.

Quum ſequenti anno per pacem Ryſwicenſem omnis Europa ab armis auocaretur, ad Noſtrum etiam tranquillitatis redditæ ille fructus redundabat, vt per quatuor fere annos pauciores auocationes eſſent, quibus a conſueta induſtria retraheretur: fereque ſufficeret ad inuiſendum Sereniſſimum Principem ſuum aliquot dies impendere. Iſto temporis interuallo contigit Noſtro rara illa felicitas, vt feminæ grauidæ, quæ ſeipſam in Pegneſi

vndas

vndas præcipitem dederat, cadauer in theatro anatomico dissecandum exeunte mense Martio A. cIↄ Iↄcxcvii. nancisceretur. Huius alacriter susceptæ & feliciter absolutæ dissectionis gaudium magna calamitas domestica, subito in Nostrum incidens, nimium turbabat. Ipso enim Parasceues die, Dei nutu, accidebat, ut Parens nostri dilectissimus, MAVRITIVS, forti apoplexia corriperetur & vitæ laudabilis finem faceret, ex se autem prognatorum, & nepotum suorum, pectora graui luctu obrueret. Huius obitu vacuefactam Horti medici præfecturam, & cum ea coniunctam botanices professionem, gratiosissime in Nostrum contulerunt Illustres Academiæ Domini CVRATORES, idque insuper leuando dolori, & ceteris insignibus Viri meritis, dederunt, vt commodissimam Collegii academici partem, a beato Parente habitatam, et theatro anatomico ac laboratorio chemico arctissime coniunctam, Nostro attribuerent. Quam parum præmeditatus hunc euentum is fuerit, quamque ab inquirendo in patrios annos aliena pietas eius manserit, vel hoc argumento cognosci poterit, quod affinis sui IO. FABRICII, eodem anno ad Professionem theologicam in alma IVLIA capessendam ire parantis, commodas & ab ipso fundamento recens constructas ædes, ad forum sitas, magno ære comparauerat: quarum nunc possessio omnis fere superuacua, imo oneri Nostro reddebatur. Nec hæc sola erat, quæ in nostrum hoc anno conferebatur, honorum accessio: verum etiam Rectoris Vniuersitatis Altorfinæ graue munus, quod A. cIↄ Iↄclxxxvi. primum gesserat, in humeros eius, ordine sic postulante, secundum imponebatur, iusto integri anni spacio ferendum.

Annus noui sæculi primus ad itinera frequentiora Nostrum reuocabat. Aestatis enim initio iubebatur cum Serenissima Principe ac Domina WILHELMINA CAROLI-

ROLINA, nunc Magnæ Britanniæ Regina pia, felici, ad thermas Emſenſes abire, ibique potandarum acidularum Sualbacenſium vſum conſilio moderari: quæ peregrinatio vel propterea Noſtro iucundiſſima eſſe debuit, quod ipſi Summos & Celſiſſimos Imperii Principes Electores, Moguntinum & Treuirenſem, vt & Sereniſſimum Landgrauium Haſſo-Darmſtadienſem, ſubmiſſe ſalutandi & ſplendidiſſimas illorum aulas videndi copiam fecit.

Enimuero paulo moleſtius ipſum præſtolabatur iter iam adulto auctumno, in gratiam Sereniſſimi ſui Principis, ſuſcipiendum. Exarſerat in Italia magnum belli incendium, poſtquam Rex Hiſpaniarum CAROLVS II. mortalium rebus exemtus erat. Ad hoc exſtinguendum Auguſtiſſimus Imperator LEOPOLDVS, cum aliis fortiſſimis copiarum ſuarum ductoribus, etiam Sereniſſimum Marchionem GEORG. FRIDERICVM, Generalis campi Mareſchalli Locumtenentis munere fungentem, quam celerrime miſerat, qui, cum exercitus variis morbis caſtrenſibus diuexaretur, ad hunc medicum ſuum, iam toties ſibi ſalutarem, ſcribebat, vt celerrimo itinere, omnibus rebus poſthabitis, ad ſe deuolaret. Tanta promtitudine Noſter iuſſa capeſſebat, vt, quum a. d. x. Octobris hinc abiiſſet, Principi ſuo ac Domino eiuſdem menſis die XIX. de ſalute ac incolumitate coelitus conſeruata in caſtris ad *Chiaram* gratularetur. Tunc quidem multis fortiſſimis Ducibus conſiliis ſuis plurimum proderat, præcipue autem ad Sereniſſimi Principis ac Domini FRIDERICI, Landgrafiatus Haſſo-Caſſelani Heredis, qui nunc Suecici regni habenas fortiter & feliciter tenet, valetudinem reſtituendam conſilium & operam ſuam cum aliis feliciter ſe contuliſſe, ſubinde gaudebat. Expeditione illius anni, circa Decembris exitum, tandem finita, Principem ſuum ad hyberna in Mantuanum Ducatum ſequebatur: inde

vero, impetrata venia domum remeandi, Venetias properabat, ipsisque Kalendis Ianuariis A. cIɔ Iɔccɪɪ. ex hac vrbe profectus, octauo die Onoldum attingebat, & paucis interiectis Altorfium ingrediebatur.

Exeunte Martio mense ad castra Cæsareorum in Italia, inque iis Principem suum Clementissimum, concedente Perillustris Reip. Norimbergensis Senatu, abeundum erat. Hoc vero anno, non minus quam superiori, plurimis, quos nominibus suis recensere longum esset, summi ordinis Principibus & Ducibus Cæsareis arte salutari succurrebat, subinde cum maximo suo periculo, si vel prope loca ab hostibus occupata transeundum esset, vel in palantium militum, aut prædas agentium, cateruas incideret: vt Deo magnas grates persoluendi causas haberet, quod aliquoties tormentorum missiles globos et sclopetorum glandes illæsus pertransiuerit. Aestatis initio Augustissimus Imperator Serenissimum Marchionem Onoldinum ex Italia reuocabat, vt Landauio obsidione a nostris cingendo & expugnando operam atque consilia conferret. Hac re fiebat, vt & Nostro HOFFMANNO liceret ad patriam reuerti, qui tamen, quam inter medios hostes euitauerat, immaturam mortem vix effugiebat, vbi a telis hostium nihil metuendum amplius erat. Nam cum prope Oenipontem vehiculum, cui insidebat, subuerteretur, & per decliuia magno impetu deuolueretur, graui lapsu caput allidebatur, vt sublatus tandem & Oenipontem deuectus, ibi aliquantisper morari, & medicinam sibimet facere, cogeretur. Vbi primum vires collegerat, iter tamen, quamuis vacillante corpore, & tertiana febre correptus, prosequebatur, donec Onoldi & deinceps Altorfii, quo exeunte Iulio venerat, maiori otio sui rationem habere & morbum profligare liceret.

Sequen-

Sequenti anno cIɔ Iɔcc III. per ipſa viſcera Germaniæ truculentus Mars graſſabatur, idque belli incendium Altorfinam vrbem nimis prope attingebat. Tunc Sereniſſimus Marchio GEORG. FRIDERICVS aduerſus hoſtiles in Bauaria exercitus fortiter pugnans, in velitatione aliqua iuxta Schmidmuhlen, Palatinatus ſuperioris oppidum, grauiſſime vulneratus a. d. XXVIII. Martii animam Creatori reddiderat: ad quem vocatus quidem Noſter nihil amplius valebat iam demortuo præſtare, quam vt pro ea temporis ac loci commoditate, quæ in pago, & proxime conſidentibus hoſtibus, dabatur, corpus ad longiorem durationem, mille interſperſis lacrymis ſuis, condiret. Enimuero tantum aberat vt gratia Sereniſſimæ Domus in ipſum cum hac morte exſpiraret, vt potius Sereniſſimus ſucceſſor, Dominus WILHELMVS FRIDERICVS, illico Noſtrum, ad idem ſibi munus in poſterum præſtandum, clementiſſime allegeret: cuius exemplum ſequenti anno imitabatur Sereniſſimus Dux Solisbaco-Palatinus, Dominus THEODORVS, qui quum ſuum archiatrum D. D. IO. LVDOVICVM APINVM, apud nos medicinæ profeſſorem, digniſſimum longiori vita virum, amiſiſſet, valetudinis ſuæ curam Noſtro pariter committebat: quemadmodum A. cIɔ Iɔcc VI. a Sereniſſimo Marchione Culmbaco-Brandenburgico, Domino CHRISTIANO ERNESTO etiam vocabatur, vt Conſiliarii atque Archiatri ſui dignitates ſuſciperet. Tot aularum miniſteriis ordinariis impeditum & diſtractum inſuper alii Proceres Imperii certatim expetebant, vt ſibi ſuisque ſuccurrere vellet: quumque Ipſum noſſent ita animatum, vt a munere Academico non niſi valde inuitus diſcederet, ſubinde apud Principes, quorum miniſterio addictus erat, precibus ſuis efficiebant, vt ab his ad ſe mitteretur, vt cognoui ex pluribus Illuſtriſſimorum Comitum & Baronum,

 ronum,

ronum, quas inſpexi, litteris. Et ſane multos habeo teſtes, quam cupide, ardentique ſtudio ſatisfacere philiatrorum deſideriis optauerit: Vix pedem ædibus ſuis, ab itinere redux, intulerat, quum iam ad philiatrorum muſea excurreret famulus, qui ſimul aduentum & prælectionum horas indiceret. Certe induſtriam comprobare, ſi aliud nullum exſtaret argumentum, abunde debet, diſſertationum ab ipſo elaboratarum numerus, quarum in *Idea machinæ humanæ anatomico-phyſiologica*, quæ CIↃ IↃCC III. in publicum prodiit, viginti, totum diſciplinæ ambitum complexæ, & ab anno CIↃ IↃCLXXXVI. in ordine circulari propoſitæ, iunctim exhibentur: præter quas tamen eodem interuallo editæ publicæ diſputationes tredecim inueniuntur. Atque hæc inter nec anatomica exercitia ceſſabant, nec laboratorium chemicum frigebat, nec hortus cultura deſtituebatur: quin potius ſumma induſtria curabatur, vt in maius & melius proueheretur; florente commercio botanico cum Italis per laudatum TRIVMFETTVM & BEHMIVM, cum Lutetienſibus per ANDREAM GVNDELSHEIMERVM, qui tunc ab itinere per orientales prouincias, cum TOURNEFORTIO peracto, redierat, & præceptorem hunc ſuum τὸν μακαρίτην Noſtrum, crebris ac officioſiſſimis litteris ſalutabat: quibus deinceps etiam acceſſerunt, vt ex litteris excerpere licuit, HERMANNVS BOERHAAVE, profeſſor Lugdunenſis, & IO. HENR. HEVCHERVS, tunc Wittebergenſis Profeſſor, nunc Potentiſſimi Regis Poloniæ Electoris Saxoniæ Archiater digniſſimus, vt & IO. SIGISMVNDVS HENNINGERVS, Argentoratenſis Vniuerſitatis Profeſſor, de medicinali materia in primis bene meritus: vt taceam multos Floræ amatores priuatos, qui ſubinde ſuas huc mittebant plantas, vt alias ex noſtro horto reciperent.

His

His laboribus continuo deditus HOFFMANNVS Noſter annum huius ſæculi nonum contingebat, quo meritiſſimus vir IACOBVS PANCRATIVS BRVNO, optimus Senex, & non ſolum ordinis ſui, ſed & Vniuerſitatis totius, Senior, mortalibus rebus eximebatur: quo facto non ſolum ad primariam Facultatis medicæ cathedram promouebatur, verum etiam omnium in tota Academia docentium, ſi officii annos numeres, Senior reddebatur. Sed & tacite iam tunc Noſtro ſubrepſerat ſenectus, atque ætatis vigor langueſcere incipiebat: in primis autem oculorum acies, quæ in anatomes profeſſore requiritur, imminui coeperat. Quare, ad praxin medicam docendam vocatus, tanto æquiori animo dimittebat anatomes adminiſtrationem, quo certius prouidebat, fore vt ea nihil detrimenti caperet, ad D. D. LAVRENTIVM HEISTERVM deferenda. Hoc vltimo vitæ academicæ ſtadio omnem operam ſtudiumque conferebat ad *diſquiſitionem corporis humani anatomico-pathologicam, rationibus & obſeruationibus veterum & recentiorum, ſingulari ſtudio collectis, confirmatam*, quam quidem viginti diſſertationibus, in circulo Academico, per partes ordine exhibuit: abſolutam deinde CIↃ IↃCC XIII. vno faſciculo complexus eſt. Dici facile non poteſt, quanti laboris, quantiue iudicii, ſit opus illud, non vagis & ſubito enatis cogitationibus, ſed ſollicite conquiſitis ex optimis ſcriptoribus, innixum & ſuperſtructum obſeruationibus, vt non poſſim non exoſculari iudicium beati viri D. D. LVCAE SCHROECKII, Illuſtris Acad. Nat. Curioſor. Præſidis meritiſſimi, qui Ephemeridum noſtrarum ſuccum quaſi & ſanguinem hic inueniri grauiter agnouit & ingenue profeſſus eſt.

Atque hoc quaſi cygneo cantu, dulciſſimo ſane & omni poſteritati delectabili futuro, Academicæ ſtationi vale dixiſſe ὁ μακαρίτης Noſter mihi videtur. Etſi enim

nihil magis in votis habebat, quam in patria consenescere, & ad beate defuncti parentis latus mortalitatis suæ spolia deponere: aliter tamen visum fuit illi, (propria eius verba reddo,) qui res mundanas sapientissime temperat, cuius sanctissimo nutui obtemperare, alio migrare, patriosque relinquere fines quasi coactus fuit. Serenissimus enim Marchio Onoldo-Brandenburgicus, Dominus WILHELMVS FRIDERICVS, e re sua, atque Celsissimæ Domus suæ, maxime futurum existimabat, si tam spectatæ probatæque fidei & peritiæ medicum continenter præsentem haberet: vtque tandem impetraret, præter reliquas honestas lautasque conditiones, Consiliarii etiam aulici dignitatem adiiciebat. Quum igitur τῷ μακαρίτῃ Nostro incolumitas tam celsæ domus, sibique & parenti suo semper clementissimæ, vnice curæ cordique esset, firmiterque persuasum haberet, fore vt familiæ suæ optime, sub tanti Principis tutela, consultum esset, DEI se nutu ad nouam stationem euocari nullus dubitans, a Perillustris Reip. Norimbergensis Senatu honorifice dimissus, domicilium optima spe ac fiducia Onoldum, exeunte anno sæculi huius XIII. transferebat, haud quidem ratus fore, vt tanta negotiorum mole mox obrueretur, quæ ipsum impediret officiosum Vale illi Vniuersitati dicere, in qua tamdiu vixerat, vt omnes, quos cooptatus collegas coluerat, eosdem morte ablatos cerneret, solusque in orchestra remaneret, non feretro auferendus, sed DEI nutu in viciniam dimittendus. Quum vero præter opinionem id accideret, vt optato reditu intercluderetur, officiose scriptis ad Senatum Academicum litteris, Vniuersitati huic pietatem suam ostendebat, excusationeque ab ineuitabili necessitate petita veniam omissæ publicæ sollemnisque valedictionis deprecabatur. His vero Senatus Academicus a. d. XXI. Martii CIↃ IↃCCXIV.

proli-

prolixa ſignificatione voluntatis ſuæ in HOFFMANNVM ſuosque perpetuo propenſiſſimæ reſpondebat, ſimulque oſtendebat, quantopere optaret, vt Collegæ ſuo Seniori, per tot annos ſpectatiſſimo, fauſta omnia & fortunata euenirent.

Reſtat itaque vltima quaſi ſcena vitæ laudabilis τῦ μακαρίτυ HOFFMANNI, in ipſo ſplendidiſſimæ aulæ conſpectu tranſactæ. Primarius ipſi, imo vel ſolitarius, labor eſſe debebat, vt valetudini Celſiſſimi Principis WILHELMI FRIDERICI, atque Sereniſſimæ familiæ eius, inque hac vnici hæredis & iuuentutis Principis, Domini CAROLI GVIL. FRIDERICI, qui nunc rerum potitur, inuigilaret. Atque huic tanti vtique momenti officio tam alacriter tantaque fide & induſtria ſatisfecit, vt Clementiſſimi Principis gratiam abunde promeruerit, atque, poſtquam apoplexia mortalibus rebus eum eripuerat, conſtanti tamen gratia apud Sereniſſimam Principem Marchioniſſam floruerit. Enimuero tam ſpectati viri conſiliis & opera vti quoque aliæ ſummi ordinis perſonæ diſcupiebant, adeoque apud Dominum eius precibus ſuis efflagitabant, vt frui illo ad tempus aliquod liceret. Id præcipue faciebat Sereniſſima Poloniæ Regina, Domina CHRISTINA EBERHARDINA, quæ fontis Burgbernheimenſis vſum, ex conſilio Hoffmanni noſtri, A. CIↃ IↃCCXVII. vt & ſequenti anno, ſalutarem ſibi experta eſt, atque operam ſibi tam proficuam largiſſima remuneratione compenſauit. Non dicam, quoties ad proxime vicinos Illuſtriſſimos Comites & Nobiles excurrerit, aut per litteras in grauiſſimis ſæpe morbis conſultus, ea præſcripſerit, quæ ſaluti recuperandæ proficua eſſent, quamque vtilem ſæpe operam aulæ florentiſſimæ Proceribus in valetudinis diſcrimine conſtitutis nauauerit.

Quic-

Quicquid autem ab his laboribus relinquebatur temporis, id vtilissime consumebat scriptorum suorum recensione & elimatione, quae satis domi perpolita, in communem reipublicae litterariae vtilitatem, publica luce donabat. Non parum otii sui consumebat condendis obseruationibus pulcerrimis, quibus Ephemerides Academiae nostrae exornaret, quas tam diligenter exhibuit, vt vix quisquam Ipsius industriam & in communicando ἀφθονίαν vicerit: de quo multa hoc loco dicere non opus est, quum cuiuis commentarios istos euoluenti facile sint obuia isthaec diligentiae Hoffmannianae documenta, aere & marmore quouis perenniora. Sed maius restabat officium Illustri Societati huic praestandum. Scilicet ad meliorem vitam translato illustri LOCHNERO, circumspiciendum erat, quis ipsius in locum surrogari posset, qui officio *Directoris Ephemeridum Academiae Naturae Curiosorum* digne fungeretur. Quumque & venerandus Praeses, & excellentissimi Domini Adiuncti, nullum digniorem in suo ordine viderent HOFFMANNO nostro, communibus votis hoc munus, non parum laboriosum, ipsi decernebant: quorum suffragiis iunctae preces tandem effecerunt, vt onus illud humeris suis imponi A. cIↃ IↃCC XXI. pateretur, & cum ipso honorificos titulos Augustissimorum Caesarum clementissimo decreto Directori adiunctos, *Sacrae Caesareae Maiestatis Archiatri, S. Palatii Lateranensis, Aulaeque Caesareae & Consistorii Imperialis Comitis, ac S. R. I. Nobilis*, adipisceretur.

Quam vero sollicite omnibus huius muneris partibus satisfacere studuerit, quamque sedulo cum Venerando Praeside, & Nestore illo Societatis nostrae, illustri D. D. GODOFREDO THOMASIO, consilia in rebus ad societatem pertinentibus communicauerit, eius rei testes habeo crebras litteras a duumuiris hisce ad ipsum datas, tunc maxime, quum

quum Ephemeridum noſtrarum volumen ab ipſo procuratum, ſub titulo *Actorum phyſico-medicorum Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum*, Norimbergæ A. cIↄ Iↄcc xxvii. ſub prælo ſudaret.

Tantopere occupati viri valetudinem, ſenectute iam ingraueſcente, articularis morbus, hæreditate in ipſum translatus, grauiter vexabat: ſed ad ſubruendas vires iuſtus dolor ex caſibus aduerſis non parum ſubinde faciebat: in primis autem cum patriæ Sereniſſimus Parens, idemque Dominus Noſtri Clementiſſimus, nemine exſpectante, forti apoplexia cIↄ Iↄcc xxi. abriperetur; & ſequente anno vnicus Noſtri filius, Sereniſſimi Principis Conſiliarius & aulæ medicus, immatura morte, quam hydrops pectoris produxerat, viuentium commercio eximeretur. Vt igitur animum recrearet, ſimulque corporis vires refocillaret, æſtate A. cIↄ Iↄcc xxiii. ad dulciſſimam patriam ſuam tantiſper excurrebat, vt gaudii incredibilis, quo tunc Vniuerſitas illa, Sæcularia ſua ſollemniter celebrans, perfruebatur, ipſe quoque particeps redderetur. Et ſane omnibus acceptiſſimus, neque priuato ſolum nomine, aderat, quum perſonam legati Academiæ Heidelbergenſis ſuſtineret, atque inter omnes, qui ſplendorem iſtis ſollemnibus honorifica præſentia ſua addebant, primo loco haberetur.

Sequenti anno ὁ μακαρίτης iubebatur ad thermas Carolinas, cum Sereniſſima Principe terrarum Onoldo-Brandenburgicarum tutrice, proficiſci, ibique vſum fontis illius ad inſtaurandam & confirmandam valetudinem Eius, iam tunc vacillantem, conſilio ſuo moderari. Ad hanc curationem in partes tunc vocabatur vir experientia multorum annorum fontis illius naturam pleniſſime edoctus, D. Lic. IMMANVEL HENR. GARMANNVS, Schneebergenſis ciuitatis medicus & conſul meritiſſimus: cuius

dexteritatem nunc experta, probitate autem & morum elegantia delectata Princeps Serenissima, mox coepit cogitare de hoc viro aulæ suæ adscribendo, vt HOFFMANNVM senem subleuaret, illique aliquando succederet. Et sane gratissimum hunc sibi collegam dari ipse quoque Hoffmannus noster vnice optabat, ideoque nullum arietem, expugnando proposito eius idoneum, non adhibebat: tandemque ad aulam accedentem ita colebat, vt mutuis inter se amicitiæ officiis certarent.

Hæc inter annum ætatis septuagesimum quartum Vir optimus attigerat, nec parum decrescere in dies corporis sui vires satis iam intelligebat: quo magis de exitu ex hac vita proxime exspectando cogitabat. Vt autem, qui tota sua vita, docendo & exercendo salutarem artem, aliis profuerat, sub ipsum eius finem aliquid perageret, quod duraturo fructu medicinæ addictos iuuare ac erudire posset, ad incudem reuocabat ea, quæ florente ætate ad praxin chymiatricam HARTMANNI commentatus fuerat, quæque in gratiam filii FRIDERICI MAVRITII multis accessionibus auctiora reddiderat, eaque typographo excudenda permittebat: cui subiungebat longe elegantissimum, & summo cum iudicio elaboratum opusculum, cui titulum fecerat: *Prolusiones de remediorum delectu.* Quum illius operis editionem iam absolutam vidisset, & Serenissimo Principi, Domino CAROLO GVILIELMO FRIDERICO, Principatus Onoldo-Brandenburgici vnico hæredi, obtulisset, breui post in extremam ægritudinem incidebat. Nam quum podagrico morbo a multis iam retro annis statis temporibus laborasset, nunc a triennio factum fuerat, vt fatiscentes corporis vires, ad extremos artus proiicere hunc hostem, & impuritates ibi despumando, interiora tuta præstare non amplius valerent. Hinc varii irregulares spastici motus pas-

sim

ſim emicabant, & non raro extremum vitæ periculum, pectoris præcipue conſtrictione & anguſtia incredibili inualeſcentibus, afferebant: qui tamen atroces morbi impetus, diuina adſpirante gratia, facilius ſuperabantur, donec Octobri menſe A. cIↃ IↃcc xxvII. grauiſſimo impetu, totisque viribus, diri ſpaſtici motus ipſum corriperent, moxque lingua quaſi paralyticum quid pateretur, vt loquela fere tota ſublata videretur. Quantum territa his tam ſonticis malis fuerat nobiliſſima eius familia, tantam ſpem recipiebat, quum podagrici dolores, pleno impetu, in manus pedesque irruerent, adeoque linguam & interiores partes tantiſper liberarent. Sed quam fallaces ſunt ſpes hominum! quam parum natura ſenio fracta aduerſus grauitatem morbi, virilem vegetamque ætatem requirentem, valet! hacque ſuccumbente quid optimi medici & medicinæ efficaciſſimæ iuuant! Nimirum mox retrocedens ab artubus noxia materia, motusque ad interiora viſcera conuerſi, febrem lentam accendebant, perpetua oris & faucium ſiccitate moleſtiſſimam: pectus adeo conſtringebatur, vt vix ſpiritum amplius duceret, artus tremebant, nulla a ſomno recreatio impetrari poterat, viresque in ſingula momenta magis magisque proſternebantur, donec inter pias preces & amplexus cariſſimæ coniugis ac filiarum nobiliſſimarum, coniunctiſſimorumque amicorum, animam placide cœlo reddidit a. d. vltimum menſis Octobris, quum illam teſtaceo fragilique domicilio corporis incluſam per ſeptuaginta & quatuor annos, diesque viginti quinque, circumtuliſſet numquam otioſam, numquam diuinæ originis nobilitate indigna agitantem.

Supereſt, vt de animi corporisque dotibus eximiis, quæ in beato Viro eluxerunt, deque re ipſius familiari, paucula ſubiungam, & enarratis ſcriptis, quæ in lucem

 edidit,

edidit, hanc commentatiunculam meam concludam. Corpus a natura nactus fuit mediocriter procerum, firmum, & ad robur æque ac aptam agilitatem honestis & liberaliter educato homine dignis exercitiis confirmatum. Vultum gerebat liberalem, decorum & ad gratiam ac grauitatem æqualiter compositum. Habitus corporis is erat, qui nec inerti mole oneraret, nec ferendis laboribus impar esset, parum obesus, ad venustatem tamen sufficienter plenus, quique inter ipsas seniles rugas charites suas ostendebat. Incessus erat placidus & moderatus. Sermonem facilitas & gratia commendabat; ipsa voce virilem grauitatem, cum admirabili quadam suauitate temperatam, comprobante. Temperamentum nactus erat melancholico-sanguineum, quod sequutæ omnes eius actiones facilitatem aliquam natiuam, cum constantia & assiduitate iunctam, prodiderunt. Animi affectibus, ex philosophiæ diligenti cultura & Christianæ pietatis disciplina, ita imperare didicerat, vt nulli ipsum succubuisse vel seruiisse vmquam compertum sit. DEVM sincera mente pieque colebat, sacra omnia reverenter habebat; societati ita se aptum idoneumque præstabat, vt omnes beneuolentia & humanitate allice-ret: amicos omni officiorum genere colebat, neque vinci se ab aliquo promtitudine inseruiendi patiebatur. Nemo in ipsum immemorem beneficium vmquam contulit: si vero sibi contingeret nullam vel malam pro meritis gratiam referre, æquo animo sic perferebat, vt acerbe conquerentem aut beneficium exprobrantem nemo audiret. Opis suæ indigos consilio, commendatione, &, si res ita ferret, ipso opere adiuuabat. A vana iactantia tantum aberat Vir omni ex parte meritissimus, vt numquam in scriptis suis, etiam vbi vere sua & a se inuenta tradit, intento quasi in semet digito

sibi

ſibi ea vindicet & adſcribat: tantumque aberat, vt aliorum inuenta ſibi arrogaret, vt potius iam valde ſenex ingenue fateretur, ſi quid etiam a iunioribus accepiſſet. Superiores ingenuo & liberali obſequio ita colebat, vt nec adulando, vel intempeſtiue obtemperando, aut tacendo, ſalutem ipſorum peſſundaret. Si res poſtularet, ad omnes itinerum vigiliarumque moleſtias promte accedebat, easdemque conſtanter tolerabat. Nihil ſanctius & attentius obſeruauit tempore, cuius tam erat auarus diſpenſator, vt vel horulam ſibi elabi, quam non optime collocare liceret, impenſe doleret. Prælectiones ſumma fide & alacritate, ſtatis horis, inſtituebat: ſique inuito ſurreptæ fuiſſent aliquæ, alias commode ſurrogando damnum reſarcire ſolebat. Abſentibus amicis, per litteras ſecum colloquentibus, facilem ſeſe præbebat, omninoque gaudebat commercio hoc litterario cum viris eruditionis laude conſpicuis: quorum aliquos ſuperius indicandi occaſionem habui, quibus nunc aliorum, qui inter multos frequentius occurrunt, nomina, vt ſe forte oculis per litteras excurrentibus ingerunt, ſubnectam. Offerunt autem ſe ADOLPHVS VISCHERVS, ELIAS RVDOLPHVS CAMERARIVS, IOHANNES BOHNIVS, IO. IAC. VVEPFERVS, EBERHARDVS GOCKELIVS, LVCAS TOZZIVS, IO. CONRADVS BRVNNERVS, ROSINVS LENTILIVS, FRIDERICVS HOFFMANNVS, IO. GEORGIVS VOLCKAMMERVS, IO. ADOLPHVS VVEDELIVS, W. ZAPFIVS: quos ex magno numero paucos indicaſſe ſufficiat. Atque hi omnes de grauiſſimis rebus vel quærunt, vel quæſiti reſpondent. Si numerare vellem principes Perſonas, quarum aliquæ ad Regium faſtigium euectæ ſunt, quæ per litteras cum beato Viro egerunt, aut Illuſtriſſimorum Comitum & Comitiſſarum epiſtolas recenſere, quæ magno numero adſunt, vereor vt oſtentationi magis quam veræ vtili-

tati seruiisse videar. Quare progredior potius ad exponendum de familia τῦ μακαρίτυ. Is tori sociam sibi iungebat A. cIↃ IↃCLXXXI. a. d. XXVI. Aprilis, virginem lectissimam & nobilissimam ANNAM MARIAM EYSELIAM, Viri Nobilissimi FRIDERICI EYSELII, Consiliarii Marchionis Onoldo-Brandenburgici, filiam, ex qua quinque liberorum pater factus est. In lucem edebatur MARGARETHA SIBYLLA a. d. XX. Sept. cIↃ IↃCLXXXII. duobusque mensibus exactis animulam DEO creatori reddebat. Sequebatur A. cIↃ IↃCLXXXIII. FRIDERICVS MAVRITIVS, qui in optimam spem adoleuit, litterarumque ac philosophiæ studiis probe imbutus ad medicinam, patris auique exemplo, animum appulit. Quum honores Doctorales rite consequutus esset, tam fauentem clementemque Principem Onoldinum experiebatur, vt ipsum Consiliarii dignitate ornaret & aulæ suæ medicum constitueret. Academiæ Nat Curiosorum ab Illustri Præside SCHROECKIO cIↃ IↃCC XXI. adscribebatur: omninoque magnam de eo spem concipere licebat, fore vt ad paterna vestigia eniteretur, quum mors præmatura intercederet, ipsumque, ab hydrope pectoris occasione arrepta, mortalium cœtui eximeret. Sequebantur tres filiæ, quarum prima, CATHARINA CHARLOTTA, a. d. VI. Ianuarii cIↃ IↃCLXXXVI. in hanc lucem edita, matrimonio iuncta A. cIↃ IↃCCIII. Viro Prænobilissimo & Consultissimo IO. GEORGIO FICHTNERO, Consiliario Reipubl. Norimbergensis, & Pandectarum in Academia Altorfina Professori publico, τὸν μακαρίτην auum fecit duorum nepotum, in optimam spem adultorum, IO. MAVRITII, I. V. L. & STEPHANI FERDINANDI, Philosophiæ & Iurisprudentiæ studiosi. Altera, SOPHIA MARGARETHA, a. d. VI. Iunii cIↃ IↃCLXXXIX. lucem hanc adspiciebat, & cIↃ IↃCCXXIII. elocabatur matrimonio Viri Prænobilissimi FRANCISCI BVTTNERI, Medicinæ

cinæ Doctoris & Acad. N C. Socii: vitam autem cum morte permutabat A. cIɔ Iɔcc xxviii. Tertia, FRIDERICA IVLIANA, communis auræ vsuram capiebat a. d. xiii. Iunii A. cIɔ Iɔcxcvi. & cIɔ Iɔcc xxii. in tori societatem assumebatur a Viro strenuissimo & nobilissimo IO. LEONARDO FELLHORNIO, supremo excubiarum reique tormentariæ Præfecto, & in arce Coburgensi Præsidis vicem gerente, quæ itidem nepotes beato parenti ex se progenuit.

Viuit itaque beatus Senex in liberis & ex his prognatis nepotibus: viuit vero non minus immortalibus ingenii sui monumentis: quorum præcipua quidem, sic ferente dicendorum ordine, iam attigimus: nunc vno conspectu intuenda subiiciemus.

* * *

SCRIPTA IO. MAVRITII HOFFMANNI EDITA.

1. Dissertationes Anatomico-Physiologicæ, ad IOH. VAN HORNE *Microcosmum* annotatæ, A 1685 in 4t.
2. *Idea Machinæ humanæ Anatomico-Physiologica*, ad obseruationes recentiores conformata, & ad methodum lectionum sollemnium accommodata, A. 1703. in 4t. (*)
3. *Flora Altorfinæ delitiæ hortenses, locupletiores factæ*, siue Appendix Catalogi *Horti Medici Altorfini*, plantarum nouarum accessione aucta, A. 1703 in 4t.
4. *Disquisitio corporis humani Anatomico-Pathologica*, rationibus & obseruationibus veterum ac recentiorum confirmata, A. 1713. in 4t. (**)
5. *Acta Laboratorii Chimici Altorfini*, Chimiæ fundamenta, operationes præcipuas, & tentamina curiosa; ratione & experientia suffulta, complectentia, A. 1720. in 4to. (***)

6. Syn-

(*) Honorifica huius operis recensio extat in *Act. Erud. Lipsiens.* A. 1704. p. 63. seq.
(**) vid. eorund. *Actorum* A. 1713. p. 452.
(***) vid. A. 1720. p. 31. seq.

6. *Syntagma Pathologico-Therapeuticum*, ad IO. HARTMANNI *Praxin Chimiatricam* concinnatum; Morborum ibidem propositorum, & plurium omissorum, nunc additorum, subiectum, causas, signa & curationem, probatissimorum remediorum accessione auctam complectens: vna cum *Prolusionibus XLIV. de remediorum delectu*, Lipsiæ, 1728. in 4t.

* *

Disputationes publicæ sub eiusdem directione & præsidio habitæ.

1. De Αεροτηθία, seu Microcosmi Aeolia, Respondente *Matthia Henrico Winter*, Creilshemio-Franco, 1680.
2. De Aegro Asthmatico, Resp. *Io. Bartholom. Cramer*, Vlmensi, 1681.
3. De Ossium Carie, Resp. *Magno Masson*, Stutgard. Sueuo, 1681.
4. De Naso, faciei promontorio, Resp. *Mich. Frid. Lochnero*, Furtha-Norico, 1681.
5. De dolore, Resp. *Daniele Zollicofero*, Sangallo-Helueto, 1682.
6. De Glandulis renalibus, Resp. *Frid. Iac. Brunone*, Altorf. 1682.
7. De Cuticula & Cute, Resp. *Christoph. Dan. Metzgero*, Posoniense Hungaro, 1685.
8. De Medicamentis martialibus, Resp. *Io. Georg. Beutel*, Ratisb. 1685.
9. De Anorexia, Resp. *Io. Iusto Kornmanno* de Hornsbach, Alsfeldia-Hasso, 1685.
10. De Odoramentis & Suffimentis, Resp. *Io. Iacobo Cnopff*, Viennensi-Austrio, 1686.
11. De Vena Portæ, Resp. *Io. Guil. Ayrer*, Norimbergensi, 1687.
12. De Gustu, Resp. *Bern. Matthia Franco*, Kilon. Holsato, 1689.
13. De Liquore gastrico, Resp. *Adamo Vnzelmann*, Delmenhorstense.
14. De Pericardio, Resp. *Georg. Frid. Franco de Franckenau*, Argentoratense, 1690.
15. De Suturis cranii humani, Resp. *Dan. Henr. Meibomio*, Helmstadiense, 1691.
16. De Saliuatione mercuriali, R. *Ad. Vnzelmanno*, Delmenh. 1691.

17. De

17. De Neruis, Resp. *Io. Pauero*, Vratislauiense. 1692.
18. De Aëre morbifico, R. *Christoph. Erasmo Gockelio*, Vlmense, 1694.
19. De Omento, Resp. *Io. Vierzigmanno*, 1695.
20. De fluidorum catholicorum fœtus motu, Resp. *Carolo Rayger*, Poson. Hung. 1695.
21. De Diluuio Microcosmi peculiari, siue Hydrocephalo, Resp. *Melchiore Cunrado Cramer*, Onold. Franc. 1695.
22. De Secretione animali, R. *Erhardo Huber*, Dissenhof. Helu. 1695.
23. De Pancreate, Resp. *Io. Sam. Römhild*, Coburg. Fr. 1706.
24. De Ptarmographia, R. *Ioseph. Iac. Hämpel*, Pilsna-Bohemo, 1711.
25. Sciagraphia methodi medendi, primis designata lineis, Resp. *Christoph. Iac. Treuu*, Lauffa-Norico, d. 2. Dec. 1713.

* *

Quamplurimas elegantissimas obseruationes, argumenti anatomici, chemici vel practici, Academiæ Nostræ Ephemeridibus insertas, hic ordine recensere supersedeo, vt tempori chartæque parcam. Vltimum etiam ante hunc illarum Ephemeridum tomum, qui *Actorum physico-medicorum Acad. Cæs. N. C. volumen primum* inscribitur, a Nostro, tamquam Directore, procuratum fuisse iam supra monuimus.


* *

Nondum edita, elaborata tamen scripta, beatus Autor reliquit sequentia:

Annotationes breues, cum selectiorum remediorum apparatu, ad *monita medica* IO. IAC. VVALDSCHMIDII.

Sciagraphiam Institutionum Medicarum, per quæstiones ac responsiones designatam.

PAVLI BARBETTE *Chirurgiam*, notis & remediis dilucidatam.



INDEX ALPHABETICVS RERVM NOTATV DIGNIORVM,

vbi aſteriſcus numero adiectus ad appendicem remittit.

Apho-

Den-

Lapi-

Nebula

SPHALMATA TYPOGRAPHICA.

B. L. Velis, pro æquitate Tua, condonare typi crebros errores, quibus hoc indice potius mederi voluimus, quam dissimulando TE suspensum tenere. Qui curam editionis gessit, Director, a prælo abfuit; neque vmquam metuit posse fieri, vt exstantiora errata remanerent, quum typographus summam industriam esset pollicitus. Sed animaduersis, qui in primas plagas irrepserant, erroribus, opera data est, vt singula folia ad ipsum mitterentur: quumque nec hoc sufficeret ad aberrationes crebras satis præcauendas, appendix tandem prælo hic dari debuit: quam liberam ab eiusmodi hallucinationibus Te deprehensurum esse confidimus. Vale.

Pag. 2. lin. 13. lege *præternaturalem*. p. 6. l. 29. 30. lege *spuriam*. p. 7. l. 21. *lectum*. p. 8. l. 15. *minimum*. p. 10. l. 32. *lipoth*. p. 14. l. 23. *melissæ*. p. 15. l. 25. *vt*. l. 26. *tale*. l. 28. *Mutinensis*. p. 16. l. 18. *paratur*. l. 28. *alium*. p. 21. l. 27. *defectum*. p. 22. l. 11. *prorump*. p. 23. l. 6. *quot*. p. 30. l. 14. *noxis*. l. 24. *oui, aqua*. p. 33. l. 19. & 21. *pharmac*. l. 31. *saliuatoriam*. p. 34. l. 10. *dubitaui*. p. 36. l. 24. *constabant* p. 40. l. 29. *agebantur*. p. 43. l. 15. *supplebat*. p. 50. l. 3. *cariosum*. p. 53. l. 3. *vtero*. p. 54. l. 25. *ingerere*. p. 63.

 l. 26.

l. 26. *grauiditatis.* p. 68. l. 20. *exstincto.* p. 72. l. 12. *stagnans.* l. 19. *dabatur.* l. 21. *exterorum.* p 75. l. 27. *accedit.* p. 76. l. 21. *obtulit.* p. 77. l. 11. *augmentum.* p. 81. l. 6. *interdum.* p. 83. l. 5. *cirrata.* p. 87. l. 26. *depulerit.* p. 92. l. 5. *destituti.* p. 100, l. 7. del. *affectus.* p. 106. l. 24. *totius.* p. 116. l. 7. *profudisse.* p. 118. l. 16. *animaduertens.* p. 122. l. 25. *vsa.* p. 129. l. 26. *Tab. III. Fig.* 3. p. 141. l. 5. *spermati.* p. 143. l. 29. *impeditiore* p. 144. l. 10. *cum.* l. 17. *cum.* p. 160. l. 8. *restitueretur.* l. 31. *ἄκμην.* p. 177. l. 12. *vti.* l. 13. *ex.* p. 186. l. 12. *mane.* p. 198. l. 7. *cholera.* p. 199. l. 22. *color.* p. 206. l. 24. *ruptura.* l. 26. *suos.* p. 213. l. 16. *Democrit.* p. 221. l. 18 *lamella.* l. 20. *vt.* l. 21. *indicia.* p. 231. l. 32. *luxatum.* p. 235. l. 7. *hepar.* p. 243. l. 4. *reperiebatur.* l. 16. *tubercula.* p. 247. l. 22. *Silesiacis.* p. 257. l. 4. del. *Ioh.* p. 276. l. 1. *impune.* p. 289. l. 11. *vbi.* p. 291. l. 18. *ab.* p. 327. l. 2. *expulerint.* l. 27. *obseruato.* p. 340. l. 3 *obuiam.* p. 343. l. 6. *violenta.* l. 15. *imo.* p. 344. l. 1. *aphonia.* p. 345. l. 6. *conspicabantur.* p. 359. l. 1. *successu.* p. 365. l. 26. *dissitis.* p. 374. l. 3. *lauationem.* p. 378. l. 28. *tribus.* p. 381. l 16. *vero.* p. 393. l. 3. *inclusum.* p. 400. l. 21. *vltro.* p. 401. l. 30. *succussus.* p. 403. l. 16. *mirabilem.* l. 18. *meatu.* l. 23. *prandium.* l. 25. *meatuum.* p. 405. l. 14. *innoxium.* p. 423. l. 19. & 20. GOTTH. ERNESTI STRVVII. p. 424. l. 31. *effecerat.* p. 435. l. 9. *conuulsus.* l. 26. *penitus.* p. 456. l. 8. *columbis.* p. 457. l. 16. *partum.* p. 465. l. 2. *apport.* l. 4. *aderat.* p. 466. l. 1. *eruca.* l. 20. *lectionibus.* p. 467. l. 8. *ægrotabant.* p. 468. l. 11. *viui — indicium.* p. 469. l. 27. *fraxini.* p. 470. l. 15. *currenti.* Tabula ænea III. Fig. 11. ddd lege: *rubicunda* ee *Solanum nigrum.*

F I N I S.